

R E R V M
C H R O N O L O -
G I C A R V M
C O M M E N T A R I I

D I S T I N C T I
in libros quinque,

*In usum eorum, qui doctrina de temporib. cognoscenda
cupidi sunt, conscripti dudum*

A B

V B B O N E E M M I O,

& nunc primum in lucem editi.

Χρόνος ἐστὶν ἐπιπόρευσις πραγμάτων, καὶ τήρησις.

REXVM
CHRONOLOG
GICARVM


COMMENTARI

WILHELM

in libro quinquagesimo

secundo

WILHELM



R E R V M
C H R O N O L O -
G I C A R V M

LIBER PRIMVS,

cum præfatione in opus uniuersum.

HISTORIÆ, quæ expositionem rerum in genere humano gestarum habet, quanta sit utilitas, quanta dignitas & præstantia, id tam evidens & clarum per se est, ut in eo demonstrando laborare, verè nihil aliud fuerit, quàm verba & tempus perdere. Hoc certè extra controversiam est, quod qui hujus cognitionis est expertus, viri eruditione magni nomen non mereatur. Historiæ verò faces præcipuæ duæ sunt, Chronologia, & Geographia, sine quib. ipsa, ut vastum corpus lumine carens, nec decus suum, nec usum obtinere potest. Ex his hæc globi terreni, qui in medio uniuersi systematis à DEO conditi situs, & ex tellure ac aquâ compactus sedem hominum generi præbet, & partium ejus, id est, regionum, marium, montium, fluminum, urbium, denique locorum omnium, quib. singula, quæ in historiâ narrantur, acta sunt, descriptionem habet: illa temporum, quæ ab initio rerum fluxere, explicationem, & digestionem continet. Vtraque, ut rectè sibi constet, Astronomiæ præfidiis habet opus. Nam orbis terrenus nisi ad cælum & circulos cœlestes, quos primus motus describit, relatus cognosci rectè non potest. Et cum tempus, quod propriè sic dicimus, duratio quædam sit, quam cœli motu metimur, vel, ut Varro breuiter ac rotundè, intervallum sit motus cœlestis, quomodo rationem ejus sine cognitione motuum cœli capiemus? præterquam quod sine Eclipsium doctrinâ haud pauci nodi quæstionum Chronologicarum expediri & solvi nequeant. Vtraque etiam cum temporis progressu, crescente hominum studio & industriâ splendoris incrementum non paruum cepit. Quanto enim luculentior & plenior nunc Geographia quam olim? quam multa jam ad eam pertinentia lustrata, cognita, descripta, depicta, quæ veterib. fuere ignota? Chronologia autem tot cultores sui eximios inuenit proximo & nostro hoc sæculo, qui in eâ expoliendâ & studium suum collocarunt, & ingenia exercuerunt, velut æmulatione incitati, & posteriores priorum inventis ac laboribus adjuti, ut eam ad fastigium perduxissè videri possent. Veràm cum hanc quoque in rem magnam magnum ingenium suum intendisset proximis annis vir summus, & in omni genere literarum excellens, ac uniuersæ nationis eruditorum verè princeps ac Φάσφαρος, Iosephus Scaliger,prehendit in eâ etiam

A ij

nunc

nunc residere nec parvos, nec paucos defectus; editoque divino volumine de emendatione temporum & defectus illos aperuit, & corrigendi rationem commonstravit. Cujus voluminis iterum editi (priorem enim editionem non videram) copiam cum nactus essem, & ex lectione diligentem non parum luminis hausissem, & voluptatis cepissem, cupidine correptus sum concipiendi & concinnandi Canonis alicujus Chronici novi, brevis ac nudi, qui rationibus Scaligeri responderet. Sed ea res valde lente mihi processit occupato studiis & negociis aliis penè assiduis, ut non nisi per longa intervalla respicere interdum illuc, ac interruptæ sæpius operæ aliquid in eâ ponere licuerit. Ac tentavi quidem dispositiones & formas plures: tandem verò in hac potissimum acquievi, quæ in hoc libro est repræsentata. De cujus ratione ac usu infra sum dicturus. Nunc hoc tantum dico, hunc scopum mihi fuisse, ut fluentis à rerum primordio, & maximè à diluvio generali, temporis schema quoddam, ac diversorum annorum inter se comparatorum, & sibi invicem affixorum continuam & expansam seriem inspicientium ac considerantium oculis, quantum ejus fieri posset, subjicerem: deinde ut epochas temporum præcipuas suis locis seriei huic, aut extensioni perpetuæ quam emendatissimè affixas exhiberem, & simul mutationes præcipuas & eventus nobiliores, & in illustrioribus imperiis regum & principum successiones suis itidem locis notatas expressasque darem: denique ut sacræ historiæ quæ sunt, cui potissimum illustrandæ studium hoc impendi, iis quæ ad historiam profanarum gentium pertinent, eodem modo è regione collocarem, atque ita tempora temporibus in historiâ utràque coaptarem. In omnibus verò his brevitati quam maximè studui, ne multitudo rerum, & verborum prolixitas schema hoc, quod quam clarissimum, ac planissimum, & captui facillimum esse volui, obscuraret. Plenam Chronologiam, eventis verbisque refertam, qualem multi cum laude dederunt, dare nolui. Et hunc laborem qualemcunque cur ordire primùm, privatim mihi, ut ipsum me instruerem, & meis, qui curæ & disciplinæ meæ commendati erant, destinavi; de publicando autem cogitavi minimè. Post verò cum aliud amicis videretur, atque ipse existimarem, aliquem ejus usum in publico esse posse, consilium mutavi, capique de editione cum ipso, quem honoris causâ de nunc nomino, Iosepho Scaligero, cujus è fontibus hæc nostra maximè proflexerunt, non diu ante morbum ejus, qui cum dolore bonorum omnium literas amantium eum absumpsit, conferre. Interea ad manus meas venire, quas ante non videram, primum Calvisij, deinde Buntingi Chronologiæ, quorum alter vestigia Scaligeri ponere secutus, alter aliis rationibus insistens, uterque præsidio astronomico nixi, insignem operam reip. literariæ post Funccium, Crantzhemium, Beraldum, Bucholcerum, Gerardum Mercatorem, præcipuos heroes in hoc studii genere præstiterunt, & immortalem laudem sibi pepererunt. Quibus diligenter evolutis cum admiratione diligentia autorum, quanquam viderem supervacaneam editionem laboris mei existimari posse, tamen propterea quòd Calvisius in Epochis quidem teneret idem quod ego, & eadem mecum computationum fundamenta jecisset, id est, ut dixi, Scaligerum ubique secutus esset; Buntingus autem consilio repræsentandorum diversorum annorum inter se connexorum mecum magnâ ex parte congrueret, sed ille schema fluentis temporis in lineis expansis, & in annos diversos divisus non referret, qui scopus præcipuè meus erat, & hic in epocharum multarum collocatione, & sacræ profanæque historiæ connexionem à me dissentiret, uterque etiam opus suum prolixum esse voluisset,

voluisset, pergendum mihi in proposito arbitratus sum.

Verum quoniam diversis, & inter se discrepantibus annis in Synopsi hac chronologica, (id quod res ipsa requirebat, ut assequer, quod erat in consilio meo) sum usus, de iis primum, & de cæteris temporis partibus deinde de annorum periodis & eorundem characteribus, quæ alii prolixè executi sunt, breviter instruendi lectoris gratiâ quædam præmittam.

Temporis partes, quarum præcipuus, & communissimus usus est, & olim fuit apud varios, & maximè illustres populos, sunt, horæ, dies, septimanæ, menses, anni, & quæ ex his componuntur, periodi variæ, quantitate ac ratione differentes. Excellunt verò in his partibus, & radicem instar sunt, unde reliquæ nascuntur, & ad quas eæ referuntur, **DIES**, **MENSES**, **ANNI**: omnes varietatem aliquam recipientes.

D E D I E B V S.

Dies pars temporis notissima, quia & frequentissimè recurrit, & in omnium omninò hominù, imò & bestiarum mente carentiù sensum evidentissimè incurrit, aut naturalis est, aut civilis. Naturalis ex mente Censorini, quem hîc sequimur, est tempus ab exoriente Sole ad Solis occasum: cujus contrarium tempus est nox, ab occasu Solis ad ejus ortum. Civilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno cœli circumactû, quo dies verus & nox continentur: *νοξ ἡμέρας* Græci nuncupant. Hi civiles æquales ferè inter se sunt & perpetuò & ubique locorum: (ferè dico propter differentiam, quam astronomi observant, cæteri ignorant) illi variis modis inæquales inter se, crescentes semper à brumâ in solstitium æstivum, decrescentsque rursus hinc ad brumam; idque eò magis, quò ad polos propius loca accedunt, minùs, quò ad æquatorem: Sub æquatore solo tota hæc inæqualitas tollitur, ubi dies naturales non minùs inter se pares sunt, quàm civiles. Eademq; noctium naturaliù ratio. Porro naturales dies omnib. hominib. incipiunt ab ortu Solis, desinunt cum occasu: civiles non item. Nam quidam hos cum ortu solis inchoarunt olim, finiveruntq; ut Babylo- nii, quidam cum occasu, ut Iudæi, & ex Græcis Athenienses, alii cum meri- die, ut veteres Umbri, alii cum mediâ nocte, ut Romani, teste eodem Cen- sorino: Et hoc quidem postremum plurimè gentes hodiè sequuntur. Astronomi etiam diei astronomici, qui cum civili propè coincidit, non- nulli in nocte media principium statuunt, & finem.

Sunt verò & aliæ dierum distinctiones variis gentib. usitatæ. Nam alii dies festi sunt, alii profesti: illi rebus divinis, hi humanis curandis & agendis dicati. Illos sacros, hos communes aut profanos liceat ap- pellare. Sic apud Hebræos festi erant, quib. ab opere communi lex jubebat abstinere: profesti, quib. opus commune facere fas erat, quo- tidiano sacrificio matutino & vespertino peracto; imò quib. laborare, & res communes agere lex præcipiebat. Et hi numero erant plurimi. Festi autem dies erant varij, ut sabbata, quæ septimo quoq; die perpetuò redibant, ut festivitates illæ maximè tres, quib. cogebantur omnes masculi quotannis comparere coram Domino, loco eo, ubi tabernaculuus aut templum erat, pascha nimirum, pentecoste, & festum tabernaculorum, quorum primum septiduum, postremum octiduum durabat: tum minores duæ prior tubarum, altera expiationù, ad eundem mensem cum tabernaculorum festo, qui men- sis anni septimus erat, pertinentes: deniq; neomeniæ omnium mensium, quanquam dubium sit, an hæc verè feriatae fuerint, id est, cessationem ab ope- rib. habuerint: nam id in lege expressum non est, quemadmodù nec de sole- mnitate pentecostes. Et hæc quidem omnia ab ipso Deo sunt instituta & demandata.

demandata. Alia etiam ab hominib. induc̄ta, ut Enc̄ania templi triplicia, quorū meminit historia sacra, prima templi primum structi, secunda instaurati, tertia à Iudā Macabæo repurgati, diversis anni temporib. celebrata; item festum *μνημόσινων* filiā Iephthe, Estheræ, Judithæ, & similia in fastis notantia eventus memorabiles. Apud Græcos quoque quanquam in superstitione gentili similis ferè fuit dierum distinctio, maximè apud Athenienses *δεισιδαιμονεσις*. His festivāe celebritates multæ erant, quæ ad posterorum memoriam pervenire: ut, Panathenæa majora & minora, illa *τετραετηρῆα*, hæc *ἐτήσια*, sacris & ludis dicata: item *μυσηρία* magna, *Διονύσια*, id est, Liberalia vel Bacchanalia triplicia, scil. *κατ' ἀγρούς, κατ' ἔστυ, ἀνθεστήρια*: ad hæc *Ἀπαυρία, Πιθόγια, Πλωθήρια, Χαλκεία, Θαργύλια* Apollini sacra, *Βοηδρομία, Γαμήλια, Πυανέσια, Μενύχεια*, aliaque plura. Et Lacones *καρνεία* sua, ac *ῥακίνθια* superstitione observabant. Romani dies distinguebant multipliciter, ut nos docent Varro, Ovidius, Censorinus, Macrobius. Primum dies illis erant aut festi, aut profesti, aut intercisi. Festi erant faciendis reb. divinis dicati: profesti agendis reb. humanis: intercisi parte sui divinis, parte humanis: divisi, inquit Macrobius in se, non in alia, quorum scilicet horis quibusdam fas erat, quibusdam fas non erat, jus dicere. Nam, ait, cum hostia cædebatur, fari nefas erat: inter cæsa & porrecta fari licebat. Porro festi dies habebant sacrificia, epulas, ludos, ferias. Sacrificia fuere varia; epulationes sacrae ad deorum honorem & cultum referebantur: ludi multiplices, sed præcipui eorum magni & Romani dicti, & post hos plebeij, utrique Iovi sacri: item Consuales, Apollinares, scenici: feriarum verò aut statarum erant, aut conceptivarum, aut imperivarum, aut nundinarum. Statarum intelligebantur certis anni dieb. affixæ, & notatæ in fastis, pleræque toti populo communes, ut Agonales, Carmentales, Lupercales, aliarum gentibus aut familiis quibusdam propriae, ut Iuliae, Fabiae, Claudiae, Æmiliae, Corneliae, quædam etiam domesticae tantum, ac singulorum, ut natales, parentalia. Conceptivarum, quæ quotannis à magistratib. aut sacerdotibus concipiebantur: ut feriarum Latinarum in Albano monte, sementinarum, paganarum, compitalium. Imperivarum quas consules aut prætores pro arbitrio potestatis indicebant. Nundinarum rusticorum erant, quib. ii in urbem veniebant emendi, vendendi, alia curandi gratiâ: redibant in orbem nono quoque die: unde trinundinum tempus nundinarum trium, quib. leges rogandæ in publico proponebantur, ut legi & expendi ab omnib. possent. De his dubitatum scribit Macrobius, an inter ferias, & dies festos essent habendæ. Feriis eas exclusit lex Hortensia de iisdem lata. Hactenus de festis. Profesti dies alii fasti, alii nefasti, alii comitiales, alii non comitiales censebantur. Fasti erant, *per quos lege licebat agi*, inquit poëta: nefasti, qui & atrii ac religiosi dicebantur, *per quos tria verba silentur*; hoc est, fasti habebantur, quibus prætori vel iudici tria verba, do, dico, addico, licebat fari, id est, iudicis officium exercere; nefasti velut abominabiles ob tristes eventus, quibus idem illud facere fas non erat; cuiusmodi Romani ob clades acceptas, aut foedas res alias numerabant non paucos: Et his accensebant etiam omnes dies postridianos tanquam infelices, eos inquam, qui Kalendas, Nonas, Eidus proximè sequebantur. Comitiales dicebantur, quibus comitia habere, id est, cum populo agere five creandorum magistratum, five ferendarum legum, similibumve rerum causâ fas erat. Id verò non licebat diebus festis, quemadmodum nec nefastis, nec iis, quibus fenatus habebatur. Senatus autem habebatur ut plurimum ipsis Kalendis, Nonis,

Nonis, Eidib. & quotiens res poscebat, nisi quid aliud majoris momenti impediret. Reliquas dierum Romanorum differentias notatas à Macrobio, ne fiam hac in parte nimis longus, omitto. Festa ejusdem populi plurima recensentur ab Ovidio in fastorum libris: multa quoque ab aliis, quæ omnia suis locis in hemerologiis antiquis, quæ Kalendaria hodiè vocant, solent annotari. Christiana instituta hujus generis Judaicis similia recitare nihil attinet. Sunt enim omnib. per se notissima. Plus satis de diebus.

DE HORIS ET ALIIS DIERV
PARTIBVS.

Dierum partes vicinæ quaternæ, *horæ* dicuntur, quæ item æquales inter se sunt, aut inæquales: æquales dierum civilium & astronomicorum divisorum in partes $xxiiii$ pares; inæquales naturalium, pro modo, quo ipsi dies inter se quantitate differentes sunt. Nam horum quilibet magnus aut parvus secatur in portiones xii pares; ut & noctes. Itaque magnorum dierum magnæ horæ, parvorum parvæ; & noctium similiter. Et his horis inæqualibus, quas *καιρικὰς* Græci vocabant, usæ ferè omnis vetustas est in Italiâ, Græciâ, Asiâ, Ægypto, & toto Oriente, imprimis in Palæstinâ & Judæa: de quæ his intelligendæ horæ in sacris literis passim memoratæ. Earum prima numerabatur, quæ fluebat proximè à Solis ortu, sexta in ipso meridie, duodecima Sole occumbente. Sed antiquissimis temporib. horæ & nomine & re ignotæ fuere. Itaq; alia tum fuit *νυχθημέρα* partitio, diversaque temporib. & locis diversis. Erat, cum divideretur *νυχθημέρον* in partes quatuor, quarum duæ diei naturalis, duæ noctis erant. Dies ab ortu solis ad occasum durans medio meridie distinguebatur in tempus antemeridianum, & pomeridianum: & nox similiter ab occasu Solis in ortum extensa mediæ noctis momento dirimebatur in tempus, quod mediam noctem antecedebat, & id, quod eam sequebatur. Hebræi, ut vult Scaliger, has *νυχθημέρας* partes vocabant vigiliis: sed more suo incipiebant eas numerare à Solis occasu, & quartam ultimamque finiebant cum eodem occasu. Iidem verò Hebræi veteres diem naturalem, quo Sol moratur supra Horizontem, etiam tripartiebantur; scilicet in mane, meridiem, & vesperam. Nec aliter vetustissimi Græci, quib. diei partes fuere *ἡώς, μέσον ἡμέρας, δείλη*, ut est apud Homerum. Et cum his convenientes Arabes, Persæ, & populî orientales alii non olim solum, sed etiam nunc. Nec desunt, qui affirmant, Hebræos *νυχθημέρον* distribuisse in partes octo, quarum quatuor noctis essent, totidem diei: & noctis quidem propriè appellatas esse vigiliis, diei verò horas: vigiliam primam cœpisse cum Solis occubitu, secundam desisse cum nocte mediâ, & ab eâ deinde initium habuisse tertiam; quartam denique cum ortu Solis & diei expirasse: horarum verò primam principium duxisse ab eodem Solis ortu, & complexam esse horas *καιρικὰς* communes tres; alteram totidem *καιρικὰς* complexam, surgentem cum fine *καιρικῆς* tertiæ, exisse cum ipso meridie, & tertiam esse vocatam; quæ deinde sequeretur, totidem *καιρικὰς* continentem propterea quod inciperet à meridie, in qua *καιρικῆ* numerabatur sexta, sextam esse nuncupatam; ultimam denique inchoantem à *καιρικῆ* & communi nonâ exeunte, & durantem ad finem duodecimæ atque occubitum Solis, dictam nonam. Et hæc probare se posse ex historia Evangelica de passione Domini ac locis aliis existimant: quam firmiter, viderint ipsi. Romanos veteres dicit Cenforinus horarum nomen ignorasse non minus quam

quàm per annos ccc ab urbe conditâ, diemque bifariam partitos esse in tempus antemeridianum & postmeridianum: dein alios diem quadripartitè, & noctem similiter divisisse, indeque reliquam mansisse distinctionem noctis in vigiliis militares quatuor. Mox idem aliter partes *νυχθημέρου* recenset numero xvi: primam vocatam dicit de mediâ nocte, secundam gallicinium, tertiam conticinium, quartam ante lucem, vel diluculum Solis ortum præcedens, quintam diluculum secundum vel manè, sextam ad meridiem, septimam meridiem, octavam de meridie, nonam supremam tempestatem, decimam vesperam, xi crepusculum, xii primam facem, vel luminib. accensis, xiii concubium, xiiii noctem intempestatem, xv ad mediam noctem, ultimam mediam noctem. Macrobius Saturnalium lib. I. cap. 3. ad numerum duodenarium has partes redigit, easque his repræsentat verbis. Primum tempus diei dicitur media noctis inclinatio, deinde gallicinium, inde conticium, cum galli conticescunt & homines adhuc quiescunt, deinde diluculum, cum dies incipit dignosci; inde manè dies clarus est, deinde à manè ad meridiem; inde jam supra vocatur tempus occiduum, & mox suprema tempestatem, hoc est, diei novissimum tempus; deinde vespera; post prima fax; deinde nox concubia; demum nox intempesta.

DE PERIODIS DIERVM.

EX integris dieb. plurib. conjunctis fiunt dierum periodi: cujusmodi est *ἑβδομάς*, quam septimanam Latinè dicimus, systema scilicet dierum septem perpetuò in orbem recurrens. Cujus usus antiquissimus fuit, ab ipso **D**eo institutus, & ab Hebræis sanctè semper cultus, receptus quoque in gentibus quibusdam aliis in Oriente, præsertim ab Arabibus, cum Christianismo verò propagatus longè latèque, religione solùm translata à die septimâ in primam, à Mahometanis etiam retentus. Inter nos certè nihil eo notius, aut celebrius. Ejus dies feriæ dicuntur secundum ordinem suum, hoc modo, prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima, quæ Sabbatum Hebræis dicta, nobis Saturni dies claudens hebdomadem. Hujus hebdomadis observatio magnum momentum habet in Chronologiâ, ut post ostendetur. *ἑβδομάδι* verò similis *ὀγδοάς* fuit, quâ Romani sunt usi, nundinæ ipsi vocatæ, velut novendinæ, propterea quod nono quoque die redirent. His verò ii, qui rus habitabant, in urbem venire solent emendi & vendendi causâ: quam ob rem mercatus omnes solemnes nundinæ quoque sunt appellatæ: & leges etiam rogandæ in publico proponerentur, ut ab omnib. & urbanis & rusticis Romanis legi, & examinari possent, idque ternis vicibus, quod trinundinum dicebatur.

DE MENSIBVS.

Mensium quoque duo genera, inquit Conforinus: nam alii naturales sunt, alii civiles. Naturalium species duæ, quæ partim Solis, partim Lunæ esse dicuntur. Secundum Solem fit mensis, dum Sol unumquodque in Zodiaco signum percurrit, pars nimirum anni Solaris duodecima: Lunarum autem est temporis spacium à novilunio ad novilunium. Civiles menses sunt numeri dierum, quos unaquæque civitas suo instituto observat, ut Romani à Kalendis in Kalendas, Græci à neomeniis civilibus ad neomenias similes. Naturales sunt antiquiores, & omnium gentium communes. Civiles & posterius instituti sunt, & civitatum suarum proprii. Naturales, quos & cœlestes vocat Conforinus, tum

tum Solis tum Lunę, impares inter se sunt, nec dies habent, ut idem inquit, totos: id est, non integros solum dies, sed dierum quoque partes, ut horas & horarum scrupula, quę supra dierum integrorum numerum redundant, aut dieb. integris defunt. Nam nec Sol æque diu moratur in omnib. Zodiaci signis, seu dodecatemoriis, sed alia citius, alia tardius permeat, quod accidit ei propter orbis, in quo fertur, eccentricitatem; nec Luna eodem temporis spacio à synodo ad synodum revertitur propter anomaliam & suam & Solis. Civiles verò non solum diversarum civitatum inter se variant, sed interdum quoque singularum: omnes tamen & ubique dies habent totos, alii plures, alii pauciores. Primi Romani sub Romulo, ut hinc ducamus initium, Albanos & cæteros, unde erant orti, vicinos Italos secuti x solummodò menses in anno habebant, quorum primus erat Martius, dein reliqui ordine nobis etiam nunc usitato: ultimus December, qui circum finiebat. Atque horum aliis xxx, alii xxxi dies tribuebant: hosque plenos, illos cavos appellabant: omnib. simul ccciiii dies complectebantur. His verò x mensib. duos Numa Pompilius rex adjecit, Ianuarium & Februarium, additis in hanc rem ad dies priores aliis ii, atque insuper alternis annis Merkedonium intercalavit, ut anni Romani ratio magis ad naturalem annum, quem motu suo Sol conficit, conveniret. Et sic quidem Censorinus in hac disciplinã vir summus, & ante eum Iunius Gracchus, Fulvius, Varro, Ovidius, Solinus, Plurarchus, ac post eum eruditissimus & diligentissimus Macrobius. Qui idem Macrobius Numam eundem scribit Martium, Majum, Quintilem, Octobrem menses exemplo Romuli reliquisse dierum xxxi, alios omnes præter Februarium in honorem numeri imparis redegisse ad dies xxix: soli Februario assignasse xviii. Verum ab his dissentit Iosephus Scaliger fretus rationib. simul, & autoritate Licinij Macri ac Feneſtella, quos ipse quoque diversum à se sentire Censorinus fatetur. Vult autem Scaliger, jam inde ab initio urbis Romę Romanos exemplo reliquorum Latinorum xii menses usurpasse ad rationem Lunę accommodatos, atque ex his Majo, Quintili, Octobri, Decembri in usu civili dies tribuisse xxix, reliquis omnib. xxx: ita universos menses habuisse dies ccclv, quib. conficiuntur Solis ac Lunę synodi xii. Deinde censet aut Numam aut alium superstitione motum ad declinandum numerum dierum parem velut infaustum, mutatã priori ratione, Martio, Majo, Quintili, Octobri dies dedisse xxxi, ceteris xxix, uni Februario xviii tantum: & hanc mensium communium formam, quibus Merkedonium intercalaris dierum jam xxii, jam xxiii altero quoque anno accesserit, de quo post in anni Romani explicatione prolixius dicetur, mansisse ad ultima reipub. Romane libera tempora. Sed Merkedonium, quod satis omnibus constat, C. Cæsar in consulatu suo iiii sustulit, aliamque intercalandi rationem meliorem induxit, & simul alternis mensibus dies xxx, aut xxxi assignavit, excepto solo Februario, cui xxix tantum reliquit. Atque huic intercalandi modo optimo cum intercalatorum socordiã mox à morte Cæsaris capisset vitium obrepere, Augustus ejus successor Marcio Censorino, Asinio Gallo Consulib. id correxit, & in mensibus quoque aliquid rursus mutavit, eosque sic ordinavit, uti cum ipsã intercalandi formã ad nos usque pervenere. Menses verò hos suos singulos Romani ab initio usque rerum suarum, imprimis ab eo tempore, quo Numa annum digessit, divisere in classes dierum tres numero inter se impares, quarum una à Nonis, altera ab Eidibus, tertia à Kalendis nomen ferebant. Primus cujusq; mensis

*Menses
Romanorum.*

mensis dies ipsarum Kalendarum erat: septimus Martij, Maij, Sextilis, Octobris, quintus omnium cæterorum erat ipsarum Nonarum: decimus quintus ejusdem Martij, Maij, Sextilis, Octobris, decimus tertius verò aliorum Eidus dicebantur. Ab his omnes dies alii secundum classes suas retrorsum in anteriora numerati titulum fortiebantur. Scilicet in iis mensibus, in quibus dies septimus Nonis competebat, sextus prid. Nonarum, quintus III Nonarum aut ante Nonas, quartus IIII Non. aut ante Nonas, tertius V Non. aut ante Nonas, secundus VI Non. aut ante Nonas, aut, quod idem valebat & erat frequentius postridiè Kalend. dicebatur. In quib. verò dies quintus Nonis est dicatus, simili modo retrò ibatur in diem usque mensis secundum, qui IIII Nonarum, aut ante Nonas, aut postrid. Kalend. indigitabatur. Nam ut classis dierum à Nonis denominata in quatuor prioribus illis mensibus dies sex capiebat, sic in reliquis habebat quatuor tantum. Ab Eidibus autem appellata classis omnibus in mensibus parem numerum dierum, nimirum VIII, amplectebatur, qui simili ratione ab Eidibus in antecedentia computabantur, usque in ipsas Nonas: diesque is, qui Nonas proximè sequebatur, postridiè Nonarum, aut VIII Eiduum, aut ante Eidus, qui verò proximè Eidus ipsas antecedebat, prid. Eiduum, aut II Eid. aut ante Eid. vocabatur. At qui Eidibus, ipsis sine intervallo succedebat, postrid. Eiduum ferè nuncupabatur, licet ex eorum esset numero, qui Kalendis imputabantur, quotquot post Eidus reliqui erant ad mensium finem, numero in omnibus pari, excepto Februario: qui quoniam totus dierum tantum XXVIII erat, & tamen totidem dies Nonis & Eidibus imputabat, quot illi, qui complectebantur XXIX, necessariò die uno hac in classe deficiebat. Nec alia heic quam in Nonis & Eidibus numerandi ratio, nisi quod dies hi ad Kalendas referebantur non mensis sui, cujus propriè partes erant, sed mensis sequentis, ab iisque appellationem capiebant. Exemplo sunto: ultimus dies Martij, qui proximè Kalendas Aprilis præcedebat, pridie Kalendarum Aprilis audiebat: penultimus & antepenultimus, item XXVIII, XXVII, XXVI, XXV, XXIIII Martij, III, IIII, V, VI, VII Kalend. April. aut ante diem Kalend. April. dicebantur, atque ita porrò retrorsum gressus fiebat in priora, donec in diem eum, qui Eidus Martij immediatè sequebatur (is erat ejus mensis XVI) incurreretur, qui vel postridiè Eid. Martij, vel XVII Kal. April. appellabatur. Atque hac utique ratione fiebat, ut dies omnes Decemb. Eidibus posterioribus usque ad mensis & anni ejus exitum à Kalendis Januarij anni sequentis denominarentur, diesque XIIII Decemb. qui Eidus proximè excipit, XVII Kal. Januarij vocaretur. Nec in his omnibus quicquam mutatum usque ad C. Cæsarem Dictatorem: à quo cum reformaretur annus, mensiumque plurimi dierum numero auferentur, in Kalendarum classe etiam aliquid variatum: Nonarum & Eiduum ratio tamen eadem relicta. Id exponetur loco suo.

*Menses
Græcorum.*

In veterè Græciâ menses Lunares quondam in usu fuisse apud me dubium non est. Hos, si naturales aut cælestes accipias, definiendi tempore spacio, quod inter Solis & Lunæ synodos duas intercedit. Id spacio secundum utriusque syderis motum medium constat diebus quasi undetriginta cum dimidiato, ut loquitur Censorinus: aut, ut Hipparchus, & post eum Ptolomæus, & cæteri post Ptolomæum celebres astronomi deprehenderunt accuratiore ratione, dieb. XXIX, horis XII, & insuper horæ scrupulis primis XLIIII, secundis III, quanquam motu vero ob siderum horum ἀνωμαλίαν spacio idem interdum fiat majus, interdum

interdum minus. Itaque XII mensibus hujusmodi naturalibus ad civilem modum redactis, qui alternatim dies XXIX, & XXX propter appendices horas illas XII haberent, quorum illos cavos, hos plenos dicebant, annum quoque Lunarem absoluebant explicatum diebus CCCLIII, posthabitis, aut reservatis horis appendicib. VII, & scrupulis horariis XLVIII. Quem Lunarem annum quomodo intercalationib. aptarint ad annum Solarem, qui isto major, post in annorum ratione ostendetur. Imprimis verò Athenienses veteres primis temporib. usum habuisse mensium Lunarium non solum antiqua intercalandi ratio nos docet, sed magis etiam mos ille, quo ultimum, id est, trigessimus mensis diem etiam post, cum jam menses Lunares in usu esse desissent, & pro iis solares usurparentur, ἐν τῷ καὶ νέαν, id est, veterem & novam appellabant. Ea enim appellatio nisi in mensib. lunarib. plenis proprie locum habere non potest, in quib. verè tricesimo & ultimo diei ἐν τῷ καὶ νέα μὲν, ἢ σελήνη compete-

bat. Ejus enim diei pars prior verè ad Lunam veterem, posterior ad novam pertinebat, inter quas partes ipsum tempus synodicum medium erat, quod intermensurum propterea Varro nuncupavit. Cujus verba ad hanc rem apta lubet hic adscribere. *Dies Lunares quoque observandi, qui quodammodo bipartiti. Quod à novà Lunà crescit ad plenam, & inde rursum ad novam Lunam decrescit, quoad veniat ad intermensurum, è quo die dicitur Luna esse extrema & prima, à quo Athenis eam diem appellant ἐν τῷ καὶ νέαν τετρακάδῳ.* Quo eodem Plutarchi quoque locus in vitâ Solonis de anni emendatione facit, ubi ait, *Statuit trigessimam & ultimam appellari, ejusque partem ante congressum Luna cum Sole finito mense, & quæ superesset, venienti atque instanti mense deberi arbitratus est, ut qui antea id (sicut apparet) Homerum audisset dicentem, desinentis & instantis: quæ verò deinceps sequeretur dies, eam ὑπερλωίαν, id est, Calendas appellavit.*

Haecenus Plutarchus: qui rectè sanè in eo, quod de trigesima die mensis Attici dicit, eam duab. partib. constare, alterâ ad mensem exeuntem, alterâ ad surgentem pertinente, & inter utramque medium esse coitum Solis & Lunæ, si id de die tricesimâ & ultimâ veri mensis Lunaris pleni accipit: Sin aliter, errat sine dubio. Nec enim cadere id poterat ullo modo in ultimos dies mensium τετρακονθημέρων Solarium, qui cum Lunæ rationib. nihil habebant commune: quales secutis temporib. fuere in usu. Nec vero simile est, quod Plutarchus innuere videtur, Diogenes Laërtius temerè affirmat, Solonem primùm instituisse, ut tricesima mensis ἐν τῷ καὶ νέαν appellaretur. Nam si Solon appellationis hujus primus autor fuit, necesse est, Solonis sæculo Lunares menses in usu civili apud Athenienses adhuc positos fuisse, & eorum emendationem à Solone esse institutam. Sed hos jam tum absolevisse, & alios ad motum Solis accommodatos dudum ante bella Persica, & ætatem septem Græciæ sapientum in horundem successisse locum, clarissimus Iosephus Scaliger libro primo de emendatione temporum prolixè & evidenter demonstravit.

Atqui isti, qui lunarib. successere, è Solarium genere omnes τετρακονθημέροι fuere, numero XII, complexi dies CCCLX: quib. in anni fine addebantur dies alii duo, quos ἡμέρας ἀνάρχας Athenienses nuncupabant. Quemlibet verò horum mensium iidem Athenienses dividebant in δεκάδας tres: quarum primam dicebant μὲν ἰσαμήνας, alteram μὲν ἰσομῶντες, aut ἐπὶ δέκα, tertiam μὲν ὁσφίνοντες: Dies numerabant sic, πρώτη ἰσαμήνου, δεύτερα ἰσομῶν, τρίτη ἰσομῶν, atque ita deinceps ad decimam, quam δεκάδα ferè dicebant: deinde in decade altera sic, πρώτη μεσομῶν, δεύτερα μεσομῶν, τρίτη μεσομῶν, aut etiam quod non minus usitatum

Lib. 1. c. 37. de re rust.

usitatum, πρώτη ἡ δέκα, δευτέρα ἡ δέκα, atq; ita ulterius usque ad mensis vigesimam, quam ἐκάδα vocabant: in tertiâ denique decuriâ ordine retrogrado, δικάτη φθίνοντ, ἐνάτη φθίνοντ, ὀγδοά φθίνοντος, eodemque modo porro ad diem mensis ultimam vel tricesimam, quam τριακάδα, sæpius etiam, ut jam dixi, ἐντε καὶ νέαν appellabant. Causam appellationis ante ostendi. Et hanc mensium rationem penè omnem, quæ apud Athenienses valuit, maxima pars reliquorum Græcorum quoque tenuit, quanquam mensium nomina non fuerint eadem, sed diversa plerunque in diversis civitatibus: nec mensium principia ubique ad eosdem dies aut tempora concurrerent. Atticorum mensium nomina erant ista: Ἐκατομβαιῶν, Μεταγειτριῶν, Βοηδρομιῶν, Πυανεψιών, Μαιμακτηριῶν, Ποσειδεῶν, Γαμηλιῶν, Ανθηστειῶν, Ἐλαφηβολιῶν, Μενυχιῶν, Θαρρηλιῶν, Σκιρροφειῶν. Ex quib. Ἐκατομβαιῶν Iulio nostro ut plurimum respondebat, Γαμηλιῶν Ianuario: unde de reliquis quoque cognosci potest.

Menses
Macedo-
num.

Macedonum quoque veterum menses fuere XII, & eorum ratio cum ratione Atticorum, & aliorum Græcorum proximè convénit, ut singuli haberent dies xxx. Quorum nomina hæc sunt. Ἵπερβερετῶν, Διῶν, Ἀπιδαιῶν, Λυδωαῶν, Περίη, Δύσερ, Ξανθικός, Ἀρπημισιῶν, Δαίσιος, Πάνεμ, Λῶος, Γορταῖος: quæ nomina Macedones Orientis imperio positi, cum alibi tum in universam Syriam secum intulerunt: eorumque usus per multa sæcula ibidem resedit. Sed qui primus in ordine hoc recensetur Hyperberetæus, veterib. Macedonib. in patriâ cum Hecatombæone Attico & Iulio Romano solet concurrere: in Syria autem, eodem reliquo ordine manente, in autumnale tempus est translatus: quod diligenter notandum monet clarissimus Scaliger. Habuere & Syri veteres, & Chaldæi, qui Astronomicâ disciplinâ præcipuè floruerunt, & plerique populi alii in Asiâ ac Oriente, & Ægyptii quoque menses civiles XII, quorum singuli dies complexi sunt xxx; & summæ ex his confectæ suo loco & tempore adjecti tot, quot anni ratio apud eos poscebat. Ægyptii disciplinâ à Chaldæis acceptâ mensium nominib. usi sunt his.

Menses
Syrorum,
Chaldæo-
rum. ἈΕ-
γυπτiorum.

THOTH, PAOPHI, ATHYR, CHOIAC, TYBI, MECHIR, PHANEMOTH, PHARMUTHI, PACHAN, PAYNI, EPIPHI, MBSORI. Syri veteres hisce: Tisrin prior, Tisrin posterior, Conun prior, Conun posterior, Aschbat, Adar, Nisan, Iiar, Haziran, Tamar, Ab, Ilul. Quinimò primi patres ab Adamo usque usi videntur eodem mensium genere cum adjectione justâ dierum in anni fine: eaque ratio in populo Hebræo continuata est usq; ad tempus Exodi, quando in sacrorum ratione menses ex æquabilibus solaribus facti sunt Lunares, quorum omnium finis & principium cohærebat cum coitu Solis & Lunæ, erantque alternis annis XII aut XIII. Eorum nomina sunt hæc, NISAN, IAR, SYVVAN, THAMUZ, AB, ELUL, TISRI, MARCHESWAM, CASLEU, THEBERI, SCHEBAT, ADAR. E quibus Nisan cum principio veris congruebat, Adar altero quoq; anno bis ponebatur. Arabes etiam antiquitus XII menses, quos ad rationes Lunæ exigebant, ad absolvendum annum suum usurparunt, uti & jam faciunt cum iis, qui ipsos hac in parte sequuntur, præcipuè Turcæ. Nomina sic habent. Muharram, Sephar, Rabie prior, Rabie posterior, Giamedi prior, Giamedi posterior, Regab, Schaben, Ramadhan, Schewal, Dulkaida, Dulchagia.

Menses
Arabum.

Menses
coelestes
Solares.

Solares coelestes sive naturales astronomis usitati, ab ipsis XII Zodiaci signis seu δωδεκατημορλοῖς nomina sunt sortiti. Et hi Græcis appellati sic. Καρκινῶν, Λεοντῶν, Παρθενῶν, Ζυγῶν, Σκορπιῶν, Τοξῶν, Αἰγῶν, Ἰδρῶν, Ἰχθυῶν,

Ιχθυών, Κελών, Ταυρών, Διδυμών. Quas appellationes à veteribus astrono-
 mis, imprimis Dionysio Alexandrino, qui cum Ptolemæo Philadelpho in
 Ægypto vixit, eique familiaris & percarus fuit, in usum receptas Clau-
 dius Ptolemæus in magnâ *συντάξει* suâ nonnusquam etiam usurpat: iis-
 demque frequenter utitur tum in volumine de emendatione temporum,
 tum in canonibus suis Isagogicis Iosephus Scaliger. Quamquam te-
 nendum heic, ne quis in hoc errêt, Ptolemæum & Scaligerum nomina
 hæc ipsa sic quoque usurpare, ut significant iis menses integrorum die-
 rum numero definitos, posthabitâ horarum & partium horariarum ra-
 tione, quæ defunt, aut redundant, *πλατικῶς* scilicet, non *ἀκριβῶς*.
 Quo modo videntur menses hi à cœlestium formâ quasi recedere, & ci-
 vilium formam quandam & naturam induere. Secundùm hanc verò
 rationem *Τοξῶν* & *Λιγῶν* dies tributi sunt xxix, *Παρθενῶν*, *Ζυγῶν*,
Σκορπιῶν, *Τδρῶν*, *Ιχθυῶν* xxx, *Καρκινῶν*, *Λεοντῶν*, *Κριῶν* xxxi,
Ταυρῶν, *Διδυμῶν* xxxii, quòd sic motus Solis in excentrico, qui ce-
 lerior est in signis perigæo vicinis, tardior in oppositis apogæo propin-
 quis, requirat. At secundùm veram formam cœlestem Carcinoni com-
 petunt dies xxxi, horæ xi, scrupula horaria 56, Leontoni dies xxxi,
 horæ vi, scrup. 37, Parthenoni dies xxx, horæ xix, scrup. 51, Zy-
 goni dies xxx, horæ vi, scrup. 29, Scorpioni dies xxix, horæ
 xviii, scrup. 4, Toxoni dies xxix, horæ x, scrup. 4, Ægoni dies
 xxix, horæ viii, scrup. 44, Hydroni dies xxix, horæ xiiii, scrup.
 22, Ichthyoni dies xxx, hora i, scrup. 26, Crioni dies xxx, horæ
 xiiii, scrup. 46, Tauroni dies xxxi, horæ ii, scrup. 54, Didymoni
 dies xxxi, horæ x, scrup. 36, quemadmodum habet calculus Tycho-
 nianus. Sol namq; anno eo, quo hæc commentari cœpimus, qui erat
 æræ Christianæ m d c xi, sub meridiano regionis hujus nostræ, qui A-
 lexandrino in Ægypto occidentalior est horis duabus, ingressus fuit in
 in Cancrum quidem die xii Junii Iuliani, horâ ii, scrupulo 18, princi-
 pio diei sumpto à mediâ nocte; in Leonem autem die xiiii Iulii, horâ
 xiiii, scrup. 14, in Virginem die xiiii Augusti, horâ xx, scrup. 51,
 in Libram die xiiii Septemb. horâ xvi, scrup. 42, in Scorpionem die
 xiiii Octob. horâ xxiiii, scrup. 11, in Sagittarium die xii Novemb.
 horâ xvii, scrup. 15, in Capricornum die xii Decemb. horâ iiii,
 scrupulo 19. Anno autem m d c xii iniit Sol Aquarium die x Ianua-
 rii, horâ vi, scrup. 14, Pisces die viii Febr. horâ xx, scrup. 36, Arie-
 tem die x Martii, horâ xxii, scrup. 2, Taurum die x April. horâ xii,
 scrup. 48, Geminos die xi Maij, horâ xv, scrup. 42. Ex his verò
 diebus & horis & scrupulis coacervatis colliguntur in summâ dies integri
 cccclxv, horæ v, scrupula xlix: quæ vera est quantitas anni cœlestis.
 Quæ quoniam appendicibus his horis & scrupulis excedit annum nostrum
 communem, superatur autem ab anno intercalari scrupulis ferè xi, quæ
 deesse deprehenduntur quadrantibus diei singulis vel horis senis quarto
 quoque anno intercalandis, ex quibus dies unus civilis conflat, hoc
 efficit, ut non eadem ratio heic sit annis omnibus. Et quamquam *δοσο-*
κατάσεις quædam fiat anno quolibet quarto, intercalato die bissexto, ta-
 men nec integra ea est ob deficientia scrupula xi, quorum ratio haberi in
 formando tempore civili haud facilè potest, nec patitur scrupulorum ille
 defectus ingressum Solis in singula *δωδεκατημέρια* præcisè eodem tem-
 pore civili perpetuò recurrere. De mensibus Lunaribus cœlestibus
 veris ob urriusque fideris *ἀνωμαλίαν* paucis dicere perquam difficilè est,
 nec id est hujus loci.

DE ANNIS: ET SIMVL DE TEM-
PORVM EPOCHIS.

Sunt & annorum species diversa. Sunt enim alii naturales aut cœlestes, alii civiles. Et illi quidem aut Solares sunt, aut Lunares. Similiter & hi. Annus solaris cœlestis, qui & vertens ac tropicus dicitur, est temporis spacium, quo Sol totum Zodiacum permeat ab æquinoctio in æquinoctium, vel à Solstitio in Solstitium. Lunaris cœlestis est duratio, quâ Luna menses cœlestes aut naturales XII conficit, id est, duodecies cum Sole congregitur. Civilis autem in utroque genere dicitur, qui positus est in usu civili, alius in alio populo aut civitate. Estque solaris civilis accommodatus ad motum Solis, distinctus in menses solares. Lunaris ad Lunæ magis motum relatus, conflatus ex mensib. lunariis. Solaris porro aut fixus est, aut vagus. Fixus, qui intra terminos ita continetur, ne partes ejus, quæ tempestatibus, certis anni naturalis, ut brumæ, veri, æstati, autumno debentur, in sedes aut tempestates alienas transeant, id est, ne menses hyemi destinati, diesque eorum in tempus verum, & verni in æstivum, & sic deinceps, transferantur. Vagus est, cujus caput cum reliquis partibus totum annum fixum perambulat. Et eandem divisionem lunaris quoque recipit, ut aut fixus sit, aut vagus. Nec in singulis his speciebus eadem in diversis civitatibus, ac populis ratio ac forma, sed discrepans & varia, omnes tamen ad verum utriusque sideris motum quàm proximè pro ingenio & consilio statuentium collimantes. Nos hęc de iis tantùm dicemus, aut præcipuè dicemus, quibus chronologica doctrina potissimùm nititur. Causa verò diversitatis in singulis speciebus est non solum consilium populorum aut principum fancientium, quo alii aliud in formando anno secuti sunt, & simul astronomicæ rei major minorvè peritia, imprimis motus solaris lunariisque magis minusvè accurata cognitio, sed vel maximè hæc, quòd sideris utriusque motus nulli certo numero dierum ac horarum, quibus majora tempora, menses & annos, metimur, perfectè respondeat, semperque accidat, ut quemcunq; numerum sumpseris, aliquid in eo redundet, aut deficiat. Taceo de anomalia, quæ in motu & Solis & Lunæ deprehensa olim est, deque altera Solis anomalia, & de æquinoctiorum anticipatione, quæ post Ptolemæi tempora ab Astronomis animadversa fuere, quæ omnia eodem quoq; faciunt. Quibus incommodis ut mederentur, & in ea inæqualitate, id quod æqualitati proximum esset, obtinerent, diversi diversa, pro suo quique ingenio, ac scopo, quem propositum habuerunt, invenere, & in usum civilem traduxerunt.

Anni primi
MOYANI.

Antiquissimos patres jam inde ab Adamo, & rerum omnium conditu annis solaribus fixis credimus esse usos, confectis ex mensibus XII æqualibus dierum tricenorum, & diebus insuper quinque in exitu annorum adjectis, reservatâ horarum VI æquinoctialium residuarum, quibus revolutio Solis excedit hos dies, appendice, donec ex iis post certum annorum decursum mensis integri modus excreveret, isque annorum illorum exactorum ultimo, velut mensis decimus tertius adderetur. Id factum fuisse anno quolibet centesimo vicesimo clarissimus Scaliger statuit. Credimus verò hoc, quod diximus, ob ea maximè, quæ in historiâ diluvii de diebus & mensibus, & annis à Mose sunt annotata, quæ per omnia cum annorum formâ hujusmodi conveniunt, ut idem Scaliger doctissimis rationibus demonstravit. Idem autem etiam Epocham, id est, caput & principium sæculi illius à primordio rerum labentis ducit à die XXVI Octobris secundum formam anni nostri, tempore scilicet autumnali, idque propter has rationes.

Primum

Primum, quia varia argumenta verosimilia sollicitant, ut putemus exordio mundi autumnum potius, quam quodvis anni tempus aliud quadrare: deinde, quia perpetuus consensus antiquissimorum Iudæorum hoc idem tenet, qui hanc quoque ob causam in computo suo, quod MCCCCLXVII annis ante diluuium auspicantur, annorum capita in autumnno collocant: tum quod ex sacris literis videamur haud absurdè posse conficere patriarchas & populum DEI ante exitum ex Ægypto anni formâ usos esse, quatum quoq; Chaldæi ac Syri usi sunt, sed initium ducente ab autumnno, cum apud illos anni surgerent cum primo vere; & quod ab omni ratione alienum sit, imò cum omni ratione pugnet, existimare aliud principium annorum in usu fuisse tempore patriarcharum Abrahamæ, Isaac, Iacobi, posterorumque, quam tempore diluuii, & rursus diluuii tempore aliud, quam in exordio mundi: Demum, quod Scaliger sine dubitatione statuerit, ex Astronomiæ rationib; constare, eo ipso anno, quo conditum esse mundum ex patrum genealogiâ colligimus, qui millesimus sexcentus quinquagesimus sextus est ante eum, quo diluuium accidit, & eo ipso quoque, quem diximus, die xxvi Octob. novilunium cum æquinoctio concurrisset, id est, Solem & Lunam, luminaria illa duo magna sub ipsâ interfectione æquatoris & semite planetarum conjuncta fuisse; *συνδρομην* scilicet memorabilem, & dignam, quæ Epocham cœlestem constituat, & non annum solum, sed annorum etiam seriem auspicetur. Atque ita quidem fuerit dies ille xxvi Octobris aperiens autumnum, primum scilicet anni primi quadrantem, primumq; ejus mensem, quem Æthanim vocarunt, id quod ex computo certum fit, feria prima *ἑβδομάδος* primæ post *ἑξήμερον* operum ac sabbatum primum, quo requieuit dominus ab omni opere: capitq; hinc & *ἑβδομάς* illa, & perpetua sæculorum successio decurrere. In quâ successione & periodi jubilæorum, & hebdomadam annalium ratio exactè sibi constant, & cum iis, quæ de his hic illic in sacris literis memorantur, miro consensu conspirant. Nam si quis Jubilæa, de quib; in lege Mosis præceptum est, periodos nimirum annorum XLIX (tot enim jubileum sine dubio conficiunt) in anteriora extendere, & ut chronologi ferè faciunt, à primordiis mundi repetere velit, inueniet ab hoc, quod designauimus, tempore, imò ab hoc die ad annum verum *κληροχίας* inclusivè, (is est annus MCCCCLXIX,) quo terræ divisio per Iosua facta est, quem excepit primus *γεωργίας* annus, qui fuit MCCCCC, absoluta esse jubilæa hujusmodi proleptica, seu periodos *ποσαρξακονταέννεατηράδες* LI exactè, atque hinc jam immediatè cum ineunte anno primo *γεωργίας* capisse fluere vera Jubilæa Mosaica perpetuâ ferie ad excidium alterum Hierosolymæ imperatore FL. Vespasiano. Similiter & in hebdomadibus annalibus, quæ sunt periodi annorum septem, quas claudit semper annus sabbaticus exiens, si quis velit facere, comperiet annum hujusmodi Sabbaticum trecentésimum quinquagesimum septimum, hebdomadis scilicet trecentésimæ quinquagesimæ septimæ, finiri cum eodem illo *κληροχίας* anno: à quo sine principium ducitur *ἑπτατηρίδων* Mosaicarum, quas religiosè seruarunt Iudæi usque ad idem Hierosolymæ excidium secundum, & dispersionem totius gentis, ex quib; septies multiplicatis existebant *ποσαρξακονταέννεατηράδες*, periodi scilicet Jubilæorum. Denique, quod etiam notabile, *ἑβδομάδες* dierum ab eodem principio exorientis mundi per tot annos & dies computatè deprehenduntur congruere cum tempore sabbati primi Mosaici in deserto Sin celebrati. Nam centies vices septies millesima nongentesima septuagesima secunda hebdomas cum primo hoc sabbato terminatur; unde perpetua series ad extrema hæc mundi tempora porrò perducta est.

B ij

Atque

In hanc
sententi-
am Scali-
ger de
nit se
cussit
rationes
tabula-
rum Pre-
tenticarum
computatâ
siderum
motu me-
dio, aut
æquabili
motu æ-
quinoctio-
rum.

Atq; hæc anni forma quanquam cum Exodo ex Ægypto Israëlitis mutata est in sacris, novæque Epochæ cessit, ut paulò post ostendemus, tamen in contractib. & reb. civilib. usum retinuit ad medium ferè regnum Seleucidarum in Syriâ.

Anni popu-
lorum
Orienta-
lium.

Nec verò Hebræi solùm, sed & aliæ pleræque gentes in Oriente, Assyrii, Medi, Persæ, Syri, Armenii, imprimis autem Chaldæi Astronomiæ ante omnes dediti ac periti, ex quibus Abraham originem duxit, hanc anni formam ab antiquissimis temporib. tenuerunt. Placuerunt enim rationes ejus ut minimè operosæ, & proximè cum rationibus Solis atque anni vertentis, quas paucis tantùm horariis scrupulis vincunt, convenient. Hoc modò differentiæ fuit inter annos Hebræorum, & Chaldæorum Assyriorumque, quorum ut conjunctæ primis temporib. ita vetustissimæ res fuere à diluvio, quòd Hebræi, ut à patribus acceperant, cum æquinoctio autumnali annos inchoarunt, Chaldæi ac Assyrii à verno.

Epocha
antiquissi-
ma Chal-
dæorum.

Antiquissima horum Epochæ, quæ Chaldæica nominatur, sive memoriæ ædificatæ primùm Babylonis, ac dispersionis gentium, quod mihi ob temporis rationem verisimillimum videtur, sive Beli regis primi, sive Nini filii ejus, sive reginæ Semiramidis feminæ admirabilis, quæ Babylonem auxit & munivit, quod Scaligero summo viro maximè placuit, dedicata ea fuerit (non enim satis hoc constat) LX circiter annos diluvio universali posterior est. Nam ad annum mundi MDCCVII pertinet, initio ducto ab æquinoctio ejus verno, quod tum cum VIII die Aprilis nostri, si annos nostros Iulianos in anteriora placuerit extendere, congruebat. Quòd Callisthenis epistola nos docet ad avunculum & præceptorem Aristotelem scripta, quam Simplicius Aristotelis interpres citat. Callisthenes enim Aristoteli quærenti, cum Babylone ageret cum Alexandro Magno, & ab eruditis Babyloniorum ac Chaldæorum, quos consuluerat, edoctus esset, respondit per epistolam, eum annum, quo Alexander Babylonem occuparat, vetustissimæ Chaldæorum Epochæ esse millesimum nongentesimum tertium. Erat autem is annus mundi ex sententiâ nostrâ ter millesimus sexcentessimus, vigesimus, Olympiadis centesimæ duodecimæ, secundus, ante natalem Christi vulgarem 330. Deductis igitur annis MDCCLIII de MMMDCXX remanet annus mundi pro Epochâ Chaldæicâ MDCCLVII. Nec discrepant ab hac sententiâ ratiocinia Diodori Siculi ex Ctesia rerum Chaldæicarum, & Persicarum scriptore de initio Nini, & interitu Sardanapali, & Medorum regib. qui Sardanapalum secuti sunt ad principia Cyaxaris aut Astibaræ.

Manfitque eadem anni ratio, idemque ejus caput æquinoctio verno affixum in usu civili apud Chaldæos & Assyrios & Medos ac Persas & alios Orientis populos, qui horum imperiis parvè, per multa sæcula ad Alexandrum usque magnum, atque adeò post Alexandrum ad medium ferè regnum Seleucidarum.

Nam Medi & Persæ, quandiu vicinis potentiorib. parvè, dominorum suorum instituta in hac re sunt secuti; Et cum ipsi ad imperium pervenissent, iis, quib. assueverant antè, & quib. nihil rectius nossent, uti perrexerunt. Quanquam hac

fluente ærâ vetustissimâ, & eadem anni formâ manente non rarò acciderit, ut in honorem regum novæ epochæ in iisdem gentib. sint institutæ. Cujusmodi fuit, quæ Arbæci Medo, cum Sardanapalum evertisset, annis MCCCIX ab ærâ illâ primâ in Ἐπιγονισμῶ ipsius à Medis dicata fuit.

Epocha
Nabonassari.

Item altera multò quàm illa clarior, quæ, cum Babylonii ab imperio Medorum duce Nabonassaro defecissent, eidem Nabonassaro annis CXXVI post illam, & MCCCCLXXXVI post primam, anno Mundi MMMCCIII consecra-

consecra-

consecrata est, Cujus eò major celebritas fuit apud Chaldaeos Astronomia deditos, quod ἐθρονισμός ejus regis, qui ipsos ab imperio Medorum afferebat, cum æquinoctio verno, & νεμλίωα primi mensis, quæ tum ad diem xxviii Martij nostri pertinebat, concurreret. Quam ob causam observationes motuum cœlestium perpetuæ deinceps à Chaldaeis ad hanc æram relatae, posteritatisq; memoriæ commendatae sunt, quas identidem citat Ptolomæus Ægyptius. Vnde & Ægyptia æra Nabonassaræ, Ptolomæo eidem toties memorata, de qua mox dicemus, dimanavit. Fuit quoque tertia Nabopallassaro Babyloniorum regi præpotenti, patri Nabuchodonosoris constituta, quam & Ptolomæus ex commentariis aut pinacib. Chaldaeorum recitat, & in sacro codice ab Ezechiele propheta statim in ipso initio libri ipsius sine dubio, ut suo loco demonstrabitur, designatur, cxxii solidis annis Nabonassaræâ posterior. Nam ad æquinoctium vernum anni cccxxiii ineuntis æræ Nabonassaræ Chaldaicæ pertinet, cum rursus ἐθρονισμός magni regis, & æquinoctij ac neomeniæ primi mensis σαρδωμὴ est facta: cujus æræ aut Epochæ anno xviii Nabuchodonosor omnium regum profanorum in historiâ sacrâ celeberrimus vivente adhuc patre in Syriâ, in quam à patre cum exercitu missus erat, cœpit. Quod rectè cognitum lucem maximam affundit historiæ sacræ, ut infra patebit. Denique Cyro Persarum regi anno regni ejus Persici xxviii, post Babylonem captam subactis longè latèque Asiæ populis, ut verè jam dicere victor posset, Deus dominus cœli dedit mihi regna terræ, quemadmodum est 1. Esd. i, similis Epochæ nova, tanquam monarchæ totius Asiæ domino consecrata est, cujus respectu nominatur annus ejus primus in historiâ sacrâ, 2. Paral. ultimo, & 1. Esd. i. Et hæc quidem anni ratio, cujus caput, ut dictum, ab æquinoctio verno surgit, pertinacissimè hæsit in Chaldæa & Perside, ac vicinis Orientis regionibus usque ad tempora Saporis regis Ormizdæ filij, & annum æræ Christianæ cccxxv, quando luxari cœpit intercalatio, & ἐπιζέμεθαι ἡμέρας in mensem sequentem sunt translatae. Sed instauratio rursus facta à Iezdegirde ultimo Persarum rege ex Persicâ profapiâ, caputque anni ad æquinoctium vernum, concurrans cum die xviii Martij mensis, reductum anno Christi dcccxxii, novaque hæc Epochæ ab hoc anno & die surgens ab autore Iezdagirdica dicta est, quâ ad hanc præsentem ætatem utuntur astrologi Persidis. Sed in usu civili altero statim anno à sui initio desit, Iezdegirde rege à Caliphâ Saracenorum Othmen caso, & imperio à Persis ad Saracenos translato. Nam victor in victoriæ suæ monumentum & auspiciam novi regni novam rursus epocham instituit, in quâ caput anni constituit diem xvi Junij Juliani; quæ tamen Persarum studio Iezdegirdicæ nomen apud posteros retinuit. Cui postremò eodem in regno Sulthanica æra, cui & Gelalææ nomen, successit anno Christi mxxxix, in quâ anni principium æquinoctio verno sic affixum est, ut quocunque diei ac horæ momento Sol deprehenditur Arietis primum punctum ingredi, statim νεμλίωα primi mensis, qui Phrurdin aut Pharavardin Persis nominatur, indicetur. Ea usque hodie in Perside & vicinis regionib. durat, cujus anni cum annis tropicis aut cœlestib. ad unguem congruunt, nec intercalatione ullâ habent opus.

Armenij etiam veteres annos Persicos & Chaldaicos in usu politico constanter servarunt ad tempus recepti Christianismi; quod pertinet ad annum Christi dlxii. Nec alia Arabum veterum, gentis latè patentis, ratio fuisse videtur, donec à Mahumete pseudoprophetâ cuncta apud

Epocha
nova Cyri
totius Ori-
entis do-
mini.

eos perversa circiter annum Christi DCXXII, quo ara illi consecrata est, quæ à fuga ejus ex urbe Mecha HEGIRA est vocata, principium ducens à die XVI mensis Iulij Iuliani, atque etiam nunc apud Musulmannos ac Turcas usum retinens.

Anni Hebraorum
novi tem-
pore exitus
ex Ægypto
insti-
ti,

Rèdeo ad Hebræos. Hi cum priscam illam anni formam à patriarchis acceptam, cujus caput cum autumnii æquinoctio, quod tunc ad diem VII Octob. nostri pertinebat, per tot sæcula à XXVI Octob. ubi in principio rerum fuerat, eousque progressum cohærebat, ad exitum ex Ægypto retinissent, præcepto DEI ab exitus illius tempore formam novam, & planè aliam in reb. omnib. ad religionem pertinentib. receperunt, priore in reb. reliquis etiam tum residuâ. Ea verò forma nova lunaris erat, ita comparata intercalationib. ut pascha, quod lunâ decimâ quartâ primi mensis celebrari religio cogebat, terminos verni temporis non excederet, erantque XII mensium dies, ut exigit lunaris ratio, alternatim xxx, aut xxix, quod menses plenos aut cavos dicunt. Intercalatio autem fiebat, quando erat opus, post mensem XI, cui nomen Scebat, geminabaturque nomen ultimi mensis Adar, sic ut priore loco intercalaris, posteriore ordinarius censeretur. Mensium nomina supra recensui, quorum primus in hoc anno lunari erat Nisan, in altero, qui contractum dicebatur, & reb. profanis serviebat, Tisri. Quæ verò intercalandi ratio fuerit accurata ad pascha & cætera festa intra fines continenda, id hic non est differendum plenius. Nobilissima epocha ex omnibus, quæ in veteri testamento extant, duob. insignib. characterib. notata, & feriâ & anno sabbatico, qui aberrare nos à vero ejus tempore non sinunt, modò animum advertere, & rationib. planis & certis locum dare velimus, ut præclare doctissimus Scaliger demonstravit. Et hujus anni lunaris usus in populo Iudaico perstitit non modò florente politiâ ejus, sed etiam in exiliis & captivitatibus, ac perstat etiam hodie sine vitio. Interim tamen Seleucus Nicator, qui latissimum imperium in oriente à morte Alexandri Magni occupavit, ac totius Asiæ diadema sibi imposuit, ut ait Eusebius, cum populis imperio suo subjectis perennandæ memoriæ & augendæ gloriæ suæ causâ novam aram daret, Syriisque, inter quos regni sedem præcipuam constituerat, ex formâ Calippicâ annum ordinaret in euntem ab autumnio, annoque menses pro Syriacis Macedonicos tribueret, Iudæis quoque hujus aræ usum irrogavit. Et hi arâ quidem admittens, tamen ne sacrorum tempora sibi turbarentur, principium ejus non ab autumnio, sed à vere, anticipato tempore Syriaco, duxerunt, formamque anni lunaris cum mensib. patriis retinuerunt. Atque hæc est ara illa, quam Græcorum appellat liber prior Maccabæorum, diversa ab eâ, quâ autor libri secundi utitur, quam eandem cum Antiochenâ Syriæ, aut, ut in Canonib. Isagogicis ejus est, cum alia, quæ Chaldæis ab eodem Seleuco publicata fuit, toto anno Iudaicâ recentior, Scaliger censet. Diverfitatem certè extra controversiam ponunt tum discrepantia in numerandis annis, tum nomina mensium pro Hebræis Macedonica, tum ipsè scriptor Iudæus ἐπιλυσιζων, procul patria vitam degens. Id verò græcè Moisaicæ peculiare est, religiosissimè semper à Iudæis observatum, cujus quoque prius meminimus, quod septenis diebus perpetuo ordine se mutuo excipientib. universum ejus tempus distinctum sit, quas hebdomadas dicimus. Vnde postea in gram Christianam cum religione Christianâ id ipsum defluxit, character temporis præcipuus, si feria hebdomadis cum mensis die in notandis actis aut eventis à scriptore copulata reperitur. Itaque non parvus ejus usus in restituenda Chronologia fuerit.

Ad

Ad Ægyptios annos accedo. Ii solares quoque sunt, ex Chaldaicis sine dubio derivati. Id enim solum discrimen habent ab illis, quòd intercalatione careant, omnesque omninò inter se pares sint, constantes singuli solidis dieb. cccclxv, omisso ac neglecto residuo diei quadrante, ex cujus quadrantis collectione Chaldaei centesimo vicesimo quoque anno mensē totum conficiunt, & intercalant, annumque eum intercalarem faciunt mensium XIII, dierum cccxcv. Vnde hoc sequitur, ut quemadmodum caput Chaldaici anni vagatur quidem in anteriora discedens ab æquinoctio verno, & singulis quadrienniis anticipat diem unum, attamen intra metam dierum xxx, & δωδεκάμησεος piscium consistit, sic hujus Ægyptij eodem quidem modo vagum sit, eundo in anteriora, sed sine fine, totumque annum nostrum, & Zodiacum circulum perambulet. Quam ob causam non immeritò vagus annus à scriptorib. appellatur, cujus menses qui æstivi fuerant, temporis circumactu, verni, hyberni, autumnales in orbem fiant. Orbis autem ille, id est, revolutio capitis vagi per totum annum nostrum integrè conficitur spacio annorum nostrorum, quos Iulianos appellamus, mccc lx, Ægyptiorum vagorum mcccc lxi. Circumactu enim hoc capitis vagi annus unus Ægyptiis accrescit, quorum mcccc lxi anni pares sunt dierum numero annis nostris Iulianis mcccc lx. His verò Iulianis tot lustra quadriennia continentur, quas περαιοιίδας vocant, quot sunt dies in anno Ægyptiaco, aut communi Iuliano nostro. Cæteroqui annus hic Ægyptius, quemadmodum Chaldaicus communis, ut est à nobis ante quoque diem, menses habet XII pares inter se, dierum tricenorum, quib. in fine dies adijciuntur v, quas ημερας επανομιδας Ptolemæus nuncupat. Mensium primus illis θωθ dicitur, à quo caput quoque anni eodem nomine afficitur. Reliquorum mensium vocabula supra recensui. Astronomi Ægyptii, quorum κορυφαίος est Ptolemæus Alexandrinus, horum annorum seriem continuum repetunt à principio Nabonassari regis Babylonii illius, de quo in annis Chaldaicis diximus. Sed Epocham Chaldaorum æquinoctio affixam Epocham suam spacio menstruo dierum xxx anteverunt, inchoantes eam non à tempore ενθρονισμῶς ejus regis, quòd Chaldaei faciunt, sed ab eo momento, quo in annorum illorum ratione tum νεομηνία θωθ annum aperiens in Ægypto celebrata fuit. Id verò factum eo anno die xxvi Februarij nostri in ipsa meridie, à qua dies suos iidem astronomi Ægyptij perpetuò ordiuntur, cum æquinoctium eodem anno pertinuerit ad diem Martij nostri xxviii, quo Ægyptiis jam νεομηνία παωφι fluebat. Ita Ægyptiaca Epocham Nabonassari cohaeret νεομηνία ιχθυών, Chaldaica autem κελών. Mos quippe Ægyptiis, præcipue astronomis, fuit, ut Epochas non à die ενθρονισμῶς regum, aut eventus alicujus celebris, sed à νεομηνία θωθ, quæ proximè ενθρονισμῶν aut eventum præcedit, sequiturvé, Epochas suas inchoent. Docet id non solum hoc exemplum, sed etiam Epocham Alexandream, quæ non à die mortis Alexandri, qui die xviii Aprilis nostri obiit, sed à νεομηνία θωθ Ægyptiacam, quæ concurret tunc cum XII die Novembris anni Iuliani nostri proximè præcedentis: quæ quidem Epocham novam, quæ & Philippea dicta fuit, prioris illius Nabonassari usus in Ægypto elusus est: quemadmodum rursus hæc, succedente aliâ Actiacam Augusteam, concidit. Et huic quidem itidem initium datum nec à die victoriæ Actiacæ, nec ab eo, quo Alexandria ab Augusto capta est, & Antonius semet interfecit, sed cum primo θωθ anni Ægyptii, qui tunc incidit in diem xxxi mensis Augusti. At anni ratio mansit eadem in grâ Philippeam aut Alexandream, quæ fuerat

Anni AE-
gyptiaci
forma usu-
ata

fuerat in Nabonassareâ : sed in Actiacâ Augusteâ mutata est decreto Cæsaris Augusti, & ex capite vago factum est fixum, affixum scilicet eidem diei xxxi Augusti nostri, ibique conservatum adhibitis intercalationib. ex formulâ Iulianâ, de quâ in anno Romano reformato dicendum. Atq; hæc ratio mutata sub nomine æræ Actiacæ in Ægypto duravit usque ad annum à natali Christi Dionysiano vel vulgari cclxxxiiii, quo anno cœpit in eâ regione æra alia sanctorum martyrum dicta, à Christianis instituta ob cyclum Paschalem, sed ob odium Christiani nominis, contra quod gravissima post aliquot annos instituta persecutio fuit, Diocletiana in honorem imperatoris persecutoris est nuncupata; cujus caput Ægyptiis Christianis fuit dies xxix mensis Augusti, in quem tum novilunium primi mensis autumnalis cum *veopolwa* Tisri Judaici, & *ῥωθ* Ægyptiaci incidebat, quod commodum erat cycli exordio; Græcæ autem & Latinæ Ecclesiæ à mense Martio anni sequentis, in cujus diem xxiiii incurrebat novilunium proximè antecedens pascha Iudaicum. Quæ æra etiam nunc usum retinet inter Christianos in Ægypto degentes annos inchoans à *ῥωθ* affixo fini Augusti, quanquam cyclus paschalis sæpe sit sub incudem revocatus, aut novis descriptionib. instauratus. Sed ad superiora redeundum. Ab ærâ Nabonassari ad æram mortis Alexandri fluxere anni Ægyptiaci vagi cccxxiiii, & hinc porro ad æram Actiacam, a ut mortis Antonij anni similes cxciiii, omnes absoluti, atque ita simul à primò *ῥωθ* Nabonassareo ad primum *ῥωθ* Actiacum dccxviii. Ab hoc, quod primum factum est *ῥωθ* fixum, ad *ῥωθ* primum Diocletianicum, aut initium æræ sanctorum martyrum in Ægypto anni Iuliani aut nostri cccxiii. Sed notandum hic, quòd quanquam decreto Augusti in ærâ Actiacâ anni ex vagis statim facti sint in usu civili, tamen vagorum usus ob commoditatem apud astronomos resederit; quod ex Ptolomæo, Theone, & aliis, quos citat Ptolomæus, est manifestum. Vtrum verò anni vagi etiam ante Epocham Nabonassari usitati fuerint astronomis in Ægypto, conjectare licet, certò dicere non licet, cum testibus idoneis hic destituamur. An autem in civili usu locum in eadem Ægypto habuerint, dubitari etiam forsan potest. Certè magnus Scaliger in eo sibi constare non videtur. Me movet, ut habuisse credam, quod Cæsar Augustus, cui civile tempus curæ fuit, & in eo epocham constituere novam in honorem suum voluit, ex vagis statos fecerit, ejusque, qui tum inibat, vagi capiti Epocham affixerit, potiùs id sine dubio facturum in anno alio civili, si quis alius in usu civili Ægyptiis tum fuisset. Cui simile de ærâ Philippeâ à morte Alexandri dici potest. Nam astronomis certè nova æra data à Macedonib. non fuit, Cui rei enim? Nec hi istâ potiùs quàm Nabonassareâ sunt usi ad ultima usque tempora: sed perennandæ Alexandri, aut parentis ejus gloriæ æra illa in usum civilem est introducta. Accedit Censorini autoritas, disciplinæ hujus de temporib. & annis peritissimi: qui expressè scribit cap. xv. Ægyptiorum annum CIVILEM solùm habuisse dies cccxv sine ullo intercalari. Quòd verò de intercalatione quadrantum annis singulis, atque ita diei totius quolibet quadriennio *εὐλαδέρως* factâ pereleganter & eruditè idem Scaliger disputat Canonum Isagogicorum libro iii, id expendendum, an non ad annos sacerdotibus aut magistratui peculiare, in usu verò vulgi non positos, cujusmodi Athenis Prytanici anni, & alii alibi fuerunt, potiùs quam civiles pertineat: in quam sententiam ipse nos Scaliger libro eodem in caput decimum ducere videtur. Sat multa, aut potiùs nimis multa de annis Ægyptiacis, quorum ærâ nihil est insignius nihil

nihil firmitus in re Chronologicâ propter observationes *φανομένων* cœlestium & Chaldaicas & Ægyptiacas ei inscriptas, probè respondentes ratiociniis artis & artificum, in quibus errare non possumus.

Vetustissimos Græcorum annis Lunaribus quondam esse usos, sed intercalando ad modum motus Solis eosce retraxisse, valdè est verosimile. Arguunt enim hoc ea, quæ de Lunarum mensium usu supra disputavi.

Anni
Græcorum.

In iis verò excellit id, quod de appellatione diei tricesimæ, quam *ἑνὴν καὶ νῆεν* Athenienses dixerunt, differui. Nec enim hoc nomen propriè ei, nisi in mense Lunari pleno, ut istic ostendi, competere potest: nec possunt ex Lunaribus mensibus alii, quam Lunares anni existere. Qui ne

vagentur nimis enormiter, tempestatesque permutent, intercalatione habent opus, per quam ad metam quasi retrahantur. Sed & illud huc pertinet, quod de trieteride in veteri Græciâ quondam usitatâ Censorinus optimus autor scriptum reliquit. Priscæ in Græcia civitates cum

animadverterent, dum Sol annuo cursu orbem suum circuit, Lunam novam interdum terdecies exoriri, idque sæpe alternis fieri, arbitrati sunt, Lunares XII menses & dimidiatum ad annum naturalem convenire. Itaque annos civiles sic statuerunt, ut intercalando facerent alternos XII mensium, alternos XIII; utrunque annum separatim vertentem, junctos

ambos annum magnum vocantes. Idque tempus *τριετηρίδα* appellabant, quod tertio quoque anno redibat. Hætenus Censorinus. Ista verò omnia sine dubio ad Lunarem rationem fuere comparata. Taceo,

quod Olympiadas suas Elidenses, & post hos Græcorum alii suas quoque *τριετηρίδας* à noviluniis haud dubiè auspicarentur etiam tum, cum solarium annorum usum jam recepissent: in quo vestigia fuere reliqua formæ lunaris antiquitatæ. Sed nos omissis his de annis Lunaribus, quæ obscura & incerta videri possunt, de annis solaribus Græcorum dicemus.

In his aliud aliis civitatibus Græciæ præcipuis placuit. Qui factum est, ut magna eorum fuerit varietas, quanquam in rei summâ ferè consensus confiterit. Nos de celeberrimis agemus, Elidensibus, Atticis, Macedonicis, (nam & hos Græcis annueramus,) unde cæteri cognosci poterunt. Omnibus menses fuere in usu civili XII pares inter se dierum tricenarium, ex quibus dies CCCIX conficiebantur, quot diebus annum Græcum

contineri sæpè à veteribus est notatum: Sed adjiciebantur his in anni exitu dies duæ, quæ ad methodum Græcanicam deerant, quas *ἀνάρχες*, aut *ἀρχαίαι* Athenis vocatas esse eruditissimus Scaliger nos docet, propterea quod id biduum sine magistratibus legitimis esset, quorum imperium XII mensib. aut diebus CCCIX, & quod eodem redibat, X Πρυτανείαις terminabatur, & quod civitatum creandis magistratibus novis

vacaret. Verùm quoniam intercalatione hac quolibet quadriennio dies una supra justum modum in methodo illâ eadem supererat, ea certo loco, post primam scilicet *ἑξαιρέσιον* mensis eximebatur, dicebaturque *ἑξαιρέσιον*, ut ipsa exemptio *ἑξαιρέσιον*. Methodus, de quâ dixi, talis. Post *τριετηρίδα*, quæ lunari rationi vicinior erat, nec satis commoda ad menses in sedibus suis retinendos, *πρυτανείαις*, id est, lustri quadriennis usus Græcis plerisque placuit; quam etiam *πρυτανείαις* vocarunt, eò quod, quadriennio solido finito, quinto quoque anno ineunte redibat. Eâ primùm Elidenses sunt usi, in cujus auspiciis, ut fieri ferè in periodis

hujusmodi solet, solennes ludos dederunt Iovi Olympio sacros apud Olympum oppidum, à Pelope quondam institutos, deinde ab Hercule repetitos, denique ab Iphito Elidis rege majore religione instauratos, legibusque pluribus firmatos, ab eoque tempore perpetuò observatos, qui &

à Ded

Prytanæ
erat tem-
pus dierum
xxxv, &
quasi deci-
ma pars
anni Lun-
aris.

à Deo, cui dicati erant, & à loco Olympici dicti sunt, & ab his Iustrum id τετραετηρικόν cum ipsâ panegyre toti Græcæ communi, OLYMPIAS nuncupata, alterum Chronologiæ columen in literis profanis. Eli- densium verò exemplo τετραετηρίδες similes, in Phocide cum ludis Apol- lini dicatis Pythias, Athenis cum festivitate Palladi sacrâ Panathe- næa, institutæ, sed quæ initiis suis ac ludis uno semper anno Olym- piadum initia & panegyres anteverterent. Tertio enim quoque Olympiadum anno agebantur. Et fuere alię alibi. Sed omnes ut vetustate ita celebritate Olympiades procul superarunt, & post eas Pa- nathenaiçę. Erat autem Olympias, & qualibet τετραετηρίς qua- driennium Græcum inter duas conjunctiones Solis & Lunæ interje- ctum, complexum dies MCCCXLVII, in quib. syzigie luminum XLIX. Sed cum annus Græcorum communis, ut dictum jam est, XII. mensibus, & quilibet mensis xxx tantum dieb. constaret, atq; ita XII menses CCLX modò dies colligerent, totum quadriennium hac ratione diebus MCCCXL absolvebatur. Itaque ut suppleretur id, quod ad conficiendum totum intervallum inter duas luminum syzygias alteram inchoantem, alteram finientem τετραετηρίδα deerat, quotannis dies ἀναρχοι duo velut appendices in anni exitu, uti jam dixi, adjiciebantur: & sic totius τετραετηρίδος dies fiebant MCCCXLVIII. Qui modus cum uno die justum excederet, dies alius ex iis, qui mensibus erant legitimi, anno ultimo τετραετηρίδος aufe- rebatur, qui dies ἐξαιρέσιμος ex re dicebatur. Is erat Atheniensibus secundus Boëdromionis mensis, qui Septembri ferè nostro respondet: & tum statim post πρώτη ἡμέρα ἢ τρίτη numerabatur, & sic deinceps. Interdum verò post certos annorum orbis dies quoq; alter tollebatur pro- ximè sequens priorem; ac tum post πρώτη ἡμέρα βοηδρομιῶν continuò numerabatur τετάρτη, atq; ita porrò. Annus autem, quo ἐξαιρέσις fiebat, ἐξαιρέσιμαίος expuncto die uno, δισηξαιρέσιμαίος exemptis duobus vocabatur. Sed quia annus etiam hac ratione minor erat duratione illâ, quâ Sol to- tum Zodiacum percurrit, qui verus annus solaris est, (tres enim dies inte- gri aut amplius quotannis deficiebant) ne propterea menses & festa in alie- nas anni naturalis tempestates incurrerent, institutum fuit, ut annorum ini- tia nunquam solstitia anteverterent, & ut primus cujusvis τετραετηρίδος annus ab eo novilunio inciperet, quod κεντρὸν solstitiale proximè sequere- tur, id verò quod deerat huic rei obtinendæ tempus ut intercalatione suppleretur. Intercalatio autem placebat non paucorum dierum fre- quens, sed totius potius mensis rarior, cum ad eum numerum dies defi- cientes excrevissent, quòd cum vertentibus annis octo ferè fiebat. Vnde ὀκταετηρίς primùm Cleostrati Tenedii circiter Olympiadem LXI publica- ta, emendata deinde ab Harpalo, ut Harpalæa vicissim ab Eudoxo Cnidio, qui annis CLXVIII recentior est Cleostrato, extitit, complexa πεταετη- ρίδες duas, alteram communem dierum MCCCXLVII, mensium civilium XLVIII, syzygiarum XLIX, alteram intercalariam, quam ἐμβολιμαίων di- cebant, dierum MCCCCLXXVII, mensium civilium XLIX, syzygiarum L: atq; ita ipsa tota Octaeteris dierum fuit MMDCCLXXIII, mensium civilium xcviij, syzygiarum xcix. Differebat autem Harpalæa à Cleo- strate, quòd hæc tota popularis esset, & popularibus annis ac mensibus distingueretur, illa verò ad rationes Lunæ magis accederet, & annos men- sesque πρυτανείων, qui nihil ad populum, sed tantum ad magistratum per- tinebant, (πρυτανείος enim magistratus nomen erat) contineret. Et annus quidem πρυτανείος erat etiam communis, aut ἐμβολιμαίος, commu- nisq; complectebatur menses sui generis, id est, Prytanicos XII, ἐμβολιμαίος XIII;

XIII; menses verò ad Lunæ rationes comparati erant pleni, aut cavi, & quidem non alterni, sed plures pleni quàm cavi, ideoque nonnunquam continui: erantque pleni dierum xxx, cavi xxix, ut Lunæ rationes poscebant. Itaque in annis & Octaeteridibus his mensium numerus cum numero syzygiarum congruebat. Et hæc tota *πενταετίας* ratio ad Athenienses propriè pertinebat. Quib. *εμβολισμός* fiebat hyberno tempore inter *Μαιμακτηριώνα* mensem & *Ποσειδεώνα* ordinarium, qui veteribus Atheniensibus fuerat anni mensis ultimus; mensisque *εμβολισμῶ* nuncupabatur Posideonis quoque nomine, & quidem dicebatur *Ποσειδῶν πρόπε*, alter autem ordinarius *δευτέρη*, cui in fine adheerebant dies *ἀναρχοί*. Nam prisca Athenienses, quòd satis constat, à Gamelione brumali mense post *κεντρὸν χειμερινὸν* annum suum sunt auspicati. * Sed cum *πενταετίδες* Olympiadice cum annis suis, quarum maxima celebritas erat per totam Græciam propter solennes *πανηγύρεις*, omnibus Græcis communes & frequentatas, caput haberent in æstatis medio post *τροπικὴν θερινήν*, in honorem earum Athenienses quoque suorum annorum, & *πενταετιδῶν* principia istuc transtulere, & *εκατομβαιῶνα* caput anni fecere. Quod Eusebius ad annum III Olympiadis LIII ante Cyri imperium, Plutarchus ad ætatem Periclis refert, scilicet cum Athenienses *παναθηναία*, quæ annua tantummodò priùs fuerant, auctâ festiuitate *πενταετιδικὰ* quoque facere ordirentur. Et hoc pleræque civitates Græciæ sunt imitatae, inter quas Laconica & Syracusana: quanquam Thebani persistenter etiam postremis temporibus Græciæ liberè in capite anni brumali retinendo.

Principia igitur sua anni Græci celebriores, Olympiadici, Attici, Laconici, Syracusani duxerunt ab æstate *μετὰ τὴν τροπικὴν θερινήν*. Sed notandum hoc loco, quod nisi rectè teneatur, errorem parere potest. Veteres Græci *ισημερίας καὶ τροπῆς*, quas etiam *κεντρὰ* dicebant, (nos mundi cardines quatuor possumus appellare) in hac de annis doctrinâ non *ἀκριβῶς καὶ ἀστρονομικῶς*, sed *ἐν πάλατι*, & populariter accipiebant. * Et quoniam opinio erat sæculo Iphiti Elidensis, qui Olympicum certamen cum tetraeteride instauravit, unde Olympiadum series ducitur, *κεντρὰ* illa mundi, *τροπῆς καὶ ἰσημερίας* ibi esse, ubi verè octavæ partes signorum Cancrî, Libræ, Capricorni, Arietis erant, factum est, ut cum Sol eas partes teneret, tum quatuor anni quadrantes, æstas, autumnus, hyems, ver vulgò inchoarentur. Et quod tum creditum fuit, id in opinione quoque mansit posterorum, ad eò ut per multa deinde sæcula octavæ illæ signorum partes, quæ in anno Iuliano, si is usque eo in anteriora extendatur, VIII aut IX Iulij, VII Octobris, VII Ianuarii, VIII Aprilis à Sole occupabantur, pro quatuor mundi cardinibus seu *κεντροῖς* sint habita, & Sosigenes quoque C. Iulio Cæsari annum Romanum reformanti id persuaserit. Is enim solstitia & æquinoctia in eos dies coniecit. Vulgòque illis punctis, & diebus, qui iis respondebant, solstitiorum & æquinoctiorum nomen tributum fuit. Eo igitur anno Iuliano, quo Iphitus agonem Olympicum instauravit, ut istuc revertamur, æquinoctium verum confectum est die xxviii Martij, & solstitium æstivum ipsis Kalendis Iulij. Sed mensis primus Olympicus inivit die ix Iulij statim post *κεντρὸν θερινὸν*, Sole VIII aut IX gradum Cancrî tenente in coitu cum Luna. Olympias autem prima celebrata est ex mente

* vide illud
strem lo-
cum apud
Platonem
de princi-
pio anno-
rum Atti-
corū esti-
mo, lib. vi.
de legib.
ubi verba
sunt hæc.
*ἐπειδὴν
μελλήν νέ-
ος ἐνιαυ-
τὸς μὲν
θερινῆς
τροπῆς
τῶν Ἰπι-
όντι μὲν
γίγνεται
εἴς.*

Et huc fa-
ciunt ver-
ba Demo-
sthenis in
Oratione
III Chy-
thica.
Idem que
docet Sim-
plicius, in
librum v
Physicorū
Aristote-
lis.

* Opini-
a hinc
exitit,
quod hye-
me Sol
à gradu
xxiii Sa-
gittarii
usque ad
viii gra-
dum Ca-
pircorni,
et æstate
à xx vii
gradu Ge-
minorum
usque ad
viii gra-
dum Can-
cri stare
vide etiam
unde Sol
stare sunt

dilla: Et quod in obliquo gradu Capricorni sol primum ascendere rursus, ac deinde ad nos redire etiam à vulgò animadvertitur; unde et sol minus tunc dicitur fuit. Ea denique ratio erat in æstate Sole descendente rursus, et à nobis, id est, à vertice nostro recedente. Quanquam hæc eorum in æquinoctiis non habeant.

Scaligeri

Scaligeri (hic enim pleniluniis semper ludos Olympicos commissos esse, & *πηνυύγεις* actas censet, quod alii ad novilunia, id est, ipsa annorum Elidentium capita ferè referunt) die Iulii XXI, Lunâ plenâ. Et dies ac locus iste novilunii, quos aperuisse annum primum primæ Olympiadis dixi, citimus terminus est capitis anni civilis Elidentium & Atheniensium, & plerorumque aliorum Græcorum, quem terminum nunquam revertit; quemadmodum extimus est dies VII Augusti, & VIII gradus Leonis, quem nunquam excedit. Mensis autem hic primus *πρῶτη Ὀλυμπιάς* & Atticæ & Olympiadicæ purus putus Lunariserat à novilunio incipiens, & in novilunium desinens, ex ejusdem Scaligeri mente: ceteri omnes sine dubio Solares, quorum *νεομηνίας* cum noviluniis non erant copulata. Docent hoc historiæ, quæ *Φδοεις* Lunæ frequenter cum diebus mensium civilium in signandis eventis conjungunt. Interlandi munus in Elide Basilæ, Athenis Hierophantæ (magistratus hæc nomina in utraque civitate) habebant: ii in arcanis tenebant anni Solaris modum revolutioni Solis proximè respondentem, qui constabat diebus CCCXLV & quadrante: eumque quadrantem quarto quoque anno intercalabant. Hæc norma illis erat, ad quam intercalationes & exemptiones, de quib. dictum est, dirigebant. Quâ si caruissent, id est, si reditum Solis ad metam ignorassent, facere non potuissent, quin à scopo aberrarent. Intercalabant verò diem ex quadrantibus collectum Basilæ in æstate cum exitu anni, Hierophantæ in brumâ. Hæc est epocha illa longè nobilissima, ut antè notavi, affixa diei IX Iulii Iuliani, Sole ex VIII gradu Cancrî in IX digrediente, Nabonassaræâ annis XXVIII, mensibus VII, diebus XIX antiquior, pertinens ad annum mundi labentem MMMCLXXIII. A quâ defluens continua temporis series in *πρῶτη Ὀλυμπιάς* perpetuas distincta scalarum instar ad Hadriani imperium, & inde longius ad ultimos annos Theodosii II imperatoris, qui obiit anno Christi CCCCL, descendit per annos MCCXX, ad quam quæ historiis Græcis condita sunt Græca & extera, multa quoque, quæ à Romanis scripta, sunt relata, aut referri facili ratione possunt. Cujus seriei certitudini qui obloquuntur, affectus potiùs suos, ut levissimè dicam, quàm rationem sequuntur, nisi forsàn cum ratione insaniant. Huic porò seriei annexa est, & inhæret quoque epocha illa recentior à Macedonibus in Oriente dominantibus instituta XII annis à morte Alexandri ex Calippi summi Astronomi formâ: sed annorum caput in alium locum cum novâ epochâ transpositum. Nam ut epocha affixa est Olympiadis CXVII anno primo, & anno mundi MMMDCXXXIX ineunti, ita anni omnes hujus epochæ, quæ Syris & vicinis publicata est, incipiunt cum autumnii initio, habentque menses XII solares Macedonicos, Græcis per omnia similes, sed heic in alia loca, quam Macedonum mos patrius domi ferebat, trajectos. Macedonibus enim cum Hyperberetæus mensis æstivus esset in patriâ, Hecatombæoni Attico respondens, annumque aperiens, in Syriâ & regionibus vicinis translatus est in autumnum, concurrens cum Pyanepsione Attico, ut illic quoque annum, quemadmodum in patriâ, auspicaretur: Et ceteri menses hunc motum Hyperberetæi sunt secuti. Hæc anni forma epochæ Syromacedonicæ, quam & Alexandream ab' Alexandro, cujus memoriæ dicata fuit, & Seleucidarum à Syriæ regibus Seleuco ortis vocant, magnumque diuturnumque usum habuit in Oriente, usurpatâque est à scriptoribus historiæ pariter Ecclesiasticæ & civilis: ideòque Chronologis cognitu necessaria. Sed interim majores in Syriâ civitates Antiochia, Tyrus, Laodicea, Seleucia, Edessa,

Anni Macedonum in Oriente dominantium, cum epochâ novâ Alexandræ.

Edeffa, Afcalon epochas quoque peculiâres sibi constituerunt alias aliis priores, formâ tamen annis eâdem à Seleuco rege conditore familiæ Seleucidarum vulgatâ. Verùm clarissima fuit Antiochenâ civitatis Syriacarum omnium præcipuâ, surgens cum die xxxiiii ante eum diem, quo C. Cæsar consulatum suum secundum cum collegâ P. Servilio iniit. C. autem Cæsar consulatum istum quidem ipsis Calendis Ianuariis, quæ eo sæculo honoribus huiusmodi incundis solemnes erant, sed annus Romanus ob neglectas, aut vitiosè usurpatas intercalationes, usque ad eum tum à cardinibus veris exorbitabat, ut Calendæ hæ ipsæ cum iii die Eiduum Octobris Iuliani convenirent, si formam anni à Cæsare reformati in anteriora fingamus extensam. Vnde & hoc secutum, ut totus ferè annus primus aræ hujus novæ Antiochenæ cum anno Romano vetere, qui consulem C. Cæsarem ii, & P. Servilium habuit, decurrerit. Hyperberetæus verò inchoans annum illum Antiochenum surrexit cum Βονδρομιώνος Attici die primo in Olympiados clxxxii anno iiii, Thoth Ægyptiaci die vi in anno Nabonassæreo dcc, anno mundi mmm dccc cii iueunte. Causa autem novæ epochæ figendæ Antiochenis fuit non αὐτονομία solum concessa, sed tributorum quoque remissio impetrata à C. Cæsare eodem illo anno post Pharsalicam pugnam, & devictum Cn. Pompejum, cum Cæsar Pompejum persequens in Syriam venisset, contendens in Ægyptum. Nam bellis prioribus externis & intestinis penè continuis per multos annos exhausta erat Syria, & grave tributum insuper à Pompejo ei definitum, & à Scauro, Gabinio, Crasso, Bibulo severè exactum. Et quod gravissimum in hac rerum difficultate, P. Scipio Pompejanus dux, & Pompeij socer bello civili tributa multiplicaverat, & acerbè exegerat, provinciamque totam concusserat. Quapropter cum gratissimâ libertate hoc quoque beneficium gratius venit: gratiæque referendæ ergò in honorem Cæsaris beneficii auctoris hæc æra ab Antiochenis instituta, & anno postero quoque à Laodicenis: utraque verò ab Eusebio in Chronico canone notata, ac suo loco fixa. Antiochena ex re dicta χρηματισμός Αντιοχείας, ut ex Evagrio scriptore historiæ Ecclesiasticæ, qui Antiochenus ipse fuit, & hac epochâ in notando tempore utitur, licet cognoscere, & periodus annorum ab hac epochâ fluentium Πενήμιαις, quinquenniis tribus constans: unde nata porro est Indictio Constantiniana auctore Constantino Magno, æra nova & percelebris, per eosdem circulos annorum xv tempora expediens, quorum & nunc est usus notissimus, & tritus etiam iis, qui causam & originem ejus penitus ignorant. Hæc secuta est Antiochenam post Πενήμιαις absolutas xxiiii exactè, complexas annos cccix; quorum ultimo deficiente iniit indictio hæc Constantiniana: quod accidit nascente die viii Kalend. Octob. anno Christi vulgari fluente cccxi, anno verò mundi secundum rationes nostras mmmccclxi post dies vii exituro. Is dies fuit, quo Constantinus victo & everso Maxentio foedissimo tyranno, Maximiani Herculii filio, sub quo Roma gemebat, in ipsius urbis aditu ad pontem Milvium clarissimam, & omnibus bonis gratissimam victoriam peperit, Romamque libertati reddidit, ac gaudentibus universis probris ac piis Christi nomen publicè in urbe professus est. Cujus lætissimæ rei memoriæ æra ista nova fuit consecrata. Habuere verò & Damasceni epocham peculiarem concurrentem cum anno epochæ Antiochenæ, sed surgentem à verè: à quâ dependentes aut defluentes anni ex Calippicâ formâ cum intercalatione desultoriâ, atque ideo vagi, sed limitibus tamen certis terminati.

C

Reliquum

Anni
Romano-
rum.

Reliquum nunc, ut de annis Romanis dicam. De his quoque, ut de mensibus in diversum abit à maximis viris Iunio Graccho, Fulvio, Varone, Ovidio, Solino, Suetonio, Censorino, Macrobio, Iosephus Scaliger. Istorum hæc est sententia. Romulus exemplo Albanorum, unde originem ipse trahebat, annum suum voluit esse mensium x, dierum ccciiii. Mensium primus ei erat Martius, caput anni. Reliquorum nomina fuere, Aprilis, Majus, Iunius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Eorum quatuor erant singuli dierum xxxi, ceteri sex dierum xxx. At Numa Pompilius Romuli successor, ipso illo eruditior, & rerum cœlestium magis gnarus, cum videret istam anni formam nimis enormiter ab utriusque fidoris, Solis & Lunæ, rationibus aberrare tum in mensium, tum in dierum numero; eandem sibi bono reip. reformandam putavit. Quo negotio suscepto hoc imprimis secutus est exemplo, ut creditur, Græcorum, ut id, quod institueret, ad Lunę simul, & ad Solis rationes, quantum fieri posset collimaret. Igitur cum non ignoraret, verum & naturalem annum à Sole effici, ab hujus motu proprio tempestates illas statas ac diversas, ver, æstatem, autumnum, hyemem, quæ anni partes sunt, pendere, hinc incrementa & decrementa dierum esse in orbem recurrentia, menses verò existimaret Lunæ propriè deberi, ac Lunæ motum sequi, nec quicquam esse aliud quàm tempus à coitu Lunę cum Sole ad coitum similem, deprehenderetque, interea dum Sol periodum suam absolveret, annumque illum conficeret, hujusmodi temporis spacia inter coitus siderum duos duodecies absolvi, statuit xii mensium annum suum esse oportere. Quos ut compleret, diebus anni Romulei adjecit alios dies L, ut fierent omnes cccliiii. Nam aut observando atque experiundo cognoverat, aut ab astronomis didicerat, tot omnino diebus xii menses hujusmodi Lunares consummari, quorum singuli dies completerentur xxix cum dimidio paulò plus, si naturales accipias, vel ad civilem formam redacti, quæ non nisi totos dies recipit, alternatim haberent dies xxix, & xxx. Deinde, ut numerum parem, velut infaustum (sic enim opinabatur) quantum posset, vitaret, in digerendo anno, Romuleis mensib. sex, quib. xxx dies erant, singulis diem detraxit unum, eosque sex detractos dies priorib. illis L. aggregavit, ut ex omnib. æqualiter divisus duos conficeret menses novos Ianuarium & Februarium, utrumque scilicet dierum xxviii: Martium verò, Majum, Quintilem, Octobrem reliquit dierum xxxi. Sed enim cum hoc modo non solum uterque mensis novus pari maneret dierum numero, verum etiam integer annus, quod maxime ei adversum atque invisum erat, idem pateretur, ut hoc corrigeret, paulò post die uno mensem Ianuarium auxit, magis in eo superstitioni obsecundans, quàm cæli rationibus. Nam horis æquinoctialibus xv ferè majorem fecit hunc annum suum Lunarem quàm Solis & Lunę rationes secundum medium ipsorum motum ferunt: (xii quippe menses synodici, qui annum Lunarem astronomicum conficiunt, absolvuntur, uti supra in mensium descriptione exposui, diebus cccliiii, & horis ix ferè,) supra modum autem cum, quo Græci utebantur, toto die. Horum enim annus Lunaris in usu civili dies habebat cccliiii, Numæ verò ccclv. Atque ita annum Romanum totum, & omnes ejus menses Numa constituit numero dierum impari, excepto solo mense Februario: quem nisi talem relinqueret, videbat, id, quod maxime querebat, in toto anno assequi se non posse. Et hinc quidem etiam ob dierum paritatem lustrandæ urbi, & inferiis faciendis dicavit. Verum quia anno huic Lunari cum annuo

annuo motu Solis, quo Solaris annus propriè conficitur, parum conveniebat, (aliquot enim dies hunc illo majorem esse deprehendebatur) ut menses in sedibus suis retinerentur, & aliqua fieret æquatio, ab intercalatione ipse quoque, ut populi alii, remedium sibi quærendum putavit. Quomodò autem, & ubi intercalaverit dies, admodum est in veterum scriptis obscurum. Livius solummodò ita intercalares dies mensibus interponendo dispensasse ait, ut vigesimo quoque anno ad metam eandem Solis, unde orsi essent, plenis annorum spaciis, dies congruerent. Quòd quomodò intelligendum sit, & cum vero congruat, ambigitur. Plutarchus Numam scribit ad æquandos annos Lunæ ac Solis XI dies intercalares usurpasse, & eos duplicatos altero quoque anno inseruisse mensi Februario, mensemq; ἐμβόλιμον, Merkedonium Romanis dictum, ex iis fecisse. Sed vacillat in eo Plutarchus, nec sibi constat, aut certi aliquid affirmat. Id verò significat, eam Numæ intercalationem rudem fuisse, & posterorum emendatione habuisse opus: licet aliud videatur judicasse Cicero, qui libro II, de legibus institutum id peritè à Numâ; sed posterorum pontificum negligentia dissolutum dicit. Cum Plutarcho videtur Macrobius facere, qui non de Numâ amplius, sed de Romanis loquens docet, eos imitatione Græcorum quolibet octennio dies XC intercalasse, non quidem simul & semel, ut faciebant Græci, sed alternis bienniis XXII & XXIII expensasse mense Februario, putantes idem assequi se hac ratione, quod Græci assequerentur, sed scopo excidisse ob diem unum à Numâ in honorem imparis numeri ad dies Græcos adjectum, abundantem scilicet supra verum modum anni Lunaris. Singulis enim annis octo, totidem dies superfuisse. Quo errore à posteris animadverso, tertio octennio non intercalares XC, sed tantum LXVI inseruisse, eoque modo XXIII superfluos ex singulis illis singulorum annorum collectos neglectosque compensasse: id est, ut arbitror ego, anno XXIIII, vel, quod idem est, tertii octennii anno ultimo totum mensem intercalarem, qui tum erat dierum XXI, omisisse, & insuper diem unum mensi Februario intercalationibus proprio exemisse. Quod sanè tale fuit, si observatum fuit, ut cum rationib. anni Græci annos Romanos pares fecerit, & exhibuerit id, quod institutum à Numâ fuisse Livius asserit, si verba ejus dextrè interpreteris: Potuissetque id in gradu suo annum, annique partes retinere, nisi intercalatorum culpâ esset vitiatum; de quo dicitur postea. Verum, ut jam testatus sum, dissentit à plerisque jam dictis vir summus Scaliger, dubium, an rectè. Ex ejus mente à primis urbis Romæ temporib. anni Romani Lunares fuere, Lunæ motui proximè accomodati: constitueruntque statim ab initio mensibus XII Lunaribus, diebus CCCLV; atque ita horis tantum XV, & horæ sextante, scrupuloq; uno tempus XII mensium Lunarium, qui à sifygiâ ad sifygiam definiuntur, excessere. Mensium eorum quinque fuere cavi, Martius, Majus, Quintilis, October, December, singuli dierum XXIX, reliqui septem pleni dierum XXX. Post, quia numerus par infausus habebatur, ad declinandum eum, Martius, Majus, Quintilis, October, (ait Scaliger) facti sunt dierum XXXI, cæteri dierum XXIX, excepto Februario, cui relictæ dies solum XXVIII. Et Martius quidem ab initio fuit mensium princeps annum inchoans, quamquam satis constet, Romam Palilib. esse conditam, quæ ad adultum Aprilis pertinebant. Deinde caput anni à verè ad brumam translatum, & Ianuarius auspicator anni factus. Ne verò annus perverteretur, & menses æstivi cum festis & solennitatib. suis in loca hybernorum transirent, intercalationib. quoq; cautum est. Intercalandi ratio hæc instituta. Cum deprehensum

esset Solarem annum vertentem Lunari majorem esse diebus XI cum quadrante, altero quoque anno mensem minorem intercalabant post Terminalia, quæ incidebant in diem XXI aut XXII Februarii, ut Februarius altero tum mense inserto velut turgeret, aut scinderetur, vel, ut Varro tradit, diebus post Terminalia reliquis intercalari mensi ascriptis fieret mutilus. Et intercalatio hæc alternis XXI aut XXII dierum erat, cum quarto quoque anno diebus XI, quibus Solaris annus lunarem semper vincit, dies unus ex quadrante residuo collectus accresceret. Mensis intercalaris à solvenda mercede Merkedonius fuit nuncupatus. Sed hoc modo quolibet quadriennio quatuor solidi dies succrescebant supra rationes Solis. Nam quadriennium tale dabat dies integros MCCCCXLV, quadriennium verò Solare, id est, ex quatuor annis solaribus vertentibus confectum diestantum MCCCCLXI. Itaque, ne eam ob causam menses in sedeas lienas transirent, festaque hyberna in æstatem commigrarent, & contrà, quotiescunque ex diebus illis quatuor collectis dies XXI provenissent, quod annis XXI exactis fiebat, intercalaris mensis Merkedonius totidem dierum omittebatur, horæque reliquæ XII, quæ Merkedonio adhærebant, reservatæ sequentis biennii totidem horis addebantur, proveniebatque Merkedonius, uti solet altero biennio, dierum XXII. Sic adæquabantur Lunares Romanorum anni cum rationibus Solis, & absolvebatur Romana periodus annis illis XXI: quæ periodus toties repetita, quot anni erant in lustro, faciebat tempus, quod Romani SÆCULUM vocabant, annorum CX, in cujus circumactu ludi sæculares fiebant. Intercalandi autem omittendique hæc ratio pontificibus Romæ erat commissa, ut Athenis Hierophantis, & in Elide Basilis. Sed hi non negligenter solum, sed & improbè hoc munere functi, prout cuique, qui in magistratu aut administratione publicâ erat, prodesse aut nocere cupiebant, dum vel extendunt vel arctant ei tempus, totam rem pessimè confuderunt, ut nihil annis Romanis videretur deformius & exorbitantius. Unde factum, ut hyberni menses autumnum, autumnales æstatem, æstivi ver, verni hyemem occuparint. Cui malo mederi tandem C. Cæsar constituit, adhibito in consilium Sosigene Astronomo Ægyptio. Is igitur, ut pontifex Maximus, annum ad metam retracturus, & in stabili gradu in posterum tempus collocaturus, eo anno, quo ipse III Consul erat cum Æmilio Lepido, qui & intercalaris erat per se, mensemque Merkedonium dierum XXI recipere debebat, & initium duxerat ab eo die, cui decimus quartus Octobris in formâ emendatâ competebat, in universum, annumeratis quoque Merkedoniis, dies intercalavit LXXIX, ita ut annus ille fieret dierum CCCCXLIIII. Deinde anni sequentis Kalendas Ianuarias, quibus ipse quartum Consulatum solus iniit, auspiciatus est ab eâ nocte, quâ Sol ad *κεντρὸν χειμῆρον* ex opinione prisca, id est, ad VIII partem Capricorni, uti à Sosigene accipiebat, accedebat. Simul reliqua constituit, mensium aliis XXX aliis XXXI, soli Februarii XXIX dies dedit, totum annum diebus CCCCXLV finivit, horas æquinoctiales VI residuas ad totam revolutionem Solis cum anni modo æquandam quarto quoque anno, cum in diem unum excrevissent, post diem XXII Februarii intercalari iussit, sic annum deinceps quasi pari passu cum Sole iturum, ac sine vitio futurum opinatus. Sed fefellit eum opinio non rei vitio, sed temporum & hominum. Nam cum ipse anno proximè secuto in consulatu suo V Idibus Martiis cæsus esset, turbatâ rursus bellis civilibus rep. & simul perperam mente Cæsar's & Sosigenis à pontificibus, quorum hæc cura erat, intellectâ, non quarto quoque anno, sed tertio intercalatum est: atque

Anni reformati à C. Iulio Cæsare.

atque id factum sapius, donec Cæsar Augustus pacatâ rursus rep. & vitio animadverso suspensis ad tempus intercalationibus rem prolapsam restituit in integrum: simulque menses quosdam auxit, quosdam minuit, manente eâdem anni summâ, quam C. Cæsar antè constituerat, denique in hanc formam, quâ jam utimur, annum redegit. In quâ formâ si ex longo intervallo scrupulorum paucorum, sextantis scilicet unius horæ, & scrupuli insuper unius, quibus anni civilis modus annum tropicum vincit, habita fuisset ratio, in eodem adhuc vestigio stantem annum nunc haberemus, quo cum C. Cæsar Consulatu suo IIII collocavit: Id si esset, Kalendas Ianuarias, Sole VIII gradum Capricorni occupante celebraremus, quas jam, eodem sidere sub XX gradu Sagittarii posito, celebramus. Hæ Kalendæ Ianuariæ à Cæfare reformatæ novam Epocham dedere, à quibus profluentes anni à reformationis autore, ut Censorinus nos docet, Iuliani sunt vocati: quorum numeratione sequentium temporum series est conservata. Kalendæ convenere cum Olympiadis CLXXXIII anno III fluente ab æstatis medio, cum Nabonassari anno DCCCIII labente à V die Septemb. reformati, ut ex Censorini & Ptolomæi rationibus & demonstrationibus aliis liquet, cum mundi anno secundum rationes nostras MMMDCCCXV incipiente ab autumno, denique cum anno ante natalem Christi vulgarem, quo hodie utimur, XLV ineunte. Æram Iulianam secuta est alia post annos absolutos XVIII, ineunte anno XIX, Augustæa nominata, in imperio Romano per occidentem & Africam signandis actis publicis plurimum usitata, ut Conciliorum Ecclesiasticorum monumenta ostendunt. De ærâ Christianâ, quæ ducitur à natali Christi, dicere non est necesse. Nam utitur annis Iulianis, & alioqui nihil est ejus usu etiam vulgò notius. Loquor de ærâ vulgari, quæ vero natali æterni nostri regis duob. & trimestri posterior est, à quâ propter usum toti Christianismo communem non est recedendum. Vti eâ capit in chronologiâ Eusebius, deinde Hieronymus, & Prosper, qui supplementum Eusebii scripsere, sed anno integro hanc nostram, quæ in vulgari usu nunc est, antevertentes. Post hos græ usus quasi intermortuus est, temporaque sunt æris aliis notata, donec extitit Dionysius Abbas Romanus cognomento Exiguus tempore Justiniani imperatoris, qui novo cyclo Paschali in usum Ecclesiæ constructo & publicato, quem auspiciatus est ab anno imperatoris illius VI, sed initium ejusdem æræ Christianæ affixit, docuitque à natali Christi annos numerare. Quamquam ne tum quidem usus græ hujus cursum suum tenere potuit, sed post annos domum ab eo tempore CC & amplius invaluit, & hinc inoffensus ad nos pervenit.

Finem hic de annis facerem, nisi *Hegira* Mahumetana aurem mihi velleret. Ita Epocham suam Musulmanni, & Turcæ vocant, quæ initium capit ab eo anno & die, ut scriptores ejus gentis tradunt, quo Mahometes pseudopropheta ob novum dogma suum coactus est Mechâ urbe Arabiæ primariâ profugere. Fuit autem annus ille à natali Christi vulgari seu Dionysiano DCCCXII, dies XVI mensis Iulii, Veneri dicatus, cujus sydus *Φωσφορον* antiquitus Arabes ante alia venerati sunt, atque ob id feria VI, quæ Veneris est, ipsis est sacra, quemadmodum Iudæis VII, & Christianis prima. Forma annorum in hac Epochâ purè putè Lunarum est, ut & illa, unde hæc defluxit. Nam Arabes multò ante Mahumethem Lunaribus annis sunt usi, primùm restrictis intercalatione defultoriâ, deinde solutis. Intercalatione sunt usi ad ætatem C. Cæsarum primi Romanorum monarchæ. Ut enim Lunares annos ad Solis

Ærâ
Augustæa,

Ærâ
Christianâ,
nra.

Hegira
Mahumetana.

rationes reducerent, quoties res poscebat, mensem intercalabant non eundem semper, ut faciebant Iudæi, sed ordine alium post alium, donec omnes intercalati essent: quam intercalandi rationem clarissimus Scaliger desultoriam vocat, Hagarenis & Damascenis usitatam. Quibus, cum orbis ille intercalatorum mensium absolutus esset, periodus intelligebatur absoluta, constans annis Iulianis cxxxviii, periodis Calippicis iii, cyclis Lunæ xii. Deinde eo anno, quo Cæsar annum Romanum reformavit, cum Muharram, qui solet iis mensium undecimus esse, fortè surgeret cum primis Kalendis Ianuariis Iulianis reformatis, & simul concurreret feria vi Arabib. ut diximus, sacra, placuit illis inde quoque novam annorum rationem, novamque feriem auspiciari, id est, Epocham novam constituere, quæ cum Iulianâ & anno & die congrueret. A quo principio & Muharram princeps mensium ipsis factus est, & ommissa omnis intercalatio, annique caput solutum sine fine vagari permissum, ut anni nostri omnes partes pererraret, multò celerius, quàm Sab apud Ægyptios. Nam cum Lunaris annus civilis diebus, ccccliiii & horis paulò minus ix constet, Solis autem diebus cccclxv cum quadrante conficiatur, annis Solaribus Iulianis xxxiiii caput hoc anni Lunaris totum annum Iulianum percurreret, & totidem anni Iuliani Arabicos vagos habebunt xxxiiii cum diebus paucis. In quâ annorum formâ, & capitis vagi revolutione cum eo tempore, quo Mahumethes Mecha profugit, ut volunt Musulmanni, neomenia Muharram concurreret cum die xvi Iulii Iuliani, & feriâ vi *Φωσφόρος* sacrâ, placuit rursus Mahumethis cultoribus mandante, ut ajunt, ipso novam Epocham illic figere, manente eadem anni formâ; quâ ad præsens usque tempus Turcæ & Saraceni Arabes utuntur. Neomenias autem statuunt non in coitu luminum, quod alioquin in annis Lunaribus legitimum est, ut apud Iudæos, sed à primâ Lunæ apparitione post coitum, cum corniculata videtur: ab Arabib. tum Nalka dicta, quod significat soleam equinam. Quam apparitionem anxie observant, & tripudiis atque acclamationibus veluti salutantes excipiunt. Id pertinet ad diem à coitu tertium, isque dies neomeniæ status habetur. Quâ quidem anni formâ, cum æquabilis minimè sit, & sit valde perplexa, ne ipsi quidem Turcæ ac Saraceni, quanquam in notandis actis publicis & privatis eâ utantur, tamen in definiendâ hominum vitâ utuntur, sed ejus loco annis Solaribus. Et tamen, quod mirere, latissimè non per Arabiam solum, & imperium Turcicum, sed etiam per Indiam ejus usus valet apud illos, qui Mahumethis impietatem sequuntur. Quanquam hi non à primâ Lunæ *Φάρα*, sed die eo, quæ coitum Solis & Lunæ præcedit, menses suos ordiantur, atque etiam nunc non ab Hegirâ Mahumethanâ, sed ab editione Iulianâ, hoc est, à Kalendis Ianuariis primis à Cæsare reformatis annorum suorum feriem repetant, quemadmodum ante Mahumethem ab Arabibus quoque ostendimus factum.

DE PERIODIS ANNORVM.

DE annis hucusque. De periodis ipsorum pauca addam. Magnus enim eorum usus est non solum in Astronomicâ disciplinâ, sed etiam in Chronologicâ. Nam multò certior ratio temporis est, quæ periodis conficitur, quàm quæ ex annis singulis aut pluribus collectis, propterea quod, qui colliguntur anni ex autorib. non omnes absoluti sint, sed aut appendices partes aliquas habeant, ut menses vel dies, aut defectum patiantur. Item quod tempus cum caractere periodi alicujus notatum est, id minus dubitationis habere potest, quàm quod caractere destituitur.

stituitur. Sunt autem certi annorum numeri, qui in orbem redeunt: cujusmodi in diebus sunt *εβδομάδες & εγδοάδες*. Et sunt aliae minores, aliae majores: & hae sepe ex pluribus minoribus conficiuntur. In minorum genere sunt nobilissimae *πρῆλαιες* Græcæ, & in his maximè Olympiades Elidenses, custodes integritatis canonum Chronicorum in rebus Græcis, & multis quoque barbaris, ut postea docebimus. Ex iis geminatis Octaeterides sunt constatae ad æquanda propius Solis Lunæque tempora: quarum singulas annis vertentibus solidis VIIII, & diebus solidis uno minus c definitas fuisse Censorinus affirmat. Ut verò illæ etiam *πενταετηρίδες*, sic hæ quoque *ἐννεαετηρίδες* dictæ sunt, propterea quod illæ quinto quoque anno, hæ nono redirent, quemadmodum idem nos docet Censorinus. Post has *δωδεκαετηρίδες* fuere, quas annos Chaldaicos dixere, quod à Chaldæis genethliacis maximè usurparentur in prædictionum disciplinâ. Sed clarissima *ἐννεαδεκαετηρίς* Metonica, quam *δεκαεννεαετηρίδα* etiam Censorinus vocat, annos complexa XIX solares, menses lunares seu novilunia CCXXXV, dies verò sexies mille nongentos quadraginta, quibus Meton ejus autor æquari quàm proximè motum Solis & Lunæ rebatur, hoc modo ut, quo cœli loco conjunctio utriusque fuisset in periodi initio, eodem rursus fieret cum periodi fine: publicata Atheniensibus ab autore, ut Diodorus Siculus tradit, Apseude Athenis Archonte, Olympiadis LXXXVI anno IIII prope exituro, die scilicet XIII Scirophorionis, & ut Ptolemæus scriptum reliquit eodem Apseude Athenis archonte, anno Nabonassari CCCXVI, die XXI Phamenoth mensis Ægyptiaci: quod tempus congruit cum die XV Julii Iuliani, & anno ante vulgarem natalem Christi CCCXXXII, mundi verò secundam computationem nostram MMMMDXVIII. Statuta verò *νεοπλουσία ἐκατομβαιῶν* Πρυτανείας novilunio vero cohærens eo ipso die jam dicto in meridie, cum ante dies XIX ab eodem autore Metone Solstitium observatum fuisset. Ita caractere certo & infallibili tempus hoc insignitum est, ut errari in eo non possit, novilunio nimirum incidente in diem XIII Scirophorionis, & XIX post Solstitium æstivum, quod excepto eo anno, aliquot annis antè & post accidere non potuit. Is autem fuit annus proximè præcedens bellum Peloponnesiacum. Verùm cum deprehensum à Calippo esset, qui cum Alexandro magno vixit, periodum hanc à verâ deficere horis VII cum quadrante & paulò plus, ab eo nova periodus composita est, Olympiadis CXII anno II, quo anno Alexander Darium difficillimo prælio ad Arbela vicit Kalendis Octobribus, conceptaque formâ duplici, *πρυτανείας* Atticæ, & populari: utraque complexa *ἐννεαετηρίδας* IIII, *πρῆλαιες* XIX, annos tam Lunares quam Solares LXXVI. Quarum prior Atheniensibus edita fuit eodem anno Olympiastico & Attico exeunte, initio *ἐκατομβαιῶν* Lunarum seu Prytanici ducto à die Iunii Iuliani XXVIII; quæ emendatæ sunt rationes Metonicæ: altera Macedonibus in Syriâ publicata anno XII à morte Alexandri, XIX vertente à prælio ad Arbela; cujus caput fuit *νεοπλουσία* Solaris Audinæi Macedonici veteris, qui tum locum dedit, ut antè ostendi, Hyperberetæo, ex statione æstiva commigranti in autumnalem. Et existimat Sealiger hanc posteriorem periodum ab Atheniensibus quoque receptam fuisse in usu, cum Macedonibus parerent. Hanc periodum alia excepit in Græcia Hipparchæa dicta ab autore Hipparcho astronomo nobili, constans annis solaribus CCCIII, ad emendandum id, quod Callipicis rationibus ad motus luninum adhuc deesse deprehendebatur, sed ad vulgum & usum popularium

Periodus
Olympi-
dica.

ἐννεαδε-
καετηρίς
Metonica.

Periodus
Callipicæ
annorum
LXXXVI.

Periodus
Hippar-
chæa an-
norum
CCCIII.

Periodus
Damasce-
norum &
Agareno-
rum.
Sarus
Persarum.

rem nihil faciens, solis autem astronomis cognita & usurpata.

Apud Damascenos & Agarenos in usu fuit periodus peculiaris, quâ absolvebatur intercalatio omnium mensium in orbem recurrens, continens periodos Calippicas tres, ἐννεαδεκαετηρίδας XII, annos Solares Iulianos CCXXVIII. At Persæ veteres periodum habebant lustrorum quadriennium xxx vel annorum cxx, quorum ultimus erat mensium XIII. Hanc Sarum magnum, id est, mensem magnum vocabant, quo duodecies repetito, magnum annum conficiebant, quem Salchodai, id est, ἑρθεζ, nominabant, complexum annos Iulianos MCCCCXL. Rursus iidem Saro magno per xxx multiplicato Sarum maximum faciebant continentem annos ter MDC. Eadem est anni magni ratio apud Chaldaeos cum Salchodai Persico, nisi quod magni menses Chaldaici anteverunt perpetuò Persicos annis Solaribus xx. In utraq; autem hac periodo, Chaldaicâ & Persicâ, quemadmodum & in annis ipsarum, caput surgit cum principio veris. In Ægypto autem sacerdotes ex quaternis annis, quibus ἐνδιαφέτως diem unum semper intercalabant, lustra περσικὰ colligebant: ex lustris trecenis sexagenis quinis, quot dies sunt in anno Solari Iuliano communi, annum magnum Ægyptiacum conficiebant, quem ἔτος κυνικόν, hoc est, annum canicularem propter Caniculæ ortum indigebant. Itaq; in eo singula lustra περσικὰ idem faciebant, quod singuli dies in anno solari communi: Constatque annus ille magnus annis Solaribus Iulianis MCCCCXL. Quo temporis spacio, ut antè quoque diximus, annorum Ægyptiacorum vagorum caput, cui ἄθρῳ nomen, totum annum Iulianum pererrat, & ad idem principium redit, intereaque dies CCCLV, quot annum Ægyptiacum vagum & Iulianum communem conficiunt, intercalantur. Quam ob causâ ἔτος illud κυνικόν ut MCCCCXL annos Iulianos, ita MCCCCXII Ægyptiacos vagos continebat: unus quippe annus ex diebus illis CCCLV intercalatis accrescebat. Sed Iudaicæ annorum periodi longè maximi momenti sunt in ratione Chronologicâ. Nam in historiâ vetere notatæ aliquoties characterem præstant irrefutabilem; quòd progressus docebit. Sunt autem duæ, ἑπταετηρίς & πωσαρχονταετηρησίς ex septem Heptaeteridibus confecta: ista ἐβδομάς annalis dici potest, hæc Iobel vel Iubilæum in sacris literis appellatur. Prioris annus ultimus Sabbaticus, posterioris annus gratiæ, aut Iobel audiebat. In illo terra quiescebat à cultu: in hoc & æs alienum, & servi dimittebantur. Utraque periodus ab eodem principio capit, nimirum ab exordio autumnus illius primi, quo Israëlitaë terram Cananæam autore Iosua divisam primum inceperunt colere anno mundi MMD incunte, anno exodi ex Ægypto XLVII fluente, ante Christi natalem vulgarem MCCCCLI itidem labente, ante Olympiadum initium DCLXXIII similiter currente. Quæ periodi diligentissimè observatæ sunt à populo in quavis fortunâ, etiam in ipsis exiliis, quemadmodum & hebdomades dierum. In quibus hoc quoque admiratione dignum est, quod si earum methodum in anteriora converteris, initium utriusque deprehendes accuratè cum initio mundi coincidere: aut vice versâ, si methodum earundem à conditu rerum exorsus fueris, & in consequentia deduxeris, reperies exitum in hoc initium ἐπταετηρίδων & jubileorum legalium aut Mosaicorum exactè incurrere.

ἔτος
κυνικόν
Ægyptιο-
ντων.

Periodi
annorum
Iudaicæ.

Periodi
annorum
Romana.

De periodis Romanis antè etiam quædam dicta, ubi annorum Romanorum ratio est exposita. Itaque hic de iisdem strictim. Brevis-
vissimam periodum Romani habebant lustrum quinquenne, sic dictum, quòd ejus initio semper arma civium lustrarentur, & lustralia sacra cum censu solenni fierent: cuiusmodi lustrum primum conditum esse à Servio Tullio

Tullio

Tullio rege anno regni ejus x docet eruditissimus Scaliger: Deinde observatum idem perpetuâ serie ad postrema Romanorum tempora, curantibus post ejectos reges primùm Consulibus, deinde Censoribus, quorum hoc præcipuum erat officium, & imperium quinquenne cum lustro decurrens. Sed major hac apud eosdem periodus altera erat, complexa annos xxii; quo temporis circumactu ad anni rationem intra metas continendam Merkedonius mensis intercalaris semel omittebatur, idque anno ultimo, ut vetus ratio habebat cum mensis Martius annum inchoaret, exituro. Atque ita in periodo illâ erant biennia *ἑμβόλιμα* tantùm x, & unum sine intercalatione. Incipiebat verò periodus major, quæ prima in ordine erat, à primo lustris anno, ut secunda à tertio, tertia à quinto, quarta à secundo, quinta à quarto. Sic toties repetitâ hac periodo, quot anni erant in lustro Romano, & orbe illo per omnes lustris annos circumactio absolutoque (nam sexta periodus rursus ab anno lustris primo initium ducebat) maxima periodus Romana conficiebatur, quam SÆCULUM diximus vocatam esse: quæ erat lustrorum xxii, periodorum majorum v, annorum cx, ut eam rationem in sæculo lustrum haberet, quam in periodo majore annus, & item eam rationem in eodem sæculo periodus major, quam in lustro idem annus. In cuius sæculi auspicio ludos Romani solennes solent edere procurantibus xv viris, quos ludos sæculares nuncupabant, iisque carmen festum accinebant, cujusmodi Horatius scriptum à se posteris reliquit, cui titulus est, sæculare, compositum in honorem eorum ludorum, quos Augustus Cæsar quintos in ordine edidit anno urbis Romæ dccxxxvii, C. Furnio & P. Iunio Consulibus. Hoc sæculi spacium, uti ex ipsa serie, quam in xv virum commentariis invenisse se Censorinus tradit, qui primos ad annum urbis ccxcviii M. Valerio, & Sp. Virginio cons. refert, ita ex carmine Horatii jam notato, clarissimè effulget. Ait enim poëta:

*Certus undenos, decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque gratâ
Nocte frequentes.*

Sciendum tamen, etiam centesimo quoque anno urbis conditæ ludos & spectacula Romæ esse edita sub. Cæsaribus, ut observatum à Claudio atque aliis, imprimisque à Philippis patre & filio, qui millesimum annum summâ magnificentiâ celebrarunt. Et hæc de periodis Romanis veteribus. Verùm cum rationes has ex libidine suâ imperatores posteriores turbassent, successit periodus alia à Constantino Magno imperatore instituta eo anno, quo ipse urbem Romam oppresso Maxentio tyranno fædissimo cepit, paulò antè quoque à nobis memorata, cum de annis Antiochenis diceremus. Ea ex *Ἀπινεμήσει* Antiochenâ velut derivata, cum fortè cum exitu *Ἀπινεμήσει* illius vigesimæ quartæ casus Maxentij concurreret (occubuit enim Maxentius, & urbs Roma capta, anno Christi vulgari cccxi, die xxiiii Septembris, cum Kalendis Octobrib. initura esset apud Antiochenos & alios, quibus eadem gratia ab imperatoribus facta, *ἑπινεμήσει* xxv, & annis Antiochenis cccxi) Constantinusque, restitutâ Romanis fortunâ meliore, in annos quindenos tributa per omnes imperii provincias ordinaret, ex ipsa re *Ἰνδικτιό* est nominata, complexa totidem annos xv, ac lustra quinquennia iii. Obtinuit verò usus ad hæc usq; tempora perdurans, ut in hac ÆRA non circuli solùm toti quindenorum annorum, sed singuli quoque in iis anni, quòd frequentissimum est, indictionum nomine censeantur, hoc, est cujusque circuli, aut *πεντηκαιδεκαετηρίδος*

Quod hic de perpetuâ & constanti observatione lustrorum dicitur ex mente Scaligeri, ei contradicit aperte Censorinus capite xviii sub finem. At tamen cum Scaligeri mente videtur convenire, quòd de Cæsaribus confirmatur, cum scilicet ex lustrorum ratione repetitâ tempora Romana restituisse.

*Indictio-
nes.*

ἡμεῖς annus primus, secundus, tertius, quartus & cæteri ad totum circitulum πνευματικαὶ δεκάτη, κόν confectum indictio prima, secunda, tertia, quarta ac deinceps ad circuli finem nuncupentur. Res tritissima tabellionibus publicis in notandis temporibus. Sed tenendum hîc, indictio num species esse tres, Romanam, Constantinopolitanam, Pontificiam, differentes inter se solis capitibus diversis. Ex quibus Romana, quæ & imperatoria hodie dicitur, ut est à Constantino Magno mox ab initio instituta, & ab imperantib. in occidente servata, surgit à die XXI III Septembris Iuliani: cujus usum tabelliones in Germaniâ & regionibus imperio Germanico coherentibus retinent. Constantinopolitana autem caput habet affixum Kalendis Septembribus, antevertens perpetuò Romanam totis diebus XXI II, usurpata imperatoribus Constantinopolitanis etiam in ipsâ Italiâ, ac urbe Româ, cum hæc iis parerent, ut ex epistolis Gregorii Magni pontificis apparet. Pontificia autem novissima à Pontificibus Romanis diu post tempora Gregorii introducta initium ducit à Kalendis Ianuarii, ut & annus Iulianus vel Christianus, quadrimestri tempore Constantinopolitanam, trimestri cum diebus VII Romanam perpetuò sequens. Cæteroqui par omnium ratio, ac methodus eadem: in quâ character temporis infallibilis, & ad enodandas quæstiones chronicas insignis, ut postea liquebit.

Periodus
Iuliana, m-
ventu lo-
sephi Scali-
geri: & ejus
msus maxi-
mi,

Præter periodum hanc civilem, & ἐννεαδεκάτηριδα Metonicam, quam computo ecclesiastico accommodatam Christiani cyclum Lunæ nuncuparunt, in eodem ecclesiastico computo alia etiam ab iisdem Christianis recepta in usum est, quæ cyclus Solis est dicta, complectens quatuor annorum hebdomadas, hoc est, annos absolutos XXVII I: cujus cycli circumactu literæ feriarum VII, A, B, C, D, E, F, G, sic dictæ, quod ferias fignent, servatâ ratione bisexti quarto quòque anno, quo uni feriæ primæ, quæ dominica vocatur, duæ literæ serviunt, in orbem revertuntur: unde feriarum per omnes totius anni dies notitia & utilissima chronographo, & jucundissima dependet. Deniq; ex hoc, & ex indictio num cyclo, & ex Enneadecaeteride in sese ductis à Iosepho Scaligero extracta est nova periodus maxima annorum Iulianorum septem MDCCCLXXX, plurimos per insignes usus habens, quem, quod ex Iulianis annis constet, Iulianam autor appellavit. Hæc non solum omnia sæcula mundi complectitur, sed annis DCCCLXIII integris, & mensibus paulò minus x epocham mundi conditi ex hypothesi antevertit, (nam primordia rerum ad vergentem mensem Octobrem anni DCCCLXIII à capite periodi hujus pertinent) & post hunc annum, quo hæc scribo, qui est à natali Christi secundum Dionysium MDCLIX, adhuc annos MDCLVIII, antequam compleatur, habet reliquos. Ratio verò ejus talis est, ut συνδρομή primæ indictio nis, & primi cycli Solaris, & item primi cycli Lunaris vel ἐννεαδεκάτηριδος in capite periodi statuatur, non reditura nisi in ejusdem periodi fine; deinde ut æræ Iphiteæ seu Olympiadicæ caput intelligatur affixum anno periodi hujus MMMDCCCXXXVIII, cyclo Solis XVIII, Lunæ V, & æræ Nabonassari caput anno ejusdem MMMDCCCCLXVII, cyclo Solis XIX, Lunæ XV, itemq; primus annus à Iulio Cæsare reformatus cum anno periodi MMMDCLXIX, cyclo Solis XXI, Lunæ XIII, & primus æræ Christianæ vulgaris cum periodi MMMDCCXIII, cyclo Solis X, Lunæ II, à principio ad finem comparetur: unde cætera hujus generis æstimari possunt. Anni autem omnes periodi formæ Iulianæ censentur, non solum qui à reformatione Iulianâ in consequentia descendunt, verum etiam qui ab eadem in anteriora porriguntur ad ipsum usque caput. Ex quibus utilitas hujus

hujus periodi conspicua fit. Nam anni hi Juliani ut planissimi per se & notissimi nobis, ita & cum motu Solis atque anno naturali proximè respondent, & pares inter sese, si bisexta excipias, tanquam perpetuarum scalarum gradus quidam æquales per universa mundi sæcula extenduntur, ad quos anni alii variarum formarum, quemadmodum & partes ad partes, velut ad regulam notam & certam applicantur: & simul eventus in aliorum diversorum annorum serie per universum historiæ corpus annotati hisce annis, & eorum partibus velut notis & certis locis affiguntur. Præterea cognito cujuslibet eventus loco, id est, anno ac anni parte in periodo hac Julianâ, si anni ejus numerum divideris per xv, id quod à divisione superest, monstrat indictionem currentem, si eam cognoscere desideras; aut si nihil superest, ostendit tempus id ad ultimam indictionem, hoc est, ad xv circuli annum pertinere. Similiter si numerum illum partitus fueris per xix, residuum significat cyclum Lunæ tum fluentem, vel numerum aureum, id est, annum *εννεαδεκατηριδου* cum eventu & tempore illo congruentem.

Item, si eundem numerum divideris per xxviii, id quod à divisione reliquum manet, exhibet cyclum Solis, ut vulgò vocant, hoc est, cycli solaris labentem annum: aut si à divisione tum hic tum illic nihil restat, arguit cycli annum postremum cum eo tempore, de quo queritur, congruere.

Est autem utriusque hujus cycli Solis ac Lunæ, quemadmodum & indictionum cognitio in eventis propositis perutilis chronologico, imò & necessaria, propter characteres, quos secum periodi hæ trahunt. Quod patebit ex iis, quæ de characteribus quamvis strictissimè dicemus. Rursum diviso anni propositi numero in periodo Julianâ per vii, modo eodem cognosces annum hebdomadis Judaicæ fluentem: quod idem numerus anni mundi cognitus præstat accuratissimè; quemadmodum & annum Iubilæi labentis, si numerum eundem secueris per xlix, quod annus periodi hujus præstare non potest, nisi à numero ejus prius xxx abjiceris. Demum abjectâ unitate de numero anni in eadem periodo, & reliquo per quatuor diviso, si nihil remanet, indicium est annum eum *εμβολιμον* seu bisextilem esse; si verò aliquid remanet, id annum *πρεατηριδου* illius communem demonstrat: ad quam rem in annis Christi, ne abjectione quidem ullâ est opus.

Ceteros usus periodi hujus Julianæ volens hæc prætereo brevitatis causâ: cujus hoc velut privilegium præcipuum est in chronologicâ ratione propter annorum formam, quod characterib. omnis generis recipiendis nulla alia sit æquè conveniens; in quo magnum inest momentum.

Annos etiam Julianos in anteriora extendendi est certa & constans ratio ex annorum aliorum ac periodorum cognitione & consideratione characterum dependens.

De quâ re accuratius dicere hoc loco brevitatis proposita non sinit. Quomodò verò menses diesque annorum aliorum aptari aut connecti mensibus & diebus Julianis quam exactissimè possint, id à Iosepho Scaligero in canonibus Isagogicis propositis præceptis & tabulis luculentè est demonstratum: ad quem lectorem remitto.

Satis de periodo Julianâ. Cujus rationes cum ipsis annis Julianis, dum mederi vitio temporis, quo celebrandum pascha est, conatus fuit, insigniter turbavit Gregorius xiiii Papa Romanus, malèque de universâ chronologiâ meruit. De quo præclare dixerunt multi; imprimis verò ipse Scaliger, & luculentissimè & doctissimè amicus meus & collega carissimus Nicolaus Mulerius.

Itaque me quicquam de eodem hæc dicere non est opus, nec operæpretium.

Est & Arabibus peculiaris periodus *τριακονταετηρίς* ingeniosa & insignis, annorum Arabicorum xxx, communium quidem xix, *υπερημερων* vel interca-

Periodus
Arabica.

intercalarium XI. Annus verò Arabicus est semper mensium XII, alternis plenorum & cavorum, præterquam in anno *ὑπερήμερον*, qui est uno die longior quàm communis, cum ultimus mensis ex cavo fit plenus. Et ex hac periodo septies repetitâ fit iisdem periodus *ἑβδομαδική*, quâ characteres neomeniarum Muharram redeunt in orbem, inquit Scaliger. At cyclus magnus Iulianus neomeniarum Muharram est systema annorum Iulianorum CXXXVIII, quo intervallo neomeniæ Muharram redeunt in orbem in diebus Iulianis. Cyclus autem magnus Arabicus neomeniarum Muharram est systema annorum Arabicorum CCXXXV, concurrens cum cyclo magno Iuliano, ait idem Scaliger. Habent quoque Persæ recentiores periodum propriam, quæ Gelalæa aut Sultanica dicitur, ex quâ vigesies quater sumptâ periodus alia major existit, continens annos DCXLVIII, cum rationibus Solis tropicis proximè conveniens.

*Periodus
Gelalæa
Persarum.*

DE CHARACTERIBVS
ANNORVM.

CHARACTERUM magnus est usus in chronologiâ, ut certitudo teneatur, & errores corrigantur. Est autem character nota quædam anno coherens, & cum ab aliis proximè sequentibus & præcedentibus discernens. Et est aut cœlestis, qui & naturalis, aut civilis. Cœlestis, quæ in cælo accidit: civilis, quæ existit ex ordinatione temporum civili. Cœlestis aut ad Eclipses pertinet, aut ad novilunia, aut plenilunia, aliòsve Lunæ ad Solem situs: Civilis ad ferias, ad festa mobilia, ad annos periodorum, cujusmodi sunt sabbatici in reb. Iudaicis, & qui ad hos referuntur in hebdomade annali, item anni Iubilæi, & qui ad circulos eorum pertinent, indictiones, cycli Solis, ac Lunæ, anni Olympiade actâ aut panathenæis majoribus celebratis notati, aut ad eos relati, anni Iustrici Romanorum, aut sæculares aut similes, item epocharum, aut regum cum annis aliis ejus generis, quorum initia nota sunt, copulati. De cyclis Lunæ ambiguum videtur, potiusne civilibus, an cœlestibus characteribus sint annumerandi. Nam cyclis repertis mobilia festa patefiunt, quæ juris positivi sunt; at cyclorum ratio motum syderum sequitur, atque inde dependet.

*Chara-
cter tempo-
ri, quid,
& quom-
plex.*

*Exempla
Characte-
rum.*

Exemplis illustranda res est, ut usus characterum conspicuus fiat, & quid propriè characteres vocemus, magis magisque appareat. Eclipsis sive Solis sive Lunæ inter cœlestes character nobilissimus est. Ea si cum eventu aliquo copuletur in historiâ, præsertim si certum anni tempus ut ver, æstas, autumnus, hyems, aut mensis aut dies addatur, maximè verò si cœli quoque locus, sub quo Eclipsis acciderit, designetur, astronomicus calculus demonstrat, ad quem annum sive Iulianum in Iulianâ periodo, ærâve Christianâ, sive Ægyptiacum in ærâ Nabonassari, sive Olympiadicum in ærâ Iphitæâ, sive quemvis alium eventus iste cum eclipsi necessariò referendus sit, ut dubitandi locus superesse non possit. Cœli enim motuum certæ leges & vices sunt, quæ fallere nos non possunt. Eadem novilunij ac plenilunij ratio est, si cum mensis die, aut cœli loco ea connexa eventui aut rei gestæ jungantur. Nam levi operâ ex tabulis astronomicis cognoscitur, quo anno conjunctio aut oppositio duorum majorum syderum hoc aut illo signiferi loco, aut mensis Solaris die potuerit accidere. Quo cognito res judicata intelligitur. Similiter & de characteribus civilibus res habet. Nam si Sabbaticus annus in reb. Iudaicis noratus reperitur, quo aliquid actum memoretur, aut si Iubilæus, cum ille non nisi septimo anno, hic non nisi quadragesimo nono recurat, de verò tempore

tempore ejus acti, hoc est, de vero anno in ærâ Judaicâ dubitatio est sublatâ: aut, si quis non acquiescat, cum necesse est in Sabbaticum, Iubilæumve alium antecedentem vel consequentem rem gestam conferre: quòd difficultates secum trahit inexplicabiles, imò in falsitates incurrit notorias. Item, si feria ἐβδομάδῃ ἡμερῶν cum numero diei mensis in exponendâ re gestâ ab historico legatur expressâ, (quemadmodum in exodi historiâ à Mose fit capite XVI, ubi non obscure dici XXIII mensis secundi, cum populus Israëliticus paulò antè ex Ægypto egressus esset, & mare rubrum transisset, sabbatum primum in deserto celebratum conjungitur,) character certissimus anno illi affixus intelligitur, ut de eo ambigere amplius non liceat, cum eadem illa copulatio feriae cum die mensis expresso per aliquot annos alios præcedentes & sequentes locum non habeat. Et hic character in Iudæorum rebus præclarus, in Christianorum historiâ supra omnes insignis, & usus maximi est, per quem gravissimi momenti quaestiones multæ facillimo negotio expediuntur, & dubia ex chronologiâ tolluntur. Frequentissimum enim est scriptoribus Christianis, & tabularum publicarum autoribus festum paschatis aut pentecostes, aut natalem Christi, aut diem dominicum, id est, feriam hebdomadis primam, aut quamlibet feriam aliam cum numero diei mensis & anni, quo quid actum est, connectere. Feria verò quælibet cum mensis die copulata cyclum Solis, vel, quòd idem est, annum εικοσιεκάετηρος, pascha autem, aut pentecoste, aut quadragesima aut quinquagesima, aut festum ascensionis domini in cœlum, & quicquid hujus generis, quòd à paschate dependet, similiter cum mensis die connexum, cyclum Solis & Lunæ simul, hoc est, & εικοσιεκάετηρῶν & ενναδεκαετηρῶν sine controversiâ manifestat. Denique, si indicio cum anno Christi, aut cujuslibet æræ alterius, aut imperii regni ve alicujus imperatoris aut regis in actis signata deprehendatur, (quò à Constantini Magni tempore nihil in usu frequentius in rebus publicis pariter & privatis) dubitari de vero tempore actorum nullo modo potest. Et hæc certitudo major fit, ut veritas ipsa oculis conspicua non possit esse certior, si, quòd non rarò accidit, characteres duo pluresve concurrant. Cujusmodi exemplum nobilissimum est in Exodi anno in historiâ sacrâ. Nam is annus characterem habet non solùm eum, quem dixi, ex sabbato cum mensis secundi die XXIII connexo, sed alterum etiam ex cœlo, feriam scilicet paschalem, quæ septimanæ quinta erat, cum die XV mensis primi in ipso plenilunio, & tertium ex serie annorum sabbaticorum, uti postea ostendam. Quale & illud, quòd pertinet ad initium belli Peloponnesiaci. Nam ex Thucydide constat cœpisse id bellum eo vere, quo Pythodorus Athenis archon fuit: hunc autem archontem fuisse anno Olympiadis celebritate insignito ex serie Thucydideâ similiter planum est. Et Diodorus ostendit, Olympiadem illam LXXXVII fuisse: idq; firmatur autoritate Xenophonis, qui anno post hunc XXIII Olympiadem XCIII esse actam demonstrat: affirmatque idem Diodorus, annum proximè præcedentem archontem Athenis habuisse Apseuden, eoque archonte Metonem ad diem XII Scirrophorionis mensis Attici ενναδεκαετηρῶν suam publicasse. Et huic consentiens Ptolemæus astronomus in magnâ Syntaxi scribit, Apseude eodem archonte Metonem cum Euctemone solstitium observasse die XXI Phamenoth mensis Ægyptii, (is dies congruit cum XXV Thargelionis Attici, & XXVII Junii Juliani.) & significat eum annum in ærâ Nabonassaræ fuisse cccxvi; in quo inest insignis character. Thucydides verò docet, anno primo belli hujus Peloponnesiaci tempore æstivo Solis eclipsin ingentem esse factam, ut stellæ etiam interdiu conspiciendas se dederint:

D

& hanc

& hanc eclipsim ad annum Nabonassari cccxvii pertinere, & quidem ad diem xxviii Pharmuthi mensis Ægyptiaci, qui respondit tunc diei iiii mensis Augusti nostri, ac proinde ad incuntem annum secundum Olympiadis lxxxvii, Euthydemo jam Athenis præsidente, astronomicus calculus ostendit: qui alter character est indubitalis, priorem confirmans. Adde tertium exemplum. Erat is annus, qui præcessit proximè illum, quo Cadmea arx in urbe Thebanâ à Spartanis contra fidem publicam occupata fuit duce Phebida, secundus Olympiadis xcix, ut Diodorus nos docet; & erat eodem anno archon Athenis Phanostratus, eodem teste Diodoro. Phanostrato autem archonte Ptolemæus scribit duas ab Hipparcho notatas fuisse eclipses Lunæ, priorem mense Attico Brumali Posideone, alteram mense Attico æstivo solstitiali Scirrophorione, & istam convenisse cum die xxvi $\Theta\alpha\theta$, hanc cum xxiiii $\Phi\alpha\mu\sigma\omega\delta$ mensium Ægyptiacorum, & utramque pertinuisse ad annum Nabonassareum labentem cccxlvi, cuius caput tum congruebat ad diem xxvii Novembris in anno Iuliano. Et iterum Diodorus ostendit arcem Cadmeam captam à Spartanis Olympiadis xcix anno tertio, archonte Atheniensium Menandro, qui Phanostrato successit. Hoc autem archonte, & anno Nabonassari cccxlvi Ptolemæus affirmat Hipparchum eundem eclipsim aliam notasse, quæ acciderit mense Attico Posideone priore, & eam pertinuisse ad mensis Ægyptiaci $\Theta\alpha\theta$ diem xvi. Atque hæc omnia calculus astronomicus etiam nunc comprobatur, qui arguit iis annis Nabonassareis & mensibus Atticis, & diebus ac mensibus Ægyptiacis istas eclipses accidere oportuisse, convenisseque primam cum die xxiii Decembris, alteram cum xviii Iunii, tertiam cum xii Decembris in annis Iulianis. Ita Nabonassarei anni cum Olympiadicis evidenter copulati sunt, & notæ temporis indubitate ab eclipsibus adjectæ.

Rursum, Claudio imperatore, anno imperii ejus v, consulibus M. Vinicio Quartino, & M. Statilio Corvino, Sol eclipsim passus est ipsi Kalendis Augusti, qui dies erat Claudio imp. natalis, eamque eclipsim Claudius ipse, priusquam accideret, publico programme populo prænunciavit, ut testatur Dion Cassius. Et hanc eandem eclipsim tabulæ astronomicæ quoque repræsentant anno Nabonassareo dccxcii, die xxv mensis Mesori, qui dies & annus cum Romanis jam dictis congruunt. Nam Nabonassareus annus tum à die xii Augusti in anno Iuliano capiebat initium, & Mesori mensium Ægyptiacorum erat ultimus, cui in fine dies v appendices cohærebant. Porro anno ab hoc quarto, Q. Veranio, C. Pompejo Gallo Coss. Olympias ccvii Elidensis, ut est à Solino memorie proditum, autore eodem Claudio imperatore actis publicis in urbe Româ adscripta fuit, atq; ita æra hæc Græca æræ Romanæ quàm maximè solenniter est annexa, & utraque caractere cælesti signata. Aliud. Constantinus Magnus imp. nobilissimus, quod ex Socrate liquet, obiit die xxii Maij, ipso die pentecostes, id est, feriâ hebdomadis primâ, Tatiano & Feliciano Consulibus. At ne feria quidem prima, multò minus ipsum pentecostes festum concurrere potuit eâ tempestate per proximos annos aliquot cum die Maij xxii, nisi anno æræ Christianæ vulgaris, quâ nos utimur, cccxxxvii. Ergo de anno mortis Constantini dubitare nos sana ratio non finit. Præsertim cum character alius etiam irrefragabilis ex cælo accedat. Ecce enim Iulius Firmicus mathematicus celeberrimus Constantino $\sigma\upsilon\gamma\chi\rho\epsilon\nu$ libro 1. cap. 2. scribit aliud agens, Optato & Paulino consulibus ab astronomis prænunciatam esse Solis Eclipsim, eamq; paulò post, sic uti prænunciata erat, in ipso meridie accidisse.

Extra

Extra controversiam autem est inter Optatum Paulinumque; & Tatianum ac Felicianum consules tria tantummodo consulum aliorum paria, id est, inter hunc & illum annum triennium solum intervenisse. Atque hoc fundamento locato, id quod Firmicus affirmat, astronomico calculo in anteriora extenso ab eruditissimis viris sæculi hujus, aut in posteriora ex fundamentis & rationibus priorum deducto, potest verificari. Calculi quippe ratio cogit, anno Christi vulgari cccxxxiiii Solem in ipsa meridie defecisse Julij die xvii, anno Nabonassareo mlxxxii, Paophi die xvii. Ita de tempore mortis Constantini dubitatione precepta initium imperii ejus non potest esse ignotum, cum omnium autorum consensus nos doceat, tricesimo primo imperii anno jam senescente eum decessisse. Priori similis character est etiam illa, quo mortem imp. Ottonis i signavit Vuitkindus Corbejenfis scriptor fidus, qui & cum Ottone vixit, & res ejus optime novit, easdemque exposuit diligenter. Is igitur imperatorem hunc è viris abiisse notavit ipsis Nonis Maij, feriâ quartâ ante pentecostem. Hoc verò tantundem valet, ac si obiisse eum die vii Maij, anno aerae nostræ vulgaris dccccclxxiii expressim scripsisset. Nam illo ævo nec Nonæ Maij conjungi potuere cum feriâ quartâ, nec eadem isto intervallo à pentecoste distare, præterquam anno jam dicto. Demum, quòd sanè indignum est, de anno captæ à Turcis Constantinopoli inter eruditos contenditur, cum quidam hunc casum ad annum ere Christianæ mcccclii, alii ad mccccliii referant. Sed præter alias rationes complures tres characteres insignes priorem sententiam refutant, & posteriorem confirmant. Capta enim est urbs illa nobilis, ut est apud Chalcondilem historicum optimum, die Martis, & ut historia patriarchica ejusdem urbis habet, feriâ tertiâ die xxix Maij, addito quoque anno ipso mccccliii; Et Venetorum princeps Franciscus Foscarus imperatori Friderico iii cladem hanc Christianæ reip. tum adhuc recentem per literas nuncios in calce literarum, pro more, scriptionis tempus designat, diem xxvii Julij, anni Christiani mccccliii, indictionis primæ. Et agebat tum, cum caperetur urbs, imperator Constantinus Palæologus imperii sui annum quartum, & Mahomet Turca tertium, & Fridericus tertius, ex quo imperator declaratus erat à principibus electoribus, xiiii, ex quo Romæ coronatus fuerat, alterum. Quæ singula, & quando quisque horum caperit, & quo anno ac die Fridericus Romæ coronatus fuerit, ex bonis autoribus certò constat.

Finis Libri primi

D ij

RERVM



R E R V M
 C H R O N O L O -
 G I C A R V M
 LIBER ALTER.

Absolvi libro præcedente, quæ in ejus initio expositurum me sum pollicitus. Verùm quoniam alia quoque sunt, quæ Chronologo bono cum primis cognitu sunt necessaria, ea etiam adjicere heic, & chronico canoni præmittere est animus. Quæ cujusmodi sint, singulorum capitum præscriptio vel titulus docebit.

DE TEMPORVM SERIE
 IN HISTORIA SACRA.



ERIE in historiâ sacrâ meritò ordimur à conditu mundi; quamquam assumpserimus etiam in canone concinnando, laterique ejus aptaverimus periodum illam Iulianam, de quâ jam antè diximus, propter utilitates ipsius eximias, quæ in anteriora ex hypothese porrigitur. Vnde factum, ut in canone eodem particulam quoque hujus extenderimus ad pauculos annos ante exordium mundi, ut id ipsum exordium suo loco periodo annexum oculis subjiceremus. Ceterum eo loco affiximus cum clarissimo Scaligero caput hoc æræ mundanæ, qui caput æræ Christianæ vulgaris, quâ omnis Christianismus utitur, antecedit annos totos MMDCCCXLIX, & menses duos ac dies quinque, quòd res aliquot raræ ac singulares, & admiratione sanè dignæ ad id temporis deprehendantur concurrere. Nam sicut prius quoque à nobis expositum, ex computo liquet, à die xxvi Octobris illius anni, quem ante Christianam æram numeramus ter millesimum nongentesimum quinquagesimum, qui dies & æquinoctio vicinus admodum fuit, & secutus est proximè Sabbatum, quo feriatu est Iehova perfecto creationis opere, circulum perpetuum ἐπισημασθῆναι ad unguem congruere cum primo Sabbato, mandante eodem Iehova in deserto Sin celebrato, cum populus Israel ex Ægypto esset egressus, ita ut Sabbatum hoc clausisset ἐπισημασθῆναι centies vigesies septies millesimum nongentesimum septuagesimum secundum, quemadmodum primum dies ille xxvi Octobris aperuerat. Deinde methodus periodorum ἐπισημασθῆναι, quæ sunt cycli hebdomadum annalium, ab eodem principio ducta cum reliquâ serie earundem periodorum ab initio γενεζίας post regionem sorte divisam fluentium, & ad excisam à Tito Hierosolymam porrectarum, accuratè convenit, eâ ratione, ut γενεζίας Mosaicæ annus primus excipiat annum ἐπισημασθῆναι trecentesimæ quinquagesimæ septimæ ultimum, quo populus à bellis conquievit, & terram sortitò divisit.

*Mundi
 exordium.*

divisit. Præterea, quod & ipsum insigne est, *παραρανοντα εν νεαυτη εδωκ* quoque series, quas Iubilæa vocant, ab eodem anno dieque confluentes ita procedit, ut earum quinquagesima prima desinens nascentem Mosaicam primam attingat, unde reliqua deinde series profuxit. Denique nihil est in tota sequente chronologia, & temporum contextu, quod huic sententiæ refragetur: quod ex iis, quæ sequentur, apparebit.

Ab hoc igitur capite & dinumeratione annorum certâ ac minimè fallaci, qui clarissimis verbis à Mose capite V & VII Genes. proditi sunt, in diluuium usq; sine dubio anni conficiuntur MDCLVI. In quo consensus chronologorum omnium est, qui Hebræo textui honorem tribuunt. Hinc porro ad natalem Abrahæ patriarchæ, & à natali ad vocationem ejus & commigrationem ex Mesopotamiâ in Palæstinam ex dinumeratione simili, quàm Moses quoq; suggerit, colliguntur anni integri CCCXLVII, & menses fortè aliquot. Nam in natali Abrahæ quib. dissentire à sententiâ communi, & minimè obscurâ mente Mosis placet, si verum dicere licet, nodum videntur in scirpo quærere. Et ab Abrahæ adventu in Palæstinam ad descensum Iacobi cum liberis & universâ familiâ in Ægyptum rursus ex collectione annorum, quos Moses itidem evidentib. verbis expressit, conficiuntur anni CCXV, quod nemo negare, aut in dubium vocare potest. Inde verò ad exitum Israël duce Mose ex Ægypto, ubi vacillare collectio videtur, cogit nos parem annorum numerum statuere autoritas Mosis, Exodi capite XII, & Apostoli Pauli ad Gal. cap. III. Moses enim annos universos habitationis Israelitarum in Ægypto (intellige tempus universæ peregrinationis Abrahæ, & seminis ejus, ex quo Abrahâ primum in Palæstinâ, & mox famis causâ ex eâ in Ægyptum venit: sic enim interpretum consensus exponit) ait fuisse CCCXXX, & Apostolus totidem fluxisse dicit à promissione datâ Abrahæ ad legem latam: promissio autem Abrahæ facta est eodem tempore, quo ipse ex Mesopotamiâ in Palæstinam, & inde statim ob famem in Ægyptum se contulit: lex verò lata est mox ab exitu populi ex Ægypto, in deserto Sinai. Atqui anni CCXV sunt à primâ migratione Abrahæ ex Mesopotamiâ ad migrationem Iacobi, totiusq; domus ejus in Ægyptum: quapropter necesse est totidem annos commorationi in Ægypto assignari. Et, ut verissima hæc sententiâ est, ita eruditissimè ac solidissimè pro eadem differit doctissimus & diligentissimus Abrahamus Bucholcerus in Isagoge chronologica, omnesq; quæ circumfundi ab obstrepentibus possunt, nebulas feliciter discutit. * Ab exitu deinde ad initium regni in populo Hebræo constituti, atq; hinc porro ad primordia templi à Salomone rege tertio constructi autoritate divinâ eduntur anni CCCCLXXX. ^a Itaq; hoc quoq; controversiam nunquam habuit. ^b At à templi primordiis ad ejusdem, & urbis Hierosolymæ excidium, finemq; regni Iudæ per sequentium regum seriem dinumeratis regum annis, qui in historiâ annotati sunt, alii aliud temporis spacium conficiunt, qui chronologica tractant. Sed qui accuratissimè in hac re versati sunt, & annos regum Iudæ cum annis regum Israel, quos historia sacra cum prioribus copulavit, diligenter compararunt, ac simul dirigendo computo characteres adhibuerunt, ut Buntingius & Scaliger, & Scaligerum secutus Calvisius, itemque Temporarius demonstrarunt annis absolutis CCCXXVII, & mensibus aliquot tempus id contineri. Cui tempori è cæteris, qui accuratiores fuerunt, Melanthon sexennium, Funccius quinquennium detraxerunt, Bucholcerus triennium, Beroaldus, & qui eum secuti sunt, quinquennium, Eusebius annos XIII, Lutherus XXXII addiderunt. Quæ vacillatio hinc potissimum extitit, quod plerique regum omnium annos, quos sacra pagina notavit, pro integris acceperunt, aut in annis Ioram

*Diluuium
universale.*

*Tempora
Abrahæ.*

*Ingressus
Iacobi &
liberorum
ejus in Ægyptum.*

*Exitus
Israelitarum
ex Ægypto.*

** Initium
regni Hebræorum,
& primordia
templi
Hierosolymitani.
^a 1. Reg. cap. 6.
^b Duratio
regni &
templi.*

Probatio
distorum
per chara-
cteres.

aut Azariae computandis hallucinati sunt, aut falsae Iubilaeorum hypothesi, quod diligentissimum Bucholcerum potissimum abripuit, supputationem accommodare voluerunt. Sed characteribus adhibitis vacillatio est sublata. Character praecipuus ab anno Sabbarico sumptus. Nam ut ex Esaiâ constat cap. xxxvii, 30, annum regis Ezechiae xiii fuisse Sabbaticum, ita ex Ieremiâ, prophetiae ejus cap. xxviii, in principio satis evidens est, annum excidii Hierosolymae & everfi templi itidem Sabbaticum fuisse. Copulat enim propheta eo loco initium regni Sedekiae ultimi regis cum anno quarto, & quidem anni ejusdem mense quinto: quod de anno Semithae Judaicae, id est, hebdomadis annalis intelligi necesse est. Nullius enim alius periodi aut epochae annus quartus monstrari potest, si verum fateri volumus, à cuius mense quinto surgat principium regni Sedekiae, nisi dictae *επταετηρίς*. Nam certè Lyrae glossa ex R. Samuele hinc vana est, & nullius rationis, quamvis eam inopiâ expositionis melioris, dum nemo de periodo *επταετηρικῆ* cogitat, interpretes frequentes sequantur. Istam verò periodum non in lege solùm demandatam populo esse, sed in more atq; usu quoq; positam fuisse quis negaverit, nisi aut imperitus sit, aut veri osor, aut sanæ mentis expertus? Nam & celebrat memoriâ Macabeorum liber, & post hunc optimus rerum Iudaicarum autor Iosephus frequenter eam usurpat, & methodus ejus perpetuâque series in vetustissimo Calendario Iudeorum à R. Hillel, cujus supra à nobis mentio facta est, jam mcccxxx ante annos conscripto, quo etiam nunc utuntur Iudaei, est expressa: nèque adhuc Iudaeis eadem negligitur. Si verò initium Sedekiae congruit anno hebdomadis quarto, mensèque ejus quinto, necessum est, ut annus regni ejus x finiens, & xi iniens congruat cum mense quinto anni Sabbatici, hoc est: ultimi hebdomadis annalis. Anno autem xi regni sui fluente, & quidem anni ejus mense quarto, captus est Sedekias, & Hierusalem occupata à Chaldaeis, templum deinceps mense sequente incensum, vastatumque. Atque hoc de casu Sedekiae ad annum Sabbaticum pertinente amplius ex ipso Ieremiâ convincitur capite prophetiae ejus xxxiiii, ubi de servis Hebraeis ex servitute dimittendis secundum legem Moysis propheta concionatur, ut nisi qui pervicax sit, refragari huic sententiae nemo possit. Sed nec annus Ezechiae xiii, nec annus hic everfi templi, excisq; Hierosolymae, ac Sedekiae capti possent esse Sabbatici, nisi ille secundum rationes nostras mmmccxxxiiii à creatione rerum, & dcccxxxiiii ab initio *μωϋσας* unde *επταετηρίς* Mosaeicae perpetuo ordine fluunt, ac proinde cccii à templi Salomonici exordio, hic autem à condito orbe mmmccclx, à *μωϋσας* initio dcccclx, atque ita ab eo mense & die, quo templum strui capit, ccccxxviii esset. Quâ unâ ratione non veritas solùm sententiae nostrae aperitur, sed reliquarum quoq; falsitas convincitur. Nam nulla earum est, cujus numerus sive ab exordio mundi, sive à *μωϋσας* initio, computatus per vii sic dividatur, ut nihil resideat, quod Sabbatici anni ratio poscit. Cum igitur sine dubio, ut demonstratum est, Sabbatico anno & urbs Hierusalem ceciderit, & templum perierit, omninò oportet ad annum mundi mmmccclx, & *μωϋσας* dcccclx, ac inchoatâ templi structurae ccccxxix surgentem absoluto ccccxxviii eum casum referre, aut annos totos septem his addere aut demere, quòd doctiorum Chronologorum nostri aevi nemo faciendum putavit, excepto Luthero, qui solus xxxii adjecit. Sed is ut aliis gravissimis curis & studiis distractus relictum hic non tenuit, sic sectatores sententiae hujus suae non invenit. Accedit huic argumentum aliud ab alio caractere, priori cognato. Ezekiel enim propheta cap. xxix, versiculo 1 & 17 conjungere videtur annum xxvii cum

cum x. De x autem dubium non est, quin numeretur à deportatione Iechonię regis & principio regni Sedekiaę. De altero quari potest. Nam ab eodem initio duci nec ordo finit, quem toto libro suo servat propheta, nec argumentum permittit. Eadem enim res est, de quã propheta ad utrumq; annum loquitur; ut uterq; annus ad unum idemq; tempus referendum esse videatur. Itaq; non abs re existimat Iosephus Scaliger solertissimus & sagacissimus in his investigandis, à Iubilæo fluentem annum isto numero prophetam designasse: docetq; usitatum in eã gente fuisse, cum anni absolutè sine nomine regis aut epocha edebantur, plerunq; aut septimanæ Judaicę, ut Jeremię capite xxviii, aut Iubilæi notatos fuisse. Quòd si re-ctè censuit Scaliger, ut mihi quidem censuisse videtur, quia cum methodo Iubilæorum copula illa annorum probè congruit, rursus firmiter concludi potest, casum urbis & templi ad annum mundi, *γεωργίας*, inchoatę templi ædificationis absque dubio pertinere, quam ante expressimus, nec ad alium ullum. Methodus enim jubileorum pariter & *ἐπιλαετηρίδων* sic cogit: quę methodus ostendit annum istum Ezechia cum mundi anno *ΜΜΜCXXXIIII* concurrentem non solum cum Sabbatico copulari, sed etiam jubileum à primordio rerum *LXVI*, à *γεωργίας* initio xv terminare, ac simul monstrat, inter annum illum eundem, & excidium templi atq; urbis jubileum integra duo, & annos insuper *xxvii* absolutos intercessisse, & annum proximè sequentem, nimirum *xxviii* Sabbaticum fuisse, quo capta Ierusalem & templum deletum. Ita x annus Sedekiaę cum *xxvii* jubilei deprehenditur coincidere.

Hucusque temporum series continua ab exordio mundi, & primo homine creato descendens in sacris literis sibi constat. Reliqua eandem continuationem, seriemque contextam iisdem in literis non habent. Nam quę ex annis captivitatis Babylonicę, & hebdomadib. Danielis petuntur, per infirmis nititur rationibus, & rationibus aliis firmioribus convellitur, ut suo loco exponetur.

DE TEMPORVM SERIE IN
LITERIS PROFANIS.

M. Varro Latinorum doctissimus universum tempus ante se divisit in partes tres: quarum primam tempus *ἀδηλον* propter incertitudinem & obscuram ejus memoriam, secundam *μυθικόν* ob fabulas frequentes historiis ejus partis asperfas, tertiam demum *ιστορικόν* ob temporum pariter ac rerum rationem certiorum nuncupavit. Primi temporis terminum, cujus incertum exordium, Ogygis diluvio affigit, secundi in initio Olympiadum ab Iphito instauratum statuit, tertii inde ad ætatem suam extendit. De his Censorinus Varronem sequens sic. Primum tempus, inquit, sive habuit initium, seu semper fuit, certè quot annorum sit, non potest comprehendere. Secundum non planè quidem scitur; sed tamen ad *m* circiter & *xc* annos esse creditur: à priore scil. cataclysmo, quem dicunt Ogygis, ad Inachi regnum annis circiter *cccc*, hinc ad Olympiadem primam paulò plus *cccc*, quos solos quanquam mythici temporis postremos, tamen quia à memoriã scriptorum proximis, quidam certius definire voluerunt: Et quod Sosibius scripsit esse *cccxcv*, Erasthones autem septem & *cccc*, Timæus *ccccxvii*, Oretes *dlxiiii*: Et præterea multi diversè: quorum etiam ipsa dissensio incertum esse declarat. De tertio autem tempore fuit aliqua inter autores dissensio in sex septemve tantummodò annis versata. Sed hoc quodcunque caliginis Varro discussit, & pro cæterâ suã sagacitate nunc diverfarum civitatum conferens tempora, nunc defectus, eorumq; interval-
la retrò dinumerans eruit verum, lucemque ostendit, per quam numerus
D iij certus

Divisio
temporis
universi
secundum
M. Varronem.

*Di viso-
temporum.
secundum
Diodorum
Sicutum.*

*Alia tem-
porum di-
stinctio in
rebus Asia-
ticis.*

*Alia in
rebus Grae-
cis, & Eu-
ropatis.*

*Antiquis-
sima quaeq;
in rebus
profanis
incertissi-
ma.*

certus non annorum modò, sed & dierum perspicui possit. Hæc Censorinus Varronis vestigiis insistens. Alii aliter. In quibus Diodorus Siculus in proœmio bibliothecæ suæ partitionem operis & universæ narrationis secuturæ instituens, primis VI libris complexum se ait fabulosa tam barbara quàm Græca bello Trojano antiquiora, atque eorum propter inopiam scriptorum fatetur non satis certam sibi rationem constare. Inde verò ad Heraclidarum reditum in Peloponnesum annos LXXX, & ab hoc reditu ad Olympiadum initium CCCXXVIII fluxisse scribit, priorumq; historiam ab Apollodoro Atheniensi contextam esse, reliquorum seriem ex reb. & temporib. Heraclidarum, qui Lacedæmone regnarint, colligi posse ostendit. A primâ deinde Olympiade ad belli Gallici principium, quod à C. Cæsare gestum est, DCCXXX numerari dicit, atq; hunc ait scribendi sibi terminum futurum, eòq; modo ab excidio Trojæ annorum MCCCXXVIII historiam libris XXXIII se expositurum, exceptis iis, quæ Troicis temporibus anteriora sunt, & VI libris à se comprehensa. Quidam in rebus Asiaticis à Nino Assyriorum imperii conditore, aut à patre ejus Belo initium capientes ad Sardanapali cædem, & ab hac cæde regnòque in partes distracto ad Cyri Persarum regis exordium, & hinc ad Darii ultimi in eâ gente occasum, ac surgentem monarchiam Alexandri Macedonis, & demum ab eo termino ad oppressos in Asiâ primùm, deinde & Ægypto Macedonas tempora metiuntur. Alii in rebus Græcis & Europæis ab Ægialeo Sicyonio, aut Inacho Argivo exorssi, aut ab Ogyge, vel Cecrope Attico ad Trojæ casum, hinc ad primam Olympiada Iphiteam, aut ad regni Attici finem, inde per prætorum perpetuorum, & post eos decennialium seriem in eadem civitate ad Creontem primum prætorem annum, & veram populi libertatē, statumq; democraticum, atq; inde rursus ad dominatum Macedonum, oppressamq; libertatem popularem, & istinc porrò ad monarchiam Cæsarum eadem tempora computant. Itali autem à Iano ad advētum in Italiam Æneæ, ab hujus adventu ad urbem Romam à Romulo conditam, tum ab hoc urbis Romanæ principio ad expulsos ex urbe reges, hinc ad eandem urbem à Gallis captam & vastatam, inde ad initiū belli Punicī primi, cum Romani, subactâ totâ Italiâ, exercitus extra eam ducere, & ulteriorib. manum injicere ceperunt, & ab eo demum exordio ad oppressam Romanorum libertatem, constitutumq; dominatum à C. Cæsare ævum omne partiuntur. Et hi omnes expresso annorum numero intervalla singula definiunt. Ægyptiorum vanitates ex tabulis, quæ Manethonis nomine feruntur, in quib. regna & *δυναστιαί* longissimâ serie ante hominum genus natum, & mundum à Deo conditum recensentur, libens prætermitto, ipsis gerris Siculis, & si quid iis vanius, haud dubiè vaniores. Sed in cæteris quoque, quæ recitavi, ut quidq; antiquius, ita incertius, ut ante casum Sardanapali in rebus magnæ Asiæ, ante Trojanum bellum in antiquitatibus Græciæ, ante Romam conditam de statu Italiæ vix quicquam habeas, in quò pedem firmiter possis figere. Imò ante Cyrum in Oriente pleraq; vacillant, si Chaldeorum æram solo capite notatam, certo annorum numero ab occupatâ ab Alexandro Magno Babylone in anteriora procurrentem, & casum quoque Sardanapali multis sæculis prævertentem, si Simplicio & Callistheni Aristotelis discipulo & cognato fides, atque imprimis Nabonassari Epocham, quæ astronomorum propria est, ac in dubium trahi non potest, quas antè memoravi, excipias. De temporum ratione loquor. Itidem in Græciâ usque ad Olympiadas Iphiteas. Nam in Assyriorum ac Chaldeorum rebus si sequi velimus, quæ Iulius Africanus optimus cæteris, & diligentissimus autor, cui chronologica sua Eusebius Cæsariensis debet, Bassiano Caracallæ, Macrino, & Heliogabalo imperatoribus Romanis

coætaneus,

coetaneus, ex Berofo & Chaldaicarum antiquitatum scriptoribus aliis deprompta recitat, computatione annorum fretus, quâ in primis mundi sæculis Ecclesia Græca tum vulgò utebatur, cum initio Beli regis primi in annum **LXIII** ante diluvium universale, & initium Nini regis secundi in annum **VII** ante idem diluvium incurremus.

Atque hoc modo diluvium regnante Nino, & regnum continuante acciderit, Ninusque regnum incolume Semiramidi conjugii & posteris reliquerit: quo nihil absurdius, si Mosis autoritate in Hebræis literis standum.

Quam ob causam, & ut hypothefi consilioque suo canonem accommodaret, Eusebius reges aliquot catalogo Africani detraxit, & natalem Abrahamæ patriarchæ cum anno **XLIII** Nini regis conjunxit.

Græca uti jam nunc dixi, alii ab Ægialeo antiquissimo rege Sicyoniorum, alii ab Inacho Argivorum regni conditore, alii ob Ogyge Attico, cujus tempore ingens diluvium memoratur accidisse cum maximâ pernicie hominum & pecorum, alii à Cecrope Diphye rege primo apud Athenienses incipiunt, & per regum feriem ad Trojæ excidium ea deducunt, dinumeratisque singulorum annis certum annorum numerum conficiunt.

A Trojâ verò captâ simili modo ad Olympiadum Iphitearum initium reliquum tempus extendunt. Sed quia non omnes idem tenent, qui ista posteris tradiderunt, imò variis modis inter se dissentiunt, adeoque magnis admodum spaciis à se invicem hic illie discedunt, certa fides eorum traditionibus adhiberi non potest: Præsertim cum ii, qui tradiderunt vetusta illa, & non solum reges ipsos longo ordine recensuerunt, sed singulis quoque regni annos adscripserunt, longissimis sæculorum intervallis, ad annos nimirum **MDCC** aut **MDCCC**, aut **MDCCCL** a principiis illis abfuerint; & principia non minus **DC** aut **D** annis, si qua chronographicis his habenda fides, Cadmum antecesserint: ante quem nullus adhuc literarum usus apud Græcos, & post eum valdè rarus per aliquot sæcula fuit.

Vnde sequitur, prima ista solis qualibuscunque traditionibus ἀγράφοις niti, quæ quam sint incertæ, non est ignotum.

At propter horum incertitudinem, quam ipsi quoque scriptores gentiles agnoscunt, cætera, quæ sequuntur, pariter rejicere, atque incertitudinis ejusdem arguere, quod viri quidam magni faciunt, id sanè nimis est iniquum.

Nam quod ab excidio Ilii ad Olympiada ab Iphito instauratam intervallum est, id plurimum & bonorum autorum consensus habet, quia pertinet ad id tempus, quo jam literæ, bonæque artes in Græciâ vigebant: & si qua dissensio de eo reliqua est inter scriptores fidos à disquisitione diligentiore, hæc annum aut biennium non excedit. Nam quidam **CCCCVI**, alii **CCCCVII**, nonnulli **CCCCVIII** annorum intervallum hoc faciunt, quanquam hi à mediis verbo magis quam re discrepare videantur, intelligentes scilicet octavum annum post quadringentos currentem, quod & illi volunt.

Et est sine dubio ista sententia de annis **CCCCVII** absolutis melior, quæ & Eratosthenis est viri sagacissimi ac in hoc studii genere diligentissimi Ptolemæo Philadelpho coevi, & M. Varroni placuit, & à Dionysio Halycarnassæo antiquitatum indagatore solertissimo probata fuit, ac demum characterem habet à die **XXIII** Ἐαρινίων ἑορτῆς Attici per πρόλευον in anteriora porrecti, ut docet Iosephus Scaliger libro **III** Canonum Isagog.

In eum enim diem casum Trojæ contulerunt optimi quique scriptores, & veteres & recentes, qui respondit tunc diei **XXII** Junii nostri in periodo Julianâ.

Et plerique plenilunio * quoque accidisse tradunt: quod si verum, character fuerit irregragabilis. Atque hac ratione à captâ Trojâ ad instauratum ab Iphito agonem Olympicum, quem actum esse demonstrat idem eruditissimus Scaliger die **XXIII** Julii in pe-

Rursum
de tempo-
rum serie,
& epochis
in rebus
Græcis &
Europæis.

* Est hic
annus, quod
statuitur
capta esse
Troia, pe-
riodi Julia-
næ 3521.
Eo autem
anno pleni-
lunium ve-
rum inci-
dit in diem

XXIII
Iam Iu-
liam, ho-
ram quasi
I. I. ame-
ridie. Sic
capti Tro-
ja fuerit
paulò ante
plenissimi-
um.

in periodo Iulianâ, post exactos annos integros cccvii unus quoque mensis effluxerit in anno sequente cccviii. Ab hoc igitur principio prioribus certiore autores sæpè in reb. Europæis temporum seriem repetunt. Et tamen hoc ipso haud parum certiora sunt, imò omni exceptione majora, quæ sequuntur, Olympiadum Iphitearum initium, natalis urbis Romæ Olympiadum seriei rectè affixus, epocha Nabonassarea: quæ capita ærarum vicina inter se intra annos xxix omnia surrexere.

HORVM IAM DICTORVM DEFENSIO
CONTRA DISSENTIENTES.

Defensio
epochæ
Nabonaf-
sareæ.

CONTRA hæc tergiversari viros alioqui summos, & in scirpis nodos quærere, non solum mirandum sed dolendum est. Nam quòd Nabonassareæ epochæ obijciunt Ægyptiorum, qui illâ ut plurimum usi sunt, à quibus nos & Arabes astronomi eam accepimus, vanitatem, id sanè perquam frivolum est. Vanitas enim ista in prodendâ antiquitate gentis, & rerum inanium serie Ægyptiis adscribitur: sed in astronomicâ disciplinâ, in quâ à Chaldæis primùm acceptâ & excellere diu, & maximè castè versati sunt, non item. Nec cadit id ingenii aut morum vitium in hanc disciplinam; quòd negari non potest. In hujus autem exercitio usurpata est non ab Ægyptiis solum, sed etiam à Chaldæis, apud quos nata est, æra Nabonassareæ, & in ejus serie observata solstitia, æquinoctia, eclipses, cœli syderumque motus & *φανόμενα* notata, & posteriorum memoriæ prodita, custoditæque, in quib. nugari non licet. Quæ verò notata custoditæque in ea sunt, ea cœli motui, à quo error & vanitas abest, congrua esse, posteritas semper invênit, atque nunc post tot sæculorum lapsus, computatione in antecedentia extensâ, invenit. Est igitur certa & indubitata annorum illorum series à capite suo descendens: Nisi fortè aut Chaldæos, cum *φανόμενα* cœlestia observarent, annotarentq;, aut Ægyptos, & imprimis Ptolemæum astronomorum *δαδύχων*, & aliquot sæculis ante hunc Timocharidem, cum eadem facerent, qui annus in ærâ familiari notissimâque tum fluere, ignorasse putemus. Quòd sanè nihil aliud fuerit, quàm si dubitare nos dicamus, qui annus nobis hodie in ærâ Christianâ vulgari fluat. Præsertim cum ea esset annorum illorum Ægyptiorum ratio, ut copula dierum cum diebus annorum aliorum falli neminem permetteret. Quam eandem ob causam nec Albategnius, nec Arabes ceteri, nec tota Alfonsoinorum schola hallucinari in ejus numero potuerunt. Itaque principium negare, aut in eò tergiversari velle non abs re cum dixerimus, qui certitudinem hujus æræ convellendi studium habere videbitur. Vnde porrò conficitur, si vel unum æræ Christianæ vulgaris, quâ hodie utimur, annum, aut unum ejus diem cum anno diève certo græ istius rectè copulaverimus, quòd fieri & sæpius & variis modis posse extra controversiam est, habituros nos esse certissimam seriem temporum à sæculo hoc nostro extensam ad caput græ Nabonassareæ. Ecce exemplum, ex quo rem clarius cognoscas. Stella Iovis ipsi quasi centro corporis Lnnæ conjuncta fuit anno Nabonassari *δcccclxxxvii* propè exituro, die xxvii Mesori, qui respondit tunc x diei Iulii nostri, tempore matutino ante Solis exortum, in parte xv piscium, & scrupulo ejus xlv, ut est à Ptolemæo notatum; à quo additum etiam hoc, pertinere id, quòd diximus, ad annum imperii secundum Antonini Pii. At verò, ut ex anno Antonini connexionem omittamus, astronomicus calculus nos docet, & certissima cœli motuum lex, id eò sæculo proximis annis aliquot & antecedentibus. & consequentibus fieri

Ratio con-
nectendi
æram no-
strâ Chri-
stianam
cum ærâ
Nabonaf-
sareæ, ex-
emplo de-
monstrata.

fieri non potuisse in grâ Christianâ, præterquam anno græ cxi, crescente mense Julio. Vnde reliqua, quæ diximus, pendent; & quidem ita pendent, ut controversiam habere non possint.

Nec firmitus est, quod Olympiadum æræ, ejusve certitudini opponunt ii, qui ab hac ratione nostrâ dissentunt. Ajunt enim Græcos scriptores, qui hac grâ usi sunt, varios, vanos, inconstantes, inter se dissidentes esse cum in aliis rebus narrandis, tum maximè in historiâ regum Persicorum: & ista verbis, quantum possunt, exaggerant, ac Iosephum quoque Iudæum scriptorem sanè fidum ejus elogii illaudabilis testem citant. Et addunt exempla, in quibus Græci inter se dissentire reperiuntur. Quidam Xenophontem inter primos proceres historiæ Græcæ, qui primus etiam eorum, qui ad nos pervenere, scriptorum, Olympiadem numero consignatam historiæ suæ inseruit, in serie hujus græ vacillare contendunt. Et hæc quidem quamdiu in Græcis manent, ita exponunt, ut non dicere nihil videantur. At ubi ad ἱστορίαν descendunt, & vitia ipsa monstrare, & placita sua aptare historiæ, ac argumentis fulcire conantur, bone Deus, quam ineptiunt viri magni, & absurda absurdis cumulant? quanto dolore amantes sui afficiunt? Sed rem breviter putemus. An cum de Græcis ista dicunt, Herodotum quoque & Thucydidem & Xenophontem, (ut Callisthenem, Theopompum, Ephorum, Timæum, Philistum, & ceteros, qui periire nobis, ex quibus Diodorus Bibliothecæ suæ bonam partem contexit, prætereamus) Polybium, Diodorum ipsum, Dionysium Halicarnasseum, Plutarchum gravissimum philosophum, tales habent? De Herodoto scimus quid mastiges ejus jactent. Sed hos tamen, de quib. jam agimus, non tam iniquos in eum esse arbitramur, ut commenta sua pro rebus gestis conscribere voluisse, & solemni in conventu recitasse, id est, consultò mentitum esse, regesque Persarum, quos natura rerum non genuerat, aut Sol nunquam viderat, ex cerebro suo edidisse, dicturi sunt. Melius enim de bonis literis & posterorum memoriâ meritis est, quàm ut eo probro ab eruditis & bonis afficiendus esse videatur. Nec facit ad rem, quod ab eo Ctesias dissentiat, & vanitatis eum accuset: cum ignotum non sit, libenter hunc optimo auctori contradixisse, & prurigne obtrectandi nomini ac gloriæ ejus laborasse, & tamen prodito hoc animi sui morbo plus sibi apud Græcos, quàm ei, cui obtrectabat, nocuisse. Nec sanè paria sunt, alicubi Herodotum peregrina & loginqua, ut Ægyptia, Libyca, Æthiopica, Scythica, Indica ita, uti ea ab aliis acceperat, aliorum fide recitantem errare, & Græca Persicæque, quæ cum Græcis maximè cohærebant, quorum & recens adhuc memoria erat, & sensus penè velut nuperorum toti populo inhærebat, ex libidine suâ fingere. Thucydidi autem & Xenophonti, & ceteris, quos secutus Diodorus est, ætatis suæ res historiâ complexis usque ad Alexandri Macedonis monarchiam id crimen impingere apertè nemo hætenus sibi permisit. Idem de Polybio Megapolitano scriptore gravissimo, Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnasseo, Plutarcho Charonensi dicimus. Et sanè valdè diversa sunt, scriptorem aliquem historiæ privato studio texentem hallucinari, & acta publica publicis tabulis consignata falsa esse, ac sine fide. Olympiades autem, à quo solemnis ἀγων & ludus ab Iphito Praxonidæ Elidensi instauratus est, toti Græciæ communis, tabulis publicis in Elide, solemnitatis ipsius sede, per sacerdotes sacro loco servatis continuâ serie consignatæ, & nomina victorum singulis Olympiadibus ad perpetuam memoriæ honoris causâ adscripta fuere. Atque hæc πανηγύρις Olympicæ frequentissimo concursu ex omnibus Græciæ oris & civitatibus origine Græcis etiam

Defensio
epochæ O-
lympiadi-
cæ.

Pinnacis
cuius fasti
Olympia-
dici.

extra

extra Græciæ veteris solùm quarto quoque anno, stato certoque anni tempore secundùm Lunę motum celebrata, & ne per bella quidem nisi rarissimè omissee ad tempora Septimij Severi imperatoris Romani & filiorum ipsius, quòd satis constat, fortassis etiã ulterius durarunt. In quibus *πρωαιθηρικοῖς* ludis tam solennibus consignandis, ac temporibus notandis ab iis, qui publicè huic curæ prepositi erant, errorem committi potuisse si quis existimet, nã is totã mente ipse errare, id est, delirus esse videri potest. Nec alia ratio *τετραετηρίδων* Atticarum, & magnorum Panathenæorum erat apud Athenienses, & Pythiorum apud Phocenses, nisi quòd non in eundem annum solennitates inciderent, sed Attica & Pythia Elidensem aut Olympicam anno proximo semper antecederent. Hęc enim anno tertio Olympiadis, ut est antè indicatum, peragebantur. Quo modo fiebat, ut mutuã certitudine magis magisque firmatæ fluctuare nullã ratione possent. Et ut in tabulis Olympiadicis Olympionicæ notati erant, ita in Atticis Pinacibus ordine suo consignati erant *ἀρχοντες ἐπώνυμοι* annui, & in Spartanis *ἑφοροί* similiter *ἐπώνυμοι* annuique, quemadmodum & in Delphicis sacerdotes. Atque ex his tabulis Diodorus Siculus Olympiadum feriem cum *σαδιονίαις*, & ordinem archontum Atticorum in suam historiam transcripsit; & Phlegon Trallianus Adriani imperatoris libertus jussu, ut volunt, patroni sui *ἀναγραφήν Ὀλυμπιάδων καὶ Ὀλυμπιονικῶν* cum *συναγωγῇ* historiarum (opus sæpe citatum ab optimis autoribus) atq; item Iulius Africanus feriem perpetuam *σαδιονικῶν* à primo Choræbo Elæo ad ultimum ætatis suæ Heliodorum Alexandrinum, qui secundo stadium vicit Olympiade cccxlix, concinnarunt. Atticorum autem Archontum fastos publicè extitisse ab antiquissimis temporibus ad Herodoti ætatem Herodotus ipse ostendit in fine libri de vitã Homeri, quibus series annorum custodiebatur. De quibus archontibus peculiarem quoque librum composuisse Demetrium Phalereum, qui Alexandro M. posterior fuit, Laërtius docet in vitã Anaxagoræ, & Marcellinus in vitã Thucydidi: idemque à Steficlida Atheniensi quoque factum esse ab eodem scribitur Laërtio in vitã Xenophontis. Et notissima res est, his fastis Athenienses, ut Romani Consularibus, esse usos. Olympiadum igitur series illustris, & omni exceptione firmior certiorque; custos temporum est in rebus Græcis, & iis, quæ quoquo modo cum Græcis coherent. Verum enimverò, ajunt, qui usum earum in explicandã chronologiã ele-

Τετραετηρίδες Atticæ, & Pythiæ.

Fasti Attici, et ἀπώνυμοι Græciæ ceterarum.

Uterior dissensio æræ Olympiadicæ.

vant, caput earundem caractere certo destituitur: quapropter titubante capite nec eventus rectè iis applicari, multò minus ipsæ pro regulã temporis haberi possunt. Quibus alii alia ex dissensione autorum, qui Olympiadum ærã sunt usi, adjiciunt. Atqui omnia hæc tam inania & frivola, ut iidem ipsi, qui dicunt, imprudentes ea evertant. Nam victoriam illam nobilem Alexandri Macedonis ad Arbela, quã monarchiam sibi peperit, congruere cum anno Iphiti cccxlvj, aut, quòd idem valet, Olympiadis cxii anno ii ob omnium autorum bonorum consensum fatentur. Nec hoc solùm fatentur, sed ad Actiacam Ærã, quanquam perperam eam cum tempore pugnæ ad Actium confundant, cum Olympiastico anno dccxlvj, & Iuliano xvi, itemque natalem Christi vulgarem cum Olympiadis cxciii anno iiii, hoc est, anno Olympiastico dccclxxvi còcurrere unã nobiscum affirmant. Quæ si vera sunt, ut sunt verissima, de Olympiadum capite, dubitatio esse non potest; quòd vel puer intelligat. Nam ab his annis Olympiadum serie in anteriora ad ipsum usque caput extensã, quoto cum anno ante natalem Christi, epochamque Actiacam, & pugnam ad Arbela caput id conveniat, & quomodo ærã hæc cum

cum arâ Nabonassareâ cohæreat ac decurrat, fit manifestum. Sed non hæc solum argumenta sunt pro Olympiadum certitudine, quæ ab ipsis aduersariis sumuntur, verum alia complura. Nam consensus auctorum habet, archontes annuos IX Athenis creari cepisse Olympiadis XXIII initio, & Solonem ἀρχοντὰ ἐπιώνυμον in patriâ fuisse, & leges Atheniensibus scripsisse Olympiadis XLVI anno III, & quod iidem, qui Olympiadibus obtreçant, non diffitentur, Cyrum in Persiâ regnum iniisse Olympiadis IV anno I. Præterea inter auctores optimos constat, Xerxem in Græciam invasisse, & ad Thermopylas ac Salaminem pugnasse eo anno periodî Iulianæ, quo Olympias LXXV celebrata fuit, & Callias ἀρχων ἐπιώνυμος Athenis magistratum inuit congruentem sine dubio cum Olympiadis istius anno primo, qui annus CCXCVII est ab Olympiadum capite, quem in canone suo magnoperè à summis chronologis probato Eratosthenes expressit. Et quidem ex Herodoto manifestum est, ad Thermopylas circiter ipsam ludorum festiuitatem pugnatum fuisse, & Athenas à Xerxo captas Calliade iam præturam gerente. Vnde sequitur, vergente anno quarto Olympiadis præcedentis transisse regem ex Asiâ in Europam, Athenas verò capisse, ac ad Salaminem decertasse fluente jam anno primo Olympiadis hujus LXXV: quam licet Herodotus cum numero non edat, ediderunt tamen alii, & imprimis Diodorus ex fastis publicis, itemq; Dionysius Halicarnassæus in antiquitatibus Romanis; Eratosthenis autem per annum in Canone notatum designavit, ut res in dubitationem trahi non possit. Ad hæc Thucydides, qui, quæ vidit & audivit ipse, imò quibus gerendis non è plebe, sed ex civitatis suæ principibus interfuit, nonnunquam etiam præfuit, scripsit, verè magnus & fidus historicus quanquam per æstates ac hyemes belli Peloponnesiaci tempora digerat, aliquoties tamen Olympiadas celebratas cum actis & annis belli connectit: & licet earum numerum non addat, tamen ad Olympiadas singulas, quas memorat, Olympionicis adscriptis, ac non uno loco Athenarum archontibus, & Sparta ephoris ἐπιώνυμοις nominatis, quos civitatum suarum fastis inscribi solere dixi, quotæ Olympiades illæ sint, evidenter ostendit. Idem facit, cum à cæde Hipparchi Pisistratidæ, quem Aristotigon & Harmodius in celebritate magnorum Panathenæorum occiderunt, ad pugnam Marathoniam annos XXI, ab hac pugna ad expeditionem Xerxis in Græciam annos X numerat; à fine autem belli Xerxi ad initium belli Peloponnesiaci I ferè, & hinc ad cædus annorum I inter Athenienses & Peloponnesios initium integros X, atq; inde rursus ad bellum inter partes renatum VI & menses X computat: deniq; cum ab eodem belli principio ad finem ejus, id est, ad Athenas Lyfandro deditas, & muros longos everfos, annos exiisse scribit. XXVII, ac dies aliquot. Nam Athenas Lyfandro deditas, & muros ad tibiærum tantum everfos vergente jam anno IIII Olympiadis XCI, Xenophon demonstrat, qui Thucydidis narrationem auctoris morte abruptam, & in actis ultimis æstivis anni XXI hujusce belli desinentem excipit, & ad belli exitum continuat. Hic enim Olympiadem istam & numero exprimit, (ὡς ἴω, inquit, Ὀλυμπιάς τριτὴ καὶ ἐννεηκοστή) & archonte Attico Euctemone, ephoroque Spartano Euarchippo, ac duobus insuper Olympionicis Eubotâ Cyrenæo, & Evagorâ Elidensi, clarissimis characteribus notat; atque insuper memorabili eventu præcedentis anni, illustri scilicet Pœnorum victoriâ in Siciliâ duce Annibale, quasi clariosem & certiosem facit. Deinde interjectis ab hac Olympiade notatâ totius quadriennii actis, & casu infelici Athenarum exposito, sic statim subjicit, καὶ ὁ ἐνιαυτός ἐλη-
 γθη, ἐν ᾧ μεσοῦντι Διονύσιος ὁ Ἐρμοκράτης Συρακῆσι ἐτυράνησε, μάχῃ μὲν
 E πρῶτερον

Defensio
Thucydide.

πρότερον ἢ τῆς δέυτης ἀπὸ Συρακουζίων Καρχηδονίαν, ἀπάνει δὲ σίτη ἐλότων Ἀκράγαντα, ἐκλιπόντων τῶν Σικελιωτῶν τὴν πόλιν. Τῶν δὲ Ἰπώνητες, ἔφω ἰω Ὀλυμπιάς, ἢ τὸ ἐπίδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλός, Εὐδίκης ἐν Σπάρτῃ ἐφορεύοντες, Πυθοδώρης δ' ἐν Ἀθλήσιν ἀρχαντες, ὃν Ἀθληαῖοι, ὅτι ἐν ἐλιχαργία ἤρεθον, σὺν ὀνομάζουσιν, ἀλλ' ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλῶσι. En Olympiadem

alteram ab eodem Xenophonte pluribus eventis totâ Græciâ celeberrimis, & caractere non uno ex fastis publicis deprompto signatam evidenter.

Cui licet numerus, ut priori, adjectus non sit, tamen xciiii esse nemo dubitat. Est enim ea, quæ xciii proximè sequitur. Nec obest, quòd obstrepunt quidam in sereno nebulam quærentes, turbatum aliquid in annorum numeris, ac rerum serie apud Xenophontem videri. Nam quomodo-

cunque id habeat, sive librariorum culpâ, seu quâ aliâ ratione vitii aliquid scripturæ obrepserit, res tamen ipsa ex his, quæ recitavi, est clarissima; & ex iis, quæ subijciam ex autore eodem, magis magisque fit certa, ac illustris, ut vel pertinacibus obturare os possit. Etenim Xenophon idem non solum Solis defectum memorat, qui æstate eâ post Olympiadem hanc

posteriorem actam acciderit, sed etiam expositis iis, quæ à Lyfandro post occupatas Athenas, & xxx principes ibi creatos, sunt gesta, demum finem impositurus historiae belli hujus Lyfandrum scribit Lacedæmonem redisse,

πλευτῶντος πῦ δέρας, ἐς ὃ ἐξάμηνον καὶ ὀκτῶ καὶ εἰκοσίν ἔτη τῶ πολέμου ἐτελεύτησεν. ἐν εἰς ἐφοροὶ ἀρχιμέμνητοι οἵδε ἐγένοντο. Λινησίας πρώτος, ἔφ οὐ ἤρξατο ὁ πόλεμος, πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει τῶν μετ' Εὐβοίας ἀλωσιν τριακονταετηρίδων ἀπονδῶν. (Eadem iisdem penè verbis dicit Thucydides initio libri 11,

Ænesiamq; ephorum cum Pythodoro archonte Atheniensi connectit) καὶ δὲ τῶτον οἶδε: Et mox recenset ordine ephoros præter Ænesiam numero xxviii, quorum primus Brasidas, ultimus Eudicus paulò antè cum Olympiade xciiii memoratus, omnes fastis Laconicis inscripti. Quæ si quis à Thucydide discrepare existimet, propterea quòd is annos solummodò

xxvii, & dies non multos durasse bellum affirmet, vehementer errat. Nam Ænesiæ magistratus penè exierat vix mensibus duobus reliquis, cùm bellum cœpit, & Eudici tempus bellum ipsum, quòd Thucydides cùm deditis Athenis & muris earum dejectis finit, non attigit. Eudicus enim cum Olympiade iniiit, ante quam Athenæ jam in hostium potestatem venerant,

& munitionibus nudatæ erant: quem casum Plutarchus in vitâ Lyfandri refert ad diem decimum tertium Μοιουχίωνος μηνος νηπι, qui cum Aprilii nostro ferè congruebat. Itaque duobus illis de numero demptis reliqui tantum sunt ephori ἐπαύνομοι xxvii, quot annos bello tribuit Thucydides. Xenophon autem & annumerat Ænesiæ annum, & tempus quoque illud;

quod à captis Athenis ad reditum Lyfandri in patriam, quo Samus etiam per obsidium in potestatem ejus redacta est, effluxit, comprehendit, cum dicit ἐξάμηνον καὶ ὀκτῶ, καὶ εἰκοσίν ἔτη τῶ πολέμου πλευθήσαδ. Postremò

tota hæc res; & consensus horum scriptorum ex Diodoro elucet, & indice ἐπιδιονικῶν, quem ante citavimus; clarissimè autem ex syntagmate annorum totius hujus belli cum ephorum eorundem & ἀρχόντων Atricorum nominibus, ad annos singulos ex ordine ascriptis, quòd hic oculis subijciemus.

In hoc verò syntagmate lineæ erunt sex; quarum prima à sinistris in partes æquales xii secta repræsentabit annos periodi Iulianæ, secunda & tertia Olympiades & earum annos, quarta annos belli Peloponnesiaci, quinta urbis Romæ conditæ, sexta & ultima Nabonassaræ. Et hi anni omnes sunt principio & finè differentes inter se. Nam Nabonassaræorum principium vagum tunc cum primis sex dieb. Decemb. surgebat: periodi Iulianæ anni, quibus Romanos quoque æquamus, iidem sunt cum nostris, qui incipiunt

Consensus Thucydidi & Xenophontis de duratione belli Peloponnesiaci.

Σύστημα annorum διωριστων, quibus gestum est bellum Peloponnesiacum cum aliquod antecedentibus & sequentibus.

incipiunt & desinunt cum mediâ hyeme; Olympiâdici, ut omnes Græci contrâ incipiebant desinebantque circiter mediam astatem: belli Peloponnesiaci anni à Thucydide & Xenophonte usurpati initium & finem habebant cum primo vere. Sed inter secundam & tertiam lineam nomina legentur ad singulos annos, prius archontum Atticorum, posterius ephororum Laconicorum, quorum utrâque in civitate imperium fuit annuum. Atque ut evidentior quoque tota res fiat, placuit extendere syntagma in aliquot annos, qui & antecessere ipsum bellum, & proximè sunt secuti: quod lectori in oculos incurrit.

			DECEMVIRIS Roma imperium abrogatum.
			3 Decemb.
			300
			Megareses deficientes ab A. thebeniensibus ad Spartanum insigni ciude ut eisdem kabiganur.
Πεδιεύς	Αττακέρως δειπύ à Cίμωνε τερρά μα. τήναι υίλις μετὰ ἀμύκονδω Cυπρίω σάδμινιit cum Αθβενιενσίβω, quo Græci civitatibus in Ασία permittitur αὐτονομία. Νέοι μιλιά post Cίμων in Cύπρο μεριμν.		
83			
Φίλιππος			
Τιμαρχίδης			
	ΕΥΒΟΙΑ in fide vacillans duce Pericle Atheniensib. rursus subiecta. Εξ παρ' ἐνδύατα xxx annorum inter Αθβενιενσες & Spartanos factisque inter.		Thurium in Italia conditum. In novis coloniis Herodotus quoque fuit.
Καλλίμαχος			
	Αθβενιενσες duce Pericle mille colonos constitunt in Ευβοία.		12 Decemb.
Λυσιμαχίδης			
4270	84		310
Πραξιτέλης			Rome rogationes Canulejæ tribunitiæ de conubio patritiorum, & consolatū cum plebe cōmunicando.
Λυσανίας			
	Ρακ αία post majorem arόβι terrarum partem.		
Δίφιλος			
	Bellum SAMITVM capis, quo Samius in potestatem Αθβενιενσium venit ἀλλοτρε Pericle.		CENSORES ptimi Romæ creati.
Τιμόκλῆς			

	85	Τρίναξις in Sicilia eversa Syracusanis.	12 Decemb.
	Μυριχίδης	Syracusanis aspirare incipiunt ad imperium Siciliae.	3p. Melij feditio Romae oppressa.
	Γλαυκίδης	Bellum inter Corinthios & Corcyraos cepit, motum ob coloniam Corcyraotum Epidaurorum; unde narrationem continuam inchoat Thucydides.	310 Primi tribuni mil. conf. pot. Romae.
	Θεόδωρος	Corcyrae navali praelio vincunt Corinthios & Epidaurios ad Sybota.	
	Ευθυμίδης		10 Decemb.
	86	Athenienses auxilia promittunt & ferunt Corcyrae contra Corinthios.	Amphipolis colonia secundum condita ab Atheniensibus in Thracia.
	Ναυσιμαχος		
	Αντιλοχίδης		
4180	Χάρης Potidea & Chalcidensis ab Atheniensibus desecantur studio Corinthiorum & Perdiccae Macedonis. Atque nunc bellum ad Potidaeam.	320 Contentio de colonia Thurinā in Italia, inter ejusce conditores.
	Αΐεύδης		9. Decemb.
	87 Pugna ad Potidaeam. Initium Eusebio καταγράφου ΜΕΤΡΩΝΙΣ surgens cum Solstitio aestivo.
	Πυθόδωρος Αιτωλίου Initium belli PELOPONNESIACI mense Munychiano. Eclipsis Solis ingens stellis interdictio detegens, 3. Aug. Thucydides.
	Ευθύδημος Βραχίδης Pestis Attica cepit.	Terra motus in Delo.
	Απολλόδωρος Ισανορ Regina patria ejecta ab Atheniensibus.	
	 Potidea dedita tandem Atheniensibus.	
	 Plataea obsideri cepit à Spartanis.	
	Επαμεινώνων Σοφτραίδης	PERICLES obiit.	ARCHELAUS Maced. rex cepit defuncto Perdicca.

88
 ΔιόπμⓄ
 Exarchus

Ευκλείδης
 Agefistratus.

ΕυθύδημⓄ
 Agennides

Στρατοκλής
 Onomacles

4290 89
 ΊσαρχⓄ
 Zeuxippus

Αμυνίας
 Pityas

ΑλκαίⓄ
 Pleistolas

Αρχισίων
 Chitomachus

90
 Ασύφιλος
 Harthus

Αρχίας
 Leo

Αρπιφάν
 Cherides

Ευφρημος
 Patefiades

4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15

LESEVS ab Atheniensibus defecit ad Spartanos.

..... Iosum dedit à Mitylene, redit ad Athenienses: & Plataea deditur capta à Spartanis, & solo aequata.

..... Bellum in Italia ducit Demofthene pro Atheniensibus.

Bellum in Acarnania eodem duce.

Belli moles haret tota astate ad Pylam.

..... ARTAXERXES Μακρόχης obiit initio hyemis.

..... D A R I V S ΝόεⓄ cepit mense decimo post obitum patris.

..... Indueia annua inter Athenienses et Spartanos.

..... Cleon Atheniens. & Brasidas Spartanus confidunt & cadunt ad Amphipolim.

..... Fœdus in annis 50 periculis inter Athenienses & Spartanos factisq; sub initium vntis ΕλευθερολιώνⓄ & ἑκτη φθίοντⓄ, sed spirituum integritum non seruatum.

..... Fœdus in annis 100 periculis inter Athenienses, & Argivos, Eleos, Mantinas.

..... Alcibiades Atheniens. cum armatis in Tisoponnefse: in qua vntij ἄβᾶ astate mori.

..... Prælium difficile inter Spartanos & Argivos, & utriusque socias.

..... Fœdus inter Spartanos et Argivos illud.

..... A R G I S δημοκρατία per tumultum popularem restituta.

Decemb.

320

Scditio Corcyrae

Athenienses auxilia mittunt Leontinis contra Syracanos.

..... 7 Decemb.

..... Eclipsis Solis notata à Thucydide, die 21 Martij.

330

..... Edificium CYRI deinflaurando templo Hierosol. renovatum à D A R I O anno regni ipsius 2. Hoc verum initium hebdomadam DANIELIS.

..... 6 Decemb.

..... D A R I I annus VI incens, quo templum Hierosol. inflauratum.

..... E N C A R N I A templi Hierosolym. celebrata die 15 Adar, s. Eid, Febr.

330



91	16		
Αριστόμνητος Cleisthenes	17	Athenienses decreta bello Sicilia classim cum imperio in Siciliam mittunt.	
Χαβρίας Lycarius.	18	Alcibiades accusatus Atheni, ab expedi- tione Sicilia revocatus domum ad dicendam causam fugit Lacidamonem.	
4300			340
Πείσανδρος Eperatus	19	Declea in agris Atticis ab Alcibiade & Alcibiade occupata, minuitur.	Eclipsis Lunae nocte eadem secuta est die xxvii. Aug. terruit Nicias imperato- rem Atticum & Athenien- ses in Sicilia: secutaque mox est post multiplex & varium praelium ingens clades Atheniensium.
Κλεόκρητος Onomantius	20	Aegyptus à Persis deficit duce Amyr- tao.	
92			
Καλλίας Alexipides	21	Επίσημον ιστορ. Lacidamonis & Per- σαι anno Dario regis xiiii, bello Pelo- πονnesiaco xx surgente, Thucyd.	
Θεόπομπος Mistgolædas	22	Thucydides desinit, Xenophon in- cipit.	
Γλαύκιωπος Istias	23	Mindarus Spartanus secundò vietus ab Atheniensibus victus Alcibiada cum- m ad Cycladas venisset.	Hanc cladem Spartanis nunciavit Hippocrates Mindari fil. hac episto- la, ἔφη τὸ καλὸν Μίν- δαρος ἔπειτα ἀπὸ νηῶν πικρῶν τ' ἀνδρῶν ἀ- πορίσμεν τὴν ἑξῆς.
Διοκλῆς Atacus	24		Decemb. 340
93			
Εὐαρχίππος Euarchippus	25	Γαλακταλὸν ἀπὸ Ἀργίνου: quam se- quentem est iniquum iudicium Atheni adversus classem ἑλληνικὴν quantam villam.	
Ἀντιγόνης Pantacles	26		Forti Argentum captum in Sicilia.
Καλλίας Piteas	27		Dionysius tyriassidem Inva- dit Syraculis, eamque te- nuit annos 18.
Ἀλεξίας Archytas		ARTAXERXES Μνήμων coepit apud Persas mortuo patre D A R I O.	
		A T H E N Ἐ. Ἰσπανία δόξα ἀπὸ 26 πικρῶν Μονυχ. ὡς πρὸς ἰσπανίαν πρῶτον ναυαλὸν ἀπὸ ἑξῆς.	

1 Decemb.

4310	94	28	XXX tyrannorum dominatus Athenis: cuius initium incidit in annum DCC-LXXX ab excedu TROIAS, ut notat Diadotus Siculus;
	ΑΝΑΡΧΙΑ Eudicus	29	
	Ευκλείδης	30	
	Μικίων	31	
	Εξείνεται	32 CYPRIOI Iουιοις ἀνίστασθαι contra στρατηγὸν Ατταλέκην, & Ἰντερνίον.
	95		ΑΘΗΝΑΙΣ dominatus XXX tyrannorum liberata duce Tirofoliis.
	Λάχης	33 Socrates Athenis civitatem dicit.
	Λεισοκράτης	34	Dercylidas dux Spartanus in Asia. CΟΝΟΗ Atheniensis classis Persica praefectus.
	Ιθυκλῆς	35	
	Λυζιάδης	36	
	96		
	Φορμίων	37	AGESTILAVS Spartanus belli dux in Asiam missus.
	Διόφαντος	38 Γουρα navalis ad CYNURUM duce Conone, Spartanis adversa.
4320	Ευβελίδης	39	
	Δημόστρατος		

350 Eclipsis Solis notata à Xenophonte lib. II Εὐδοκῶν: quam calculus astronomicus representat die III Septemb. Iuliani, scilicet VI ante meridiem.
	1 Decemb.
	ESDRAS Hierosolyman perfectus A itaxerxis anno VII.
350	Dionysius ingens bellum gerat in FENOS terrâ matifjy.
	30 Novemb.
	Fœdus civitatum Græcarum contra Spartanos, bellumque in Græcia renatum. Agellus domum renovatus.
360	Dionysius bello petit Rhæginos infelicitate.

En seriem firmiter confertam; cuius initium & finis caractere maximo munita sunt, Eclipsi Solis geminâ: quarum alteram Thucydides in astate primâ belli Peloponnesiâci, alteram in ipso temporis hujus exitu Xenophon notavit: quas easdem Astronomicâ tabulâ probè temporibus, priorem die 111 Augusti, posteriorem 111 Septembris in annis Iulianis retrorsum porrectis representant. Ut de aliis Solis Lunæq; defectibus intermedii spâcii, qui Thucydidis & ceterorum optimorum scriptorum literis mandati sunt, & σύστημα hoc annorum, de quo agitur, amplius firmant, hoc loco nihil dicam. Atq; hæc quidem series per archontes Atticos, & per Olympiadas cum ipsis Olympionicis extendi potest ex Diodoro atque aliis in posteriora ad Alexandri Macedonis mortem, adeoque ad annos 225 111 post eam, in anteriora verò ad διὰ Καίω Xerxis in Europam; per soles autem stadionicas sursum quidem in caput ipsum Olympiadum, deorsum verò ad initia imperatoris Romani Alexandri Severi: quod posterius unius Iulij Africani chronologi diligentia, qui ex fastis nomina σταδίων descripsit, debemus. Adde ad hæc, quod series eadem ut cum annis urbis Romæ, fastive consularibus sæpe copulata est apud auctores optimos Polybium, Dionysium, Livium, Vellejum, Plinium, Solinum, Pletarchum, apud Diodorum etiam perpetuò cum fastis Romanis comparata, ita apud Ptolomæum astronomum, quod antè quoq; ostendi, aliquoties cum annis Nabonassaræis, id est, arâ astronomicâ, cui nutare non licet, est connexa per Atticos archontes Apseuden, Phanostratum, Evandrum, annosque periodi Calippicæ: atque hæc connexio, ut certior fides sit, caracteribus illis cælestibus fidissimis insuper est insignita. Sic dubitandi locus de ipsâ re prorsum sublatus.

*EXAMEN PLENIUS SENTENTIAE CONTRADI-
CENTIVM, CVM EIVS CONFUTATIONE.*

SED ajunt, qui sententiæ huic contradicunt, facer calculus obstat, quo minus assentiri queamus. Qui verò ille facer calculus manifestæ veritati refragans? Spiritus S. inquit, per Ieremiam prophetam annos captivitatis Babylonicæ definit LXX: quorum initium ducitur à deportatione Iechoniæ regis Iuda, finis est cum anno primo Cyri Babylone potiti, quæ sunt ex sacris literis nota. Deinde à captivitatis fine ad crucifixum occisumq; Christum, ad quem collimat tota historia sacra, idem Spiritus S. per prophetam Daniele temporis spâcium accuratè determinat capite prophetiæ 12. Nam ab exitu sermonis, id est, à decreto Cyri publicato de dimittendo populo captivo, & instaurandâ urbe Hierosolymâ, hebdomades futuræ dicuntur LXX cum dimidiâ, donec excidatur Christus. Hæc verò hebdomades sine controversiâ annos conficiunt CCCCLXXXVI & semissem. Atque hujus porrò spâcij pars posterior & major, quæ est à pugna Alexandri Macedonis ad Arbela usque in id tempus, quo occisus est Christus, quæstione caret. Satis enim convenit, inquit, inter auctores, pugnatum ad Arbela esse Olympiadis CXXII anno 11, qui annus Ipsiti est CCCCLXVI, & similiter Christum esse passum Olympiadis CCII anno 1111, qui Iphiti est DCCCVIII. Intervallum igitur hoc annorum CCCCLXII. Quod si detrahatur de totâ summâ hebdomadum dictarum, aut annorum CCCCLXXXVI cum dimidio, relinquit annos tantummodo CXXIV cum semisse, qui debentur durationi monarchiæ Persicæ ab occupatâ à Cyro Babylone ad prælium ad Arbela commissum. At calculus profanus, ut loquuntur, id est, qui ex Olympiadum serie, & scriptoribus Græcis ac Barbaris conficitur, annos infert multò plures, nimirum CXX, ut excessus sit

fit annorum circiter LXXXV. Hinc quaestio existit, hunc sine calculum sacro, an sacrum profano cedere conveniat. Hic Rhodus, hic saltus: Sed impium est, sacro profanum praefere. Ergo. Haec est argumentatio illa dissentientium à nobis, & sententiae eorum unicum fundamentum ac praesidium: cui si locum damus, cogimur reclamante conscientia, & veritate notoria tot annos, quot diximus, ex mundi aëvo, & rerum naturam dispungere, regesque Persicos toti orbi cognitos ex regum albo, & monumentis omni exceptione majoribus eradere, ac illustria facta in humano genere pro non factis habere. Nam in subsidiariis argumentis quod usurpatur, autores istos, quibus profanus calculus innititur, de regibus Persicis flagitiose conflare inter se, aliosque numerare eos XLIII, alios XLII, alios XL, alios XXX, alios XXVIII, alios etiam v tantum, eosdemque de tempore totius regni Persici enormiter diffidere, esseque in iis, qui ad CC, imò qui ad CVI annos id coarctent, hoc si de autoribus bonis dicitur, quibus veri studium fuisse eruditorum natio haecenus credidit, procul à vero discedere affirmamus. Quotquot enim tales sunt, unum & idem de serie numeroque regum dicunt, & nec in tempore quidem multum inter se discrepant, nec quisquam eorum infra CXXX annos, si initium à Cyro in Perside regnum auspicante ducatur, multum id coarctat. Nam Ctesias Cnidius, quanquam fide haudquaquam cum Herodoto, Thucydide, Xenophonte, quorum monumenta adhuc reliqua nobis sunt, aut cum Theopompo, Ephoro, Timæo, Callisthene ceterisque, quorum scripta nobis perierunt, quibus historiam suam Diodorus Siculus magnam ex parte contextuisset sapius jam dixi, comparandus autor, tamen nec à serie ac numero regum ad aetatem usque suam recessit, nec temporis quicquam detraxit, sed in Cambyse, & Dario Notho, si iis, quae ex eo extracta circumferuntur, fides habenda, haud parum id auxit. Sed excessum ejus non solum reliquorum scriptorum fides consensus, sed Cambyse annus VII fluens, cum Nabonassari anno CXXXV jam adulto, & similiter XX Darij Histaspis cum CXLVI Nabonassari, & ejusdem Darij XXXI cum CCLVII copulati apud Ptolemaeum, & characteribus caelestibus notati evidenter in Cambyse redarguunt, & Herodoti fidem firmant. Idemque in Dario Notho Thucydidis & Xenophontis illibata fides, & ceterorum, quos Diodorus, Trogius, Justinus, Africanus, Eusebius secuti sunt, consensus, & imprimis rerum Graecarum illius tempestatis certissima series efficiunt, & Ctesiam vanitatis manifestum haec in parte sine dubio reddunt. Extra controversiam quippe est, Artaxerxem *Μακρόχρον* anno VII belli Peloponnesiaci decessisse, intraque vertentem annum Darii ejus locum tenuisse, & hunc XLIII in imperio annum egisse, & cum Lacōnibus foedus percussisse vergente belli Peloponnesiaci anno XX, & paulò ante captas à Lyfandro Athenas, anno belli ejusdem ultimo, vitam cum morte commutasse. Sed ad argumentum princeps quid dices? querat aliquis: an non sacra profanis potiora? Certe: nec pius fuerit, qui senserit aliter. Verum quod in quaestione est, id haec ab autoribus argumentationis hujus argumenti loco capitur: quod sanè petitionem principii habet inexcusabilem. Id enim quaeritur, ac maximè controversum est inter eos & nos, an Spiritui S. consilium fuerit, duabus prophetiis his Ieremie & Danieli dictatis continuam seriem saecula contexere à captivitate Babylo-nicae initio ad Christi mortem; aut quod eodem tendit, an cum fine annorum LXX, de quibus vaticinatus Ieremias est, principium hebdomadam Danielis connexum sit, & cum eo immediate cohaereat, an non. Quod qui negant, multò plurimi sunt sacrarum literarum eruditi interpretes; qui verò

*Verus controversia
statim.*

verò affirmant, longè paucissimi, & vix quisquam præter eos, qui hanc argumentationem non ita pridem peperere. Danielis enim verba nihil minus docent, quam id, quod hi contendunt, nec ullum omnino habent apicem, unde hoc ipsum quisquam possit conficere, aut etiam verosimiliter colligere. Nec interest fidei ac salutis nostræ huiusmodi nexum temporum in sacris literis extare. At vero evidentissima & certissima temporum ratio, atq; ipsum adè in oculos se nostros ingerens, veritatis clarissimum lumen sententiæ isti sine dubio refragantur. Nam ea quib; placet, bonè D E V S, in quot & quantas sese, non dico difficultates, sed absurditates manifestas conjiciunt, ut ea, quæ absq; dubio vera non sunt, verorum loco habere cogantur. Acciditque planè iis id, quod falsarum *ἱστορίων* patronis solet accidere, quod ipsi immeritò vetustis historiæ scriptorib; obijciunt, ut ipsi inter se dissideant quam longissimè. Nam Mattheus Beroaldus, qui primus hoc sæculo hanc sententiam peperit, ut reges Persicos, & eorum annos in istam temporis angustiam, quæ *ἱστορίων* hanc falsam necessariò sequitur, quâ vi, quo modo cogat, post initium monarchiæ Cyri coniectum ab ipso in Olympiadis LXXX annum tertium, eidem Cyro tribuit annos vitæ & imperii XLII. Deinde Ahafuero Artaxerxi successoris ejus annos dat XL, Dario Assyrio annos V, Artaxerxi Pio annos XXXII. Et huic Xerxem subjicit, qui Græciæ bellum intulerit: sed quando id factum sit, dicit ignorari. Quod si ad annum imperii ejus primum referatur, incidet in Olympiadis XCVI annum primum, aut Olymp. XCV annum quartum, octennio post captas à Lyfandro Athenas, & finitum bellum Peloponnesiacum, cum totâ jam *γενεῶν* & amplius mortuus esset Herodotus, qui bellum id Xerxeum ante virilem ætatem suam gestum descripsit: mortuus ante duodecennium Thucydides, qui L. annos à reb; istis Xerxis ad initium belli Peloponnesiaci, quod ipse composuit, effluxisse affirmat. Post Xerxem, cui certos regni annos non assignat, idem Beroaldus Artaxerxi Longimano ascribit annos VII, & post hunc Dario Notho annos IX; Artaxerxi Memori XLII, Artaxerxi Ocho XLIII, Artaxerxi Arsæ VI, Dario verò ultimo annos rursus incertos. Sed Bruchtonus, & qui eum sequuntur, in senarium numerum omnes reges Persicos cogunt. Et principium quidem monarchiæ Cyri in annum secundum conferunt Olympiadis LXXXII: & Cyro deinde cum Cambyse filio annos adscribunt VII. Cyro & Cambyse successorem dant Ahafuerum, five is, inquit, Darius Hystaspis filius fuerit, five Græcorum Xerxes, eique tribuunt annos XX. Ahafuero submitunt tertium regem Artaxerxem, fortè, ajunt, Græcorum Longimanum; & huic dicunt non posse nisi annos competere XVI: atq; heic mirè vacillant. Quartus eis rex est Darius *εὐεργέτης* Iudæorum, instaurator edicti Cyri de instaurandâ Hierosolymâ in imperio vivens ad annos XIX. Quintus Artaxerxes Mnemon, cui tribuere se ajunt annos XI. Sextus & ultimus Darius II paulò ante Philippi Macedonis obitum regnum auspiciatus, & anno regni VI ab Alexandro M. everfus. Et hæc ita exponunt, ut singulis in membris facile appareat, præter inania & incerta placita sua, & conjecturas fluctuantes nihil ipsos in medium adferre. Id solum dicunt, & pro *δοκίμῃ* sententiæ suæ usurpant, hos solos reges ab Esdrâ, & Nehemiâ nominari: itaque plures, quos profani scriptores recensent, non esse admittendos. Quod si argumentum valet, etiam hoc valere necessum fuerit: liber regum, & Paralipomenon tantum memorat Assyriorum reges quinque, nimirum Phul, Theglathlaasar, Salmanassar, Sennacherib, Asar-Hadon, (nam Merodach, Nabuchodonosor, Balsasar, Euilmerodach Chaldæi fuere, non Assyrii) Ergo

De reorib;
Persicis.
Matthei
Beroaldi
sententia.

plures in Assyriâ non regnarunt. Idem de regibus Syriæ, ac Ægypti inferri posset. Quo quid infirmius aut vanius. Nam vicinarum gentium reges in historiâ certæ genti destinatâ non recensentur, nisi cum res poscit, aut fert occasio: integra verò series non textitur nisi ab iis scriptoribus, qui hoc propositum habent. De quo verba perdere nihil attinet. Addunt etiam de ætate Zerubabelis & Nehemiæ ducum Iuda, & Iosue sacerdotis; quæ nimium grandis videbitur nisi ad intervallum brevius totum Persarum imperium restrictum fuerit. Sed & in hoc errare ipsos, & dum incommodum leve vitare volunt, in aliud multò gravius incurere præclare Scaliger jamdudum docuit. Et ab hac serie regum Persicorum fictitius Metasthenes quoque haud parum discrepat, in cerebro Annij Viterbiensis malè feriatî monachi, impostoris improbissimi & impudentissimi, natus: à quo tamen totum hoc commentum novum de Persarum regibus cæteri omnes mutuati sunt, indeque occasione sumptâ in hæc se deliria præcipitarunt. Verùm Bruchtoni placitum putemus propius, ut quàm procul à vero, imò ab omni verisimilitudine abeat, manifestum fiat. Ex hujus igitur placito Cambyses à morte patris rex non fuerit, & vivo patre Ægyptum invaserit occupavitque, Perfide sine rege relicta; & deliri fuerint Chaldæi, qui annotandis observationibus cœlestibus vivo Cyro imperii Persici conditore Cambysis filii annos usurparint, annumque regni ejus VII inscripserint æræ suæ astronomicæ, & quidem, quòd plus est in hac re, cum anno Nabonassareo CCXXV copulerint, qui mediâ sui parte respondet Olympiadis LXIII anno primo, & parte alterâ anno ejusdem Olymp. secundo, cum ex mente Bruchtoni Cyrus monarchiam inierit Olympiadis LXXXII anno secundo, qui concurret cum anno in ærâ eadem Nabonassareâ CCXCVII, & CCXCVIII. Atque hoc modo Cambysis annus VII secundùm rationes Chaldæorum antecesserit initium monarchiæ patris à Bruchtono positum annis LXII. Similiter aut Darius Hystaspis, aut filius ejus Xerxes in Persis non regnaverit, quorum uterque ob arma Græciæ illata, multasque ob rationes alias Græcis notissimus, & à Cyri fine ad initium Artaxerxis *μακρόχρονος* anni tantum intervenerint XX, cum Babyloniorum calculus astronomicus apud Prolemæum uni Dario imputet non solum vigesimum, sed etiam trigesimum primum regni annum, & inter VII Cambysis ac XXXI Darii annos numeret XXXII; Artaxerxis autem tantum regnaverit annos XVI, cujus finis sine dubio pertinet teste Thucydide, & non refragante Bruchtono ad belli Peloponnesiaci annum VII propè exiturum, & ex eadem Thucydidis fide scriptoris gravissimi & veracissimi à bello Xerxis in Græciâ gesto distet annos LVII, & à pugna Marathoniâ, quæ quinquennio ante Darii mortem, atque ita imperii ejus anno XXXI commissa est, LXVII; & ab anno VII Cambysis ex fide ecclæ atq; astronomorum Chaldæorum XCVII, & demum à vero fine Cyri CV. Denique Artaxerxes Ochus, & Artaxerxes, quos Græci omnes, quotquot his de rebus scripsere, cum Philippo Macedone regnasse, totumque regni ejus spacium, atque eò amplius imperio suo equasse testantur, nunquam in sceptro fuerint, sed Mnemoni Darius ultimus statim successerit, eaque ratione tantæ Græcorum res, quæ Mnemonis mortem sequuntur sunt ad usque initia Alexandri Magni evenerint, id est, tempus, quo evenerint, in mundi ævo non habuerint: aut cum iis, quæ Xenophon descripsit à captis à Lyfandro Athenis concurrerint, Philippusque Macedoniæ rex non cum Ocho atque Arsâ, sed cum Artaxerxe Mnemone sceptrum tenuerit, & tamen Xenophonti illo sæculo viventi & scribenti non innotuerit: Postremò confusio confusionum maxima &

*Delirij
Bruchtoni
nici confusio*

ma & confusissima extiterit. Quæ qui expenderint, & nihilominus tueri paradoxum perrexerint, cujusmodi de se hominum sanorum judicium excitaturi sint, ipsos cogitare quàm me dicere malo. Attamen confideremus hoc amplius.

*Defensio
fidei scri-
pturum
Græcorum,*

Quid quæso causæ habent, cur Græcis se fidei non posse dicant? An quòd ignari fuerint tum rerum suarum, tum Perficarum? De suis quis dixerit, præsertim aut præsentibus, aut valde nuperis? Nam quæ nobis jam in quæstionem veniunt, quarum à Cyri regno initium ducitur, verè nuperæ erant scriptoribus antiquis, ne dicam præsentibus.

Abundabat enim jam tum Græcia bonis literis, & viris eruditis, totumque illud sæculum septem sapientum consenuerat, & tunc Pythagoras, Anaximander, Anaximenes, Xenophanes philosophi, ac Theognis, Phocylides, Simonides, Hippicus, Anacreon poëtæ florebant. Et hos Theagenes Rheginus Chronographus sub Cambyse, & Hecateus Milesius, quem Herodotus memorat, vir inter principes civitatis suæ, historiæ scriptor, & Heraclitus Ephesius, aliique complures circiter initia Darii Hytaspidae secuti sunt.

Et expeditionis Xerxæ tempore annisq; proximis examen vixit doctissimorum virorum, Sophocles, Pindarus, Eurypides, Bacchilides, Aristarchus, Chærilus poëtæ, quorum postremus epico carmine bellum Xerxis descripsit, Democritus, Empedocles physici, Pherecides Lærius historiographus, & post hunc Hellanicus Mitylenæus circiter xv annorum juvenis, cum Xerxes in Græciam irrupit, historiæ scriptor eximius, & hujus demum vestigia premens Herodotus. In hac igitur literarum luce & usu, ac diligenti observatione nescios rerum suarum Græcos fuisse, & ea, quæ ante pedes erant, quæve paululum a tatem ipsorum antecisserant, ignorasse isto sæculo quis affirmaverit? Quis Macedonica, Threicia, Lydia, Medica, Persica rebus patriæ connexa non tenuisse putaverit?

Solon.

An Solonem latuisse existimamus, cum *ἀρχων* Athenis esset, cum rep. formaret, & leges ferret, quòd tum in Græciâ Olympias fluere? quamdiu in civitate stetisset popularis libertas? cum Pisistrati tyrannidem non ferens in Ægyptum, inde in Cyprum, hinc in Asiam se contulisset, & in Lydiam ad Cresum venisset, & cum Cræso locutus esset familiariter, non scivisse, quis eo tempore in Ægypto, in Cyro, in Asiâ, imprimis in Lydiâ regnaret? Thaletem verò Milesium arbitramur cum

*Thales
Milesius.*

Eclipsin Solis prædiceret, quæ in ipso gravissimo conflictu Lydorum & Medorum tenebras terris induxit, quis tum periodi annus curreret? quis Medis, quis Lydis vicinis ac sociis Milesiorum imperaret? quis rex is esset, qui Milesios a tate suâ aliquot ante annos bello vexasset? Aut eundem credimus, cum frequens Sardibus esset, & cum rege viveret familiariter, regiumque exercitum, in quo ipse quoque aderat, haud difficili operâ Halym. fl. traduceret in Persas, nec temporum rationem, nec cui regi militaret, & contra quem militaret, novisse?

Aut reliquos Iones in Asiâ habitantes remur, cum bello Lydorum primùm, deinde Persarum premerentur, & subacti eorum imperiis parerent, qui reges essent, quorum armis peterentur, imperiisque parerent, nescivisse?

Nec enim ad Græcos Lydiæ ac Persiæ ad eò nihil pertinebant, ut ignorari possent: sed aut bella cum iis gerebant, aut sub imperio eorum degebant, aut legationum negociorumque commercia inter hos & illos frequentia erant, ut penè non minus Lydica, & Persica eo tempore quam sua Græci tenerent.

*Theagenes Rheginus.
Hecateus Milesius.*

Et quomòdò Theagenes, qui, ut dixi, sub Cambyse tempora digessit, Cræsi, Cyrique initia ac fines potuit nescire? Et Hecateum Milesium sub Darii Hytaspis in rep. versatum cum Aristagorâ, qui Miletum Ioniamque à Persis conatus est avertere, & Athenienses in belli societatem traxit, h-

Et quomòdò Theagenes, qui, ut dixi, sub Cambyse tempora digessit, Cræsi, Cyrique initia ac fines potuit nescire? Et Hecateum Milesium sub Darii Hytaspis in rep. versatum cum Aristagorâ, qui Miletum Ioniamque à Persis conatus est avertere, & Athenienses in belli societatem traxit, h-

Et quomòdò Theagenes, qui, ut dixi, sub Cambyse tempora digessit, Cræsi, Cyrique initia ac fines potuit nescire? Et Hecateum Milesium sub Darii Hytaspis in rep. versatum cum Aristagorâ, qui Miletum Ioniamque à Persis conatus est avertere, & Athenienses in belli societatem traxit, h-

Et quomòdò Theagenes, qui, ut dixi, sub Cambyse tempora digessit, Cræsi, Cyrique initia ac fines potuit nescire? Et Hecateum Milesium sub Darii Hytaspis in rep. versatum cum Aristagorâ, qui Miletum Ioniamque à Persis conatus est avertere, & Athenienses in belli societatem traxit, h-

Et quomòdò Theagenes, qui, ut dixi, sub Cambyse tempora digessit, Cræsi, Cyrique initia ac fines potuit nescire? Et Hecateum Milesium sub Darii Hytaspis in rep. versatum cum Aristagorâ, qui Miletum Ioniamque à Persis conatus est avertere, & Athenienses in belli societatem traxit, h-

tumque

rumque operâ Sardes incendit, cum is acta priorum temporum literis mandaret, quomodo res Cyri, Cambysis, Darij, quas complexus opere suo est, fugere, quomodo eorundem tempora latere potuerunt? Et hunc Hellanicus Mitylenæus excepit, narrationemque rerum ad Perdiccæ Macedonis regnum, qui Olympiadis LXXXI anno quarto regnare cepit, pertexuit, ut est apud Suidam, familiaris Herodoto, quo cum apud Archelum Macedonia regem, Perdiccæ filium, eruditorum Græcorum Meccænam vixit, sed aetate ipsum superans: quo juvene Xerxes Græciam invasit. Hellanicum verò, ut ante etiam ostendi, secutus Herodotus est, ille historiæ parens dictus, qui non sine singulari studio, magnâque cum curâ ad scribendam historiam, quod res ipsa docet, se contulit, eamque ob causam, ut certiora narrare posset, varia ipse loca adiit, & peregrinationes quoque longinquas suscepit, inque omnia inquisivit diligentissimè, atque ita jam bene instructus non solum ea, quæ memoriæ isti proxima erant sed etiam vetustiora nonnulla, nec tamen adhuc obsoleta, aut oblivione inducta scribendo complexus est: ususque in eam rem est tum priorum, virorum magnorum & eruditorum scriptis, tum publicis quoque monumentis. Qui sicubi hallucinatus est, ut homo, id in partibus tantum nonnullis, aut iis, quæ παράρρηται sunt, forsan hæret, ad totum verò historiæ corpus, atque universam rerum temporumque seriem pertinere haudquaquam potest. Herodoto Thucydides successit, quantus scriptor, quam diligens, quam accuratus, quam gravis? qui quemadmodum aetate illi proximus fuit, sic seriem temporum actorumque à narrationum ejus sine breviter est persecutus ad belli Peloponnesiaci exordium, sine dubio ad Olympiadis LXXXVII annum primum exeuntem, æræque Nabonassareæ annum CCCXVII labentem pertinens, inde verò prolixius & plenius res belli ejusdem per annos XXI gestas sibi notissimas, quod inficiari nemo ausit, summâ fide exposuit, expositionique rerum e videntes & indubitabiles characteres temporis hic illic adjecit. Eo extincto, priusquam opus absolvisset, tum reliqua belli istius, tum quæ post istud in Græcia & Asia gesta sunt, Xenophon philosophus executus est ad Olympiadis CIIII annum alterum, qui biennio antecessit initium Philippi Macedonia regis, cum cujus initio ipse vivendi finem fecit. Eademque tempora scriptores quoque alii cum Xenophonte viventes, aut paulò quam ille aetate minores complexi sunt: atque in his Callisthenes ab anno secundo Olympiadis XCVIII exorsus ad ultima Philippi narrationem porrò deduxit, Aristotelis sorore natus. Ex quibus Diodorus Siculus, ut notavi supra, bibliothecam suam posteriore sæculo confecit. Et quis persuaderi sibi finet (libet enim id dicere denuò) scriptores hos se mutuo excipientes, omnes à sapientiâ & diligentia laudatos, adeò delirare potuisse, ut in tantulo intervallo annos totos LXXXII, aut iis etiam amplius aberrarint à scopo? Quis credet tam vesanum ac dementem Herodotum fuisse, (ut de Theagene & Hecataeo fileam, qui propius adhuc ab initio abfuerunt, imò initio æquales ferè fuere,) ut errans scriberet, Cyrum in Persia cepisse annis LXXX ante bellum Xerxis, Calliademque Athenis archontem (tot enim annos regum series regnorumque tempora apud eum repræsentant,) si Cyrus idem, ut Bruchtoni ratio poscit, verè regnum id iniisset Olympiadis LXXV anno primo, qui annus Calliadem archontem Athenis habuit: quo archonte Xerxem nepotem Cyri ex filia perruptis Thermopylis in Atticam venisse, & Athenas cepisse, & ad Salamina victum turpiter à Græcia fugisse Herodotus scripsit? Quis existimet toleraturos eum Græcos fuisse tam enormiter exorbitantem, aut potius tam crasse mentientem? temporaque & res tam absurdè ac stolidè conturbantem? Quis putet

*Hellanicus
Mitylenæus.*

Herodotus.

Thucydides.

Xenophon.

Historiographi alij.

laudatos & honore ornatos eum fuisse, qui sine dubio probra contumeliasque commervisset? De Thucydide quid dicam? illene tam excors fuit, & omnium ignarus, ut præter rem, imò contra veritatem chartis illeverit, ac memoriæ prodiderit, ab initio belli Peloponnesiaci, cui character ex Metone astronomo est, atque archonte Attico Pythodoro, ad Xerxeum bellum annos 1, à bello hoc ad pugnam Marathoniam x, inde ad Hippiae Pisisfratidæ exilium xx, ab ejus ex patria discessum ad cædem fratris Hipparchi IIII intercessisse, Hippiamq; adhuc Athenis dominantem ad Darii regis Persici gratiam viam sibi munivisse? ante Darium verò Cambysem, & ante hunc Cyrum Persis imperasse? Quæ, si vera sunt Bruchtonica, falsissima esse necesse est. Et quis tam stolidus ipse est, qui arbitretur, ad eò Thucydidem in rebus patriis puerum aut fungum fuisse, ut Xanthippum, Themistoclem, Cimonem cognatum suum, & Cimonis parentem Miltiadem, hujusque avum Miltiadem alterum archegum coloniae in Cherroneso Thraciâ constitutæ, item Pisisfratum & Pisisfratidas sanguine sibi junctos Athenis rerum potitos, eorumq; tempora ac facta ignorarit? Quis credat Xenophontem res & tempora suæ ætatis, imprimis expeditionem junioris Cyri contra fratrem Artaxerxem, quam ipse descripsit, in qua ipse primum miles, deinde dux fuit? quis Theopompum, Ephorum, Callisthenem nescisse? Apage hæc, & hujusmodi alia plus quam absurda, quæ Bruchtoni placitum secum trahit, atque ita trahit, ut nullo modo ab his liberare se queat. Quid igitur? Dicere quisquam audent, scientes volentesque Hecataeum, Hellanicum, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, cæteros, quos recensui, scriptores mendaciorum tam enormium ac impudentium, velut conspiratione facta, se alligasse? Quo fine, quæso? cui bono? in quorum gratiam, aut odium? qui conspirare potuere? præsertim æmuli inter se, & temporibus locisque disjuncti. Nam ne Ctesias quidem, quem reprehensorem Herodoti Bruchtonus, & qui Bruchtonum sequuntur, ad labefactandam optimi auctoris fidem inducunt, ita à cæteris in temporum ratione discedit, ut ullo modo in commodum placiti hujus novi advocari possit. Nemo id dixit hæcenus, nec quemquam dicturum autumo deinceps. Pudoris enim profligati fuerit, omnium eruditorum ac sanorum judiciis in re apertâ contradicere. Et tamen alterutrum dicere Bruchtonum Bruchtonianosque oportet, aut inscitiam flagitiosam in infinitum delirasse, temporaque confundisse istos magni nominis auctores, aut consultò lectoribus totique ad eò posteritati voluisse imponere. Sed enim ad elevandam Græcorum scriptorum fidem Iosephum Iudæum, virum in literis, & re gerendam sanè magnum & fidum, patronum sibi adsciscunt. Is equidem libro priore contra Apionem Iudæorum obtrectatorem acerbum non procul ab initio ita scripsit de Græcis, qui vetusta literis mandarunt, ut sinistrè de iis sensisse videri queat. Sed scripsit ista Iosephus justè succensens Apioni homini improbo, & in Iudæos verè maledico, ab utenti Græcorum testimoniis, indulfitque non nihil animo suo. Deinde id fecit, quod solent facere, qui cum aliis pugnant, & quibus omninò possunt modis serviunt causæ, pro qua pugnant. Sine dubio autem Iosephi causæ expediebat, lectorib. persuaderi duo hæc, nec antiquissimos esse scriptores Græcos, primosque disciplinarum inventores, nec in omnibus & ubique fidem eos mereri, perinde ac si aut hallucinati nusquam essent, aut à vero declinassent. Itaque in eo est Iosephus, ut ista demonstrat. Nec nos diffiteri possumus, non sine ratione hæc à Iosepho disputari. Nam nec nos dubitamus, antiquitate literarum, artium, rerum à Chaldæis, Phenicis, Ægyptiis Græcos superari,

Iosephus.

superari, (ut de Hebraeis nihil dicam) imò ab his iisdem Græcos literas
disciplinasque hausisse. Et ignotum non est, vanitatis quâdam infamiâ
cum cæteris in rebus, tum in scribendis actorum commentariis gentem
Græcam apud Romanos potissimum, homines graves, laborasse. Vnde
natum Satyrici illud: *& quicquid Græcia mendax. Audet in historiâ.*
Fatemur etiam iisdem de rebus scribentes autores inter se nonnulquam
dissentire, ac diversa memorare: idque ad optimæ notæ scriptores etiam
interdum pertinere. Quale est, de eadē Hipparchi Pisistratidæ, quæ
que cum eâ coherent, quod Herodotus & Thucydides posteris prodide-
runt: & quod idem Herodotus, & Diodorus Siculus, Trogusq; Pompejus
de certamine Græcorum cum Persis ad Thermopylas scripsere: & his si-
milis alia. Et tamen haudquaquam concedimus, ex his confici, totum sy-
stema historiæ Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Callisthenis, Diodori
de rebus Persicis à Cyro ad ultima Darij Codomanni fabulosum esse, aut
falsam apud eos temporum præcipuorumq; actorum expositionem: nega-
musque hoc affirmare Iosephum voluisse. Nam in quib. discrepant
scriptores hi, ea ad rerum summam non pertinent, sed in partib. tantum
minutis, aut circumstantiis nonnullis hærent: & quæ in Herodoto notantur
à Iosepho, item in Hellanico, Acusilao, Cadmo Milesio, ea ad extera Æ-
gyptiaca, Chaldaica, Scythica, Arabica, Getica maximè pertinent, &
antiquiora sunt rebus Persicis contra Græcos gestis, atque à memoriâ
scriptorum, eorumque sedè, in quibus erratur facilius, remotiora.
Quod iis, qui videre & intelligere volunt, ex ipsis Iosephi ver bis est ma-
nifestum. Tempora verò actaq; præcipua non tangunt. Nec tantam,
ut jam dixi, infamiam irrogare bonis Græciæ scriptoribus Iosephus in
animo habuit, aut maximis in rebus fidem iis derogare. Alioqui enim
eorum testimoniis frequentibus sese non munivisset, & contra calumnia-
tores gentis suæ causam suam defendisset. Nam testibus fidem demere, &
eorum tamen testimoniis multum uti summè est dementiæ. Adde & hoc,
Si ob errores aliquot, aut sententiarum narrationumve nonnullarum
discrepantiam, quâ scriptores nonnulquam variant inter se, suspectam eo-
rum fidem in universum facere, aut eos prorsus rejicere liceret, quos
scriptores Romanos, Gallos, Germanos, Italos, Polonos, Hispanos,
Danos, Bohemos, Vngaros, Britannos fidos posses censere? ubi pedem
figere in historiis & monumentis priorum temporum? quid non pro falso
habere? Si hoc modo clarissimos Persiæ reges delere ex regum ejus gentis
albo, atque ex naturâ rerum aut temporum serie exterminare fas fuerit,
quomodo non licuerit pari modo ex serie rerum Romanarum Porcenam
Clusinum, C. Pontium Samnitum, Pyrrhum Epirotam, Magonem, Amil-
carem, Asdrubalem, Annibalem, Gisgonem Pœnos, acerrimos Romanæ
civitatis hostes, ipsum Mithridatem Ponti regem, ut omittam cæteros,
qui res maximas contra Romanos gessere, aut ipsos Romani nominis
viros summos, Brutum, Publicolam, Cincinnatum, Capitolinos, Ca-
millos, Curios, Fabricios, Papyrios, Catulos, Scipiones, Flaminius,
Paulos, Marios, Pompejos, Marcellos, Claudios, Catones dispun-
gere, ac pro nullis habere: aut ex vetustate Germanorum Martellum,
Pipinum, Carolum Magnum, Lotharium, Ottõnes, Henricos, Frideri-
cos tollere. Par enim ratio, præterquam quod solum hoc placitum
nuper adeò conceptum exterminandis Persis occasionem dederit Bero-
aldo, Bruchtonoque, sultum figmentis inanibus monachi Viterbiensis
impostoris improbißimi. Sed quo ab eo? Redeo propius ad rem.
Vna est ratio, quæ temporum seriem in rebus Persicis, qualis est apud
Herodo-

De dis-
sensu scri-
ptorum
Græcorum.

* Argu-
mentum
validissi-
mum ab
eclipsibus
sumptum.

Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Callisthenem, aut Callisthenis breviatorem Diodorum à Cyri fine ad finem Darii Codomanni, & monarchiæ Macedonicæ principium validè firmat, nec vacillare finit, non longiori, non breviori locum dat, atque ita totam hanc controversiam, si controversia in re planissimâ possit esse, funditus tollit. Ea ex cœli volumine petitur, quod nec errare potest, neque fallere. Chaldæi, ut est apud Ptolemæum, observatam à se Babylone eclipsin Lunæ notarunt in pinacibus suis tempore Cambyfis, eamq; monstrant accidisse Cambyfis in Persiâ imperantis anno septimo, æræ Nabonassareæ anno ccxxv, adjecto quoq; mensè & die ac horâ, nimirum mensis Phamenoth die xvi, ac horâ diei x paulo plus, cum Luna in terræ umbram fuit ingressa: quod tempus respondit anno periodi Iulianæ quatermillesimo, centesimo, nonagesimo primo, ante natalem Christi Dionysianum DXXIII, mensis Iulii die xvi, Olympiadis LXIIII anno primo exeunte, & secundo surgente. En tempus exactè notatum; signatum caractere cœlesti infallibili. Septimus verò annus Cambyfis signat sine dubio imperii ejus initium cum fine Cyri, pertinens ad annum Nabonassareum ccxviii, periodi Iulianæ quater m.c.lxxxiiii, Olympiadis LXXII annum quasi III. Rursus Olympiadis cxii anno ii, quod extra controversiam est, nec negari ab ipso Bruchtono Bruchtonique sectam sequentibus potest, Alexander magnus, ad Arbela Assyriæ Darii ultimum Persarum regem ingenti pugna vicit, archonte apud Athenienses Aristophane, mensè Attico Pyanepsione, cum eodem mensè plenilunium fuisset eclipticum, ut prodit Arrianus Nicomedensis, & quidem xi die ante pugnam, ut notat Plutarchus, quamvis hic Boedromionem mensem Atticum fuisse designet. Hac victoriâ illustri Alexander rapuit imperium Persidis & totius Orientis, regnandique finem Persis fecit. Qui finis Olympiadis cxii anno ii expressim apud Diodorum, ex consequenti apud Arrianum, archonte verò Attico apud utrumque, eclipsi autem Lunæ apud Arrianum eundem & Plutarchum, & Plinium libro ii cap. lxx, & Ptolemæum Cosmogr. lib. i. cap. lxxx. caracteribus pluribus signatus cum sit, ad eum error incidere non potest, ut confitentur etiam ipsos, contra quos hæc disputamus, hæc in parte habeamus. Accedit & firmamentum aliud, quo magis stabilitur res ad omnem dubitationem penitus tollendam. Nam uti ex ordine rerum ab Alexandro gestarum constat certò ex bonis autoribus, eum à morte patris Philippi in regno Macedonico jam fuisse annos integros quinque, & menses circiter tres, cum prælium hoc ad Arbela commisit, ita certius quoque tenetur, à prælio eodem vixisse annos septem cum mensibus vii. Ejus verò nati, quæ incidit in Olympiadis cxiiii annum primum, & mensis Macedonici Dæsi diem à fine tertium, ut ex diario de morbo & morte ejusdem annotat Plutarchus, qui Dæsius mensis Junio Romano in annis Iulianis ut plurimum respondet, Chaldæi æram novam dedicarunt, quâ usi frequenter Astronomi sunt in Chaldæâ & Ægypto, finientem annum cccxxiiii æræ Nabonassareæ, & cum anno ejusdem æræ cccxxv surgentem. His ita positis, apertum fit, ab anno vii Cambyfis, quò eclipsis illa Lunæ, de quâ diximus supra, accidit, copulato cum anno æræ Nabonassareæ ccxxv, & periodi Iulianæ quater m.cxcxi, ad hanc æram novam mortis Alexandri intervallum esse annorum quasi cc; ad pugnam verò dictam, & finem imperii Persarum annos cxciii & trimestre non integrum: à fine autem Cyri ad eandem pugnam annos decurrisse similiter quasi cc: à Cyri verò principio in Perside, quod omnes Chronographi conjiciunt in Olympiadis lv annum primum, uti dictum à nobis prius,

prius, si annos regni ei tribuamus xxx, tempus effluxisse annorum cēxxx, durationem nimirum integram regni Persici. Eademq; omninò tempora conficiuntur, si in arā Olympiadum annos libeat numerare. Atq; hanc annorum seriem duabus eclipsibus characteribus certissimis in capite & exitu terminatam plures quoq; characteres similes intermedii amplius firmant. Quales sunt eclipses duæ, quæ acciderunt sub Dario Hystaspis, notatæ diligenter a Chaldæis, & in pinaces relatæ, prior anno imperii ejus xx, aræ Nabonass. ccxlvj, altera imperii ejusdem xxxi, græ Nabonassarcæ cclvii: (nam annos imperantium Chaldæi perpetuò copularunt cum annis aræ suæ Astronomicæ, cui à Nabonassaro rege Babylo- nio nomen datum) initium item *ἐννεαδεκαετηρίδων* Metonis, uno anno primordia belli Peloponnesiaci antecedens, sub Apseude Atheniensium archonte, cum fuisset annus Nabonassaræ cccxvi: ipsa illa primordia belli Peloponnesiaci pertinentia ad tempus veris, à quibus æstate mediâ secuta fuit terribilis eclipsis Solis à Thucydide memorata, quæ stellas interdiu conspiciendas dedit: Eclipsis Solis altera ab eodem notata Thucydide, conspecta anno belli ejusdem septimo exituro, minus semestri post obitum Artaxerxis *Μακρόχαρτος* regis Persarum. Plures memorare non libet, ne tædium lectori creem. Aliud verò præterire heic non possum, quod Astronomorum celebrium successio nobis suggerit. Cleostratus Tenedius excellens in hac disciplinâ vir, qui cum Cyro & Cambyse vixit, (storuisse enim traditur Olympiade lxi) ut quod *τετραετηρίδι* Græcæ ad æquandos Solis Lunæque motus deesse videbatur, corrigeret, *ὀκταετηρίδα* instituit, Græcisque publicavit: Et cum ne is quidem videretur esse assecutus, quod voluerat, Harpalus post eum emendare *ὀκταετηρίδα* satagit, adjectis diebus duobus. Verum cum etiam hoc modo satisfactum rei non esse deprehendissent Meton & Euctemon Athenienses, abundante scilicet octaeteride Harpaleâ supra veras Solis Lunæque rationes, quemadmodum Cleostratæa peccabat in defectu, ut vitia hæc tollerent, in usum populi Attici loco *ὀκταετηρίδων ἐννεαδεκαετηρίδα* introduxerunt, quâ veram *ἀπκατάσειον* absolvi existimabant. Factum id Olympiadis lxxxvi anno quarto, quem proximè bellum Peloponnesiacum ostendimus antecessisse. Ac cum ne hæc quidem scopum contingere Calippus astrorum doctrinæ peritissimus animadvertisset, ut hujus quoque aberrationi mederetur, annis c post *ἐννεαδεκαετηρίδα* à Metone publicatam, Alexandro Macedone jam rerum potente in Asiâ, periodum aliam confecit Metonicas quatuor complexam, Athenisque publici juris fecit; quemadmodum Calippicam hanc posteriori tempore, quatuor Calippicis in unam conflatis, Hipparchus emendavit. An verò hos, cum emendationisque suas non probè observasse censemus? Metonémve non tenuisse, quantum ipse a Cleostrato, quantum ab Harpalo, distaret? & Calippum aut nescisse, aut non expendisse, quantum à Metone, quantum ab Harpalo, quantum à Cleostrato abesset? eundemq; Calippum nescisse, quot annos Cyri finem, cui æqualis Cleostratus fuerat, Alexander Asiæ occupator sequeretur? Adde huc, quod non solum in hunc inexplicabilem errorem, & plus quam absurdum incidunt, sed in plures quoque alios, quos hic secum trahit, huic non dissimiles. Coguntur enim Græcorum etiam tempora cum Persicis temporib. decurrentia à Pisistrato Atheniensium tyranno nobili, & septem Græciæ sapientibus ad Alexandrum Macedonem porrecta, perque ætates & successiones hominum celeberrimorum, qui aut sapientiæ studio, aut gerenda rep. claruere, distincta, similiter

similiter truncare. Quid truncare dico? Coguntur plus mediâ sui parte breviora facere, & nobilissimos viros, perinde ac si nunquam vixissent, aut nulli fuissent, ex mundi ævo, & rerum naturâ delere. Ex philosophis Pythagoram puta, Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, Socratem, Platonem, Aristotelem, Theophrastum coætaneum Alexandri: E cæteris verò Miltiadem, Themistoclem, Cimonem, Periclem, Alcibiadem, Cononem, Timotheum principes civitatis Atticæ, Cleomenem, Demaratum, Leutychidem, Leonidam, Pausaniam, Lysandrum, Dercillidem, Agesilaum, Agin reges ducesque Lacones, aliosque aliis in populis & gentibus velut sortiri, & sortitò eductos ex annalibus, & rerum memoriâ exturbare. Coguntur Romanos quoque fastos consulares, coguntur ἀναγραφὰς rerum Ægyptiacarum his correspondentes in arctum redigere, & non annum, non biennium, non triennium, non quadriennium, non decennium, sed totos annos centum ex iis tollere. Cohærent enim ista inter se, & quodcumque Persicis rebus tempus detraxeris, hoc cæterarum quoque gentium proximarum rebus detrahere necesse habebis.

Finis libri secundi.

R E R V M

R E R V M
C H R O N O L O
G I C A R V M
L I B E R T E R T I V S .

DE CONNECTENDIS AERIS TRIBVS IN HISTO-
RIA GENTILI, OLYMPIADICA, NABONAS-
sareâ, eâ, qua dicitur urbis Romæ condita.



E arâ Olympiadicâ, item Nabonassareâ, & quæ ducitur ab urbe Româ condita, quibus Chronologia rerum profanarum potissimum nititur, quæque mutuo se firmant, multa jam dixi. Nunc de iis rectè connectendis agemus breviter. Olympiadum arâ, uti ante ostendi, harum antiquissima est & celeberrima. Quæ ad initium ejus & certitudinem, aliaque similia pertinent, ea quoque in prioribus exposui.

Hoc tantum hîc repeto; conservatam eam sine vitio fuisse in ἀναγραφῆς publicis in fano Iovis Olympii apud Elidenses loco religioso ac inviolabili repositis, quas & consecere, & custodivere publici sacerdotes ei curâ præpositi: quos oportebat Olympiadibus singulis, statim cum peractum judicium esset, victoresque declarati, victorum nomina ἀναγραφῆς inscribere, aliosque eventus ad singulos annos summam notare: fuisseque ἀναγραφῆς has per annos plus minus mille publicâ curâ continuatas, & deinde per Chronologos eruditos in posteriora extensas ad ætatem Theodosij II. imperatoris, velut fastos perpetuos, actorum temporumque custodes.

Æra Romana surgens cum initio nascentis Romæ primum per annos singulorum regum incedens ad id usq; tempus, quo reges Româ pulsi sunt, deinde per consulum, decem virorum, tribunorum militarium cons. potestatis, rursusque consulum seriem longissimam porrecta ad initium Iustini II. Imp. qui Iustiniano I. successit, quam seriem fastos nuncuparunt, per annos circiter M LXXVI decurrit. Cujus caput annis circiter XXI III recentius ponitur initio Olympiadum: ipsa verò sapius cum Olympiadicâ à bonis autoribus copulatur. De Nabonassareâ, quæ sexennio ferè Romanâ posterior est, nihil hîc libet repetere. Omnia enim abundè de eâ sunt nobis jam dicta. Hæc cum Olympiadicâ connectitur apud Ptolemaum per Apseudem Atheniensium archontem ἐπάνυμον, quem ostendit eo in magistratu fuisse Metone solstitium æstivum observante, cum flueret annus Nabonassareus cccxvi, surgens tum à die nonâ Decemb. Romani. Apseudem autem constat ex fastis Atticis ἀρχοντα ἐπάνυμον Athenis fuisse Olympiadis LXXXVI anno

Invenias etiam seriem Olympiadum in annalibus nonnullis pro ùltam longius ad finem Imp. Mauricij.

F i i i j

quarto

quarto, & paulò post observationem Metonis magistratu eodem abiisse. Docet id Diodorus Siculus bibliothecæ suæ libro XII. Estque annus ille memorabilis in rebus Græcis, proximè scilicet antecedens initium belli Peloponnesiaci, quo nullum inter Græcos fuit celebrius, & temporibus signatum distinctumque evidentius: cujus annum primum cum vere incipientem characterem habere ostendi illustrem à Lunæ Solisq; motu, Thucydidi memoratum. Simili modo cum eadem conjungitur apud eundem Ptolomæum per Phanostratum & Euandrum archontes civitatis ejusdem, quos Diodorus ostendit eo in honore fuisse Olympiadis XCIX annis secundo & tertio. Atque est uterque iste annus characteribus signatus apud Ptolomæum, eclipsibus scilicet Lunæ tribus cum certis cœli locis, certis mensium diebus, & dierum horis, & horarum momentis in commentarios & indices relatis: quarum prima & secunda inscribuntur anno Nabonass. CCCLXVI, tertia CCCLXVII. Conjungitur item aliquot locis apud eundem per annos periodorum Calippicarum, quas *πρωταγείας* vocarunt, quarum principium ductum fuit à Solstitio æstivo anni secundi in Olympiade CXII, quo anno Olympiastico pugnatum erat ad Arbela, surgente jam autumno, aut vergente æstate. Quod dici quoque potest de annis epochæ Dionysianæ. Potest & de eâ, & quidem optimè potest, quæ à morte Alexandri nomen habet: quæ mors sine dubio incidit in annum primum Olympiadis CXIII, archonte Athenis Hegesiâ, cum jam ver adolevisset. Ptolomæus verò annum mortis hujusce connectit cum anno CCCXXV Nabonassareo ineunte: eâque connexionem utitur aliquoties. Verum nulla magis illustris, nulla evidentior & certior copula est harum duarum ærarum, quam ea, quam debemus Censorino auctori eruditissimo, & in hoc de temporibus argumento scriptori diligentissimo & accuratissimo. Is enim verbis disertis annum Nabonassareum DCCCCLXXXVI labentem, quo consulatum gerebant apud Romanos Vlpianus & Pontianus, affirmat concurrere cum anno Iphiteo, id est, Olympiastico MXIIII, qui erat Olympiadis CCLIIII annus secundus. Sed quia insignis & verè memorabilis locus est Censorini, quo non solum duas istas æras connectit, sed plures quoque alias, Romanam, Iulianam, Augustanam, devictæ Ægypti, mortis Alexandri, non possum facere, quin totum eum verbotenus huc transcribam. *Secundum quam rationem, (inquit ille capite XVII libri de die natali) ni fallor, hic annus, cujus velut index & titulus quidam est VLPII & PONTIANI consulatus, ab Olympiade primâ M.^{mus} est & XIII^{mus}, ex diebus duntaxat æstivis, quibus agone Olympicus celebratur: à Româ autem conditâ DCCCXCI^{mus}, & quidem ex Palibus, unde urbis anni numerantur. Eorum verò annorum, quibus Iulianis nomen est, CCLXXXIII^{us}, sed ex die Kalend. Ianuar. unde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium. At eorum, qui vocantur anni Augustani, CCLXV perinde ex Kal. Ian. quamvis ex ante diem XVI Kal. Februarij Iul. Cæsar divi filius imperator Augustus sententiâ Numacij Plancij à senatu ceterisque civibus appellatus est, se VII & M. Vipsano Agrippâ III Cos. Sed Ægyptij, quod biennio ante in potestatem ditionemque populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum CCLXVII. Nam ut à nostris, ita ab Ægyptijs quidam anni in literas relati sunt, ut quos Nabonassar nominant, quod à primo imperii ejus anno consurgunt: quorum hic DCCCCLXXXVI est: item Philippi, qui ab excessu Alexandri magni numerantur, & adhuc usque perducti annos DLXII consummant. Sed horum initia semper à die primo mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est Thoth, qui hoc anno fuit ante diem VII Kal. Julij, cum ab hinc annos*

centum

centum Imp. Vlpio Antonino Pio II, & Brutio Prasente Cos. Roma illdem dies fuerint ante diem XII Kal. Augusti, quo tempore solet Canicula in Aegypto facere exortum. En tibi connexas & confertas inter se æras varias, firmamentum Chronologiæ in rebus profanis insigne, & validum, in quo liceat sine vacillatione fidenterque pedem figere. Nam Censorinus vir eruditissimus, ut dixi, & in hac disciplinâ exercitatissimus, idemque diligentissimus, quod ex unico libello ejus discimus, cum hæc scriberet, æræ istæ erant adhuc omnes in usu, ut earum annos non magis ignorare potuerit, quam nos ignorare possumus annum præsentem æræ Christianæ. Congruitque hæc ratio in his duabus æris, de quibus jam agimus, & in eâ, cui ab Alexandri morte nomen est datum, cum ratione Ptolemæi ad unguem, quod Canon ipse Chronologicus à nobis confectus ponet ob oculos. Scripsisse verò se hæc, quæ recitavimus, ostendit Censorinus eo anno Romano, quem paulò antè notavi, cui titulum ait dedisse Vlpium & Pontianum consules: qui concurrunt cum primo anno imperii Gordiani junioris, fuitque secundum rationes Varronis nonagesimus primus fluens ab urbe Romæ conditâ, & ducentus octuagesimus tertius à Calendis Januariis primis à C. Julio Cæsare reformatis. Qui idem annus & initio Gordiani III, cædèque duorum imperatorum Pupieni & Balbini memorabilis fuit, & characteres habuit duos, alterum cœlestem, eclipsin Solis totalem, notatam à Julio Capitolino, pertinentem ad diem alterum Aprilis, alterum agonem Capitolinum trigesimum nonum à primo, qui institutus fuit à Domitiano imperatore, ipso XII, & Ser. Cornel. Dolabellâ consulibus anno imperii ipsius sexto. Annus verè insignis, dignusque, qui rubro colore notetur in fastis, cum quo tot æræ copulantur, ac nexu mutuo conferuntur à Censorino. At verò Romana, de quâ nunc scribimus, quemadmodum hoc loco ab eodem Censorino conferitur tum cum Olympiadicâ, tum cum Nabonassareâ, quæ sanè connexio fida est, ac fallere non potest, sic cum Olympiadicâ seorsim copulatam legimus apud Iulium Solinum; ubi is scribit Olympiada CCVII actis publicis populi Romani signatam esse sub Claudio imperatore, Q. Verannio, & C. Pompejo Gallo consulibus, qui annus erat Claudio imperanti nonus, urbi Romæ conditæ secundum Varronem octingentesimus secundus, cum tertio ante hunc anno, qui urbis conditæ fuerat octingentesimus, Claudius imperator se IIII, & L. Vitellio consulibus existimans centesimo quoque anno ab urbis ortu id fieri oportere, ludos sæculares celebrasset, & altero ante istum, urbis Romæ scilicet septingentesimo nonagesimo octavo, M. Vinitio II, M. Statilio Corvino Cos. eclipsis Solis ingens die natali Claudij, qui dies erat Calendarum Augusti, accidisset ab ipso Claudio in edicto publicè proposito prædicta. Rursus eandem connexionem Censorinus etiam præstat eodem loco per annos Iulianos. Si enim Vlpio & Pontiano Consulibus annus Iulianus fluebat CCCLXXXIII à Kalendis Ianuarii, & Olympiadicus MXIII à diebus duntaxat æstivis, necesse est primum annum à C. Cæsare reformatum, qui erat urbis Romæ conditæ secundum Varronis rationes DCCIX, fluxisse cum Olympiadicò à mediâ æstate DCCXXXII, hoc est, Olympiadis CLXXXIII anno IIII. Quo modo per annum hunc eundem primum Iulianum connecti potest quoque æra Nabonassarea cum Romanâ. Eademque conferendarum trium istarum ærarum ratio fuerit per annum occupatæ ab Augusto Aegypti, quo se Antonius & Cleopatra interemerunt, ex eodem Censorini loco. Quæ quò magis multiplex est, eo est firmior certiorque. Præterea Polybius summus auctor, & Dionysius Halicarnassæus, Livius, Plinius, Solinus quoties copulant Olympiadas,

piadas, aut Olympiadum annos cum consulibus Romanis, aut cum annis urbis Romæ, aut cum Romanorum rebus gestis, quod faciunt frequenter, toties æras has Olympiadicam & Romanam copulant. Exemplum habet Polybius autor gravissimus, Græcarum pariter & Romanarum rerum peritissimus, quique cum sua scriberet, optimè norat, qui Romæ consules essent, quota flueret Olympias, quotusque Olympiadis annus, in eâ operis sui parte, quæ nobis velut naufragii tabula reliqua est, bis disertè affirmat Consulatum T. Sempronij Longi, & P. Corn. Scipionis, quo bellum Punicum secundum cæpit, ipsumque illud belli ejus initium concurrissè cum Olympiadis cxi.^{ma} anno secundo: scribitque idem Olympiadem ipsam cxi. incidissè in consulatum L. Æmilij Pauli & M. Livij Salinatoris, qui priores illos proximè antecessere; cladem verò Cannensem L. Æmilio. C. Terentio cons. pertinere ad Olympiadis ejusdem annum iiii. A quo tempore ad ætatem Polybii, & hinc ad C. Cæsaris eandem, ulteriusque per primorum imperatorum tempora usquam vacillare fastos consulares Romanos dici à nemine verè potest. Similiter scribit, eo tempore, quo celebrata in Græcia fuit Olympias cxxix, consulibus Appio Claudio Caudice & M. Fulvio Flacco, Romanos primum cum exercitu Italiâ exisse, & in Siciliam trajecisse, quod fuit initium belli Punici i. En duplicem copulam apud Polybium, ut reliquas apud eundem præteream. Dionysius Halicarn. in putandis comparandisque temporibus accuratissimus cum primis X-viris, quos ipse refert ad annum conditæ Romæ cccii, Livius ad cccii uno anno à Dionysio hac in re discedens, convenisse ostendit cum Olympiadis lxxxii anno iiii, regifugium autem accidisse Olympiadis lxviii anno primo surgente, urbis Romæ conditæ ccxlv, quod posterius Livio quoque placet: ipsam verò Romam conditam à Romulo Olympiadis vii initio, aut, ut M. Terentius vult, Olympiadis præcedentis anno ultimo exituro. Polybij rationibus Livius quoque consentit sine dubio. Affirmat enim ætate eâ, quâ duo consules Romani M. Claudius Marcellus, & T. Quintius Crispinus bello Punico ii pariter periére, (quod factum belli istius anno xi) Olympiada in Græciâ esse actam: Et licet Olympiada numero non designet, tamen cxliiii fuisse nemo opinor negaverit, nemo dubitaverit. Similiter L. Furio Purpureone M. Claudio Marcello Consulibus ostendit Græcis publicatam libertatem à T. Quintio Flaminiò in ipsâ ludorum Isthmiorum solemnitate, quæ anno uno Olympiada solet antecedere. Olympias autem proximè sequens sine dubio erat cxlvi, quæ incidit in annum Romanum dlvi: quod ex serie consulum Romanorum licet cognoscere. Dionysius verò, quod jam dixi, scriptor & ipse diligens, atque in comparandis temporibus penè curiosus, regium imperium Romæ finitum esse ait initio Olympiados lxviii, cum durasset annos ccxliiii. Deinde sic tempora in rebus Romanis digerit post partam libertatem, enumeratis ordinibus consulibus annuis, & Olympiadibus ad singula quadriennia cum nominibus archontum Atticorum adjectis, ut primos Decemviros Romæ magistratum iniisse significet Eidibus Maijs (eæ tunc incundis magistratibus solemnes erant) Olympiadis lxxxii anno ii exituro, gessisse verò anno iiii ejusdem Olympiadis fluente, cumque fuisse annum ab urbe Romæ conditâ cccii. Acta quippe anni, quo consules fuere P. Horatius & Sex. Quintilius, qui altero ante istum anno consulatum administrarunt, inchoans sic scribit. Olympiadè lxxxii, quâ stadium vicit Lycus Thessalus è Larissâ, archonte Athenis Chærephane, completo anno ab urbe conditâ trecentesimo, P. Horatio, Sex. Quintilio consulibus pestilen-

pestilentia Romam invasit. Atque his consulibus successores submit-
 tit L. Menenium, & P. Sestium: quos consulatu defunctos exceperere De-
 cemviri. Cum quo etiam congruit, quod idem scribit libro VI de tem-
 pore consulatus A. virginij, & T. Vetusij Geminiij, quo plebs in sacrum
 montem secessit. Vbi verba ejus sic habent. Posthæc consulatum
 sumpserunt A. Virginius, T. Geminius, ἀρχοντῶν Ἀθηνῶν Θεμιστοκλῆος ἐξή-
 κοσῶ καὶ διακοσιοσῶ μὲν πρῶτον ἔτερος μελλέσσης εἰς τοῦτον τὸ ἔθρονον καὶ δευ-
 τέρως Ὀλυμπιάδων, ἡ δὲ εἰς δεύτερον Σησικράτης Κροτωνιάτης. En junctum
 annum urbis Romæ conditæ CLX cum Olympiadis LXXI anno IIII, &
 Virginij Geminiique consulatum apud Romanos cum prætura Themisto-
 clis apud Athenienses. Conveniuntque apud eundem Dionysium pa-
 ria consulum cum intervallo, quod est inter primos X-viros, & annum
 hunc urbis conditæ CLX, quo & plebs secessit in montem sacrum, & tri-
 bunatui plebis initium datum. Nec dissentiunt ab his, quæ ab eodem
 disputantur libro primo, urbem scilicet Romam à Romulo constructam
 annos CCCCXXXII post Ilium eversum ex mente Catonis, atque ita O-
 lympiadis VII anno primo: deinde Romæ regnatum annos CCXLIII,
 atque hinc ad urbem Romam à Gallis captam annos fluxisse CXX, eumque
 calum contigisse κατὰ τὸ πρῶτον ἔτερος τῆς ὀγδοῆς καὶ ἐνενηκοσῆς Ὀλυμπιάδων,
 ἀρχοντῶν Ἀθηνῶν Πυργίου. Quæ ratione urbs à Gallis occupata &
 vastata fuerit exactis jam annis ab ejus primordio CCLXIII. Eo-
 demque collimant, quæ idem Dionysius scribit initio libri V, Ro-
 mam, cum regnatum ibi esset annos CCXLIV, regio tandem imperio libe-
 ratam esse, Ὀλυμπιάδων μὲν ὀγδοῆς καὶ ἐξηκοσῆς ἐνεσώσης, quæ stadium
 vicit Ischomachus Crotoniata, Athenis autem annuam præturam habuit
 Isagoras. Atque hæc omnia ex mente Dionysij. Quæ cum Livio
 quo modo quadrent, aut discrepent, non libet, hæc explicare, ne ab iis,
 quæ hujus scopi propria sunt, nimis longè discedam. Facturus sum id,
 ubi erit magis commodum,

QUOMODO CONNECTENDA SIT AERA CHRIS-
 TIANA, ET ALIÆ INFERIORES
 CVM TRIBVS ISTIS PRIORIBVS.

ET hæc quidem hætenus. Vt verò seriem illam temporum vetustio-
 rum rectè deducamus & porrigamus usque ad nos, videndum, quomo-
 do æram, quæ nunc omnibus in rebus utimur, usque majores nostri sunt
 ab annis quasi mille, quam latè nomen Christianum patuit & patet, aris
 prioribus sine vitio aptemus. Eam dico, quæ Christi vulgò vocamus.
 De quâ quedam etiam perstrinximus ante, de annis Romanis cum scribe-
 remus. Diximus scilicet eos, qui usi eâ sunt in re Chronologica, de
 capite ejus non unum omnes sensisse: Eusebium, qui primus in dispen-
 do tempore perpetuò hanc ipsam assumpsit, & Olympiadum seriei, annif-
 que Romanis aptavit, atque illum secutos Hieronymum ac Prosperum, ca-
 put ejus uno anno statuisse antiquius, quam fecere ceteri, qui sectam Dio-
 nysij Parvi abbatis Romani sunt secuti, cujus sectæ sententia etiam nunc
 in usu communi manet. Etenim Eusebius, & qui cum Eusebio faci-
 unt, caput æræ conjiciunt in Olympiadis CXCIIII annum III μεσοῦτος,
 primumque æræ annum fluxisse volunt cum anno urbis Romæ ex mente
 Varronis DCCCLIII, qui erat æræ Antiochenæ XLVIII, à primis Kalendis
 Julianis reformatis XLV, à fine ejus anni, quo casus est C. Julius Cæsar,
 & initio imperii Cæsaris Augusti XLIII. quo anno consulatum Romæ
 gerebant Cossus Cornelius Lentulus, L. Calp. Piso, cyclo Solis IX,
 Lunæ

Lunæ XIX. Dionysius verò Parvus desertâ hac sententiâ Eusebianâ sub Iustiniano imp. circulum novum paschalem publicaturus, ut suo instituto gram aptaret, caput ejusdem contulit in annum proximè sequentem, Olympi adis scilicet ejusdem CXCIII annu $\mu\epsilon\sigma\sigma\omega\mu\alpha$, ac primum græ annu statuit decurrissè cum anno conditæ urbis Romæ, secundum eundem Varronem, DCCLIII, qui erat græ Antiochenæ ab autumno proximè præcedente XLIX, Julianæ à Calendis Januariis XLVI, imperii Augusti ab iisdem Calendis XLIV, cum consules Romæ essent C. Julius Cæsar, Augusti fil. L. Æmilius Paulus, cyclo Solis X, Lunæ II. Vtra harum $\alpha\pi\omicron\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega\nu$ verò sit propior, nunc non disputo: quemadmodum nec de tertiâ, quæ Eusebianam anno solido antevertit, quæ Clementis Alexandrini, & vetustissimorum Christianorum fuit, & Iosepho Scaligero maximè placuit, quanquam usum ejus antiquatum jam ante Eusebii tempora revocandum ipse non censuerit. Eusebii autoritati locus si detur, is $\alpha\pi\omicron\theta\epsilon\sigma\epsilon\omega$ suam in Canone Chronico, æræ Olympiadicæ & Romanæ applicuit, annosque annis conferuit ad tempus usque suum, quo & Olympiadum ratio constabat, & Romanorum fasti, temporum custodes nondum obsoleverant. Sed post Prosperum nemo hac ærâ fuit usus quemadmodum & Olympiadum consignatio, & numeratio annorum à Româ conditâ in defuetudinem ivere: solum fasti consulares, & imperatorum & indictionum series in signandis temporibus locum tenuere: rarò æræ aliæ in orbe Romano nisi in rebus maximis usurpatæ. Interea Dionysius, quem dixi, ille Parvus magni imperatoris Iustiniani $\sigma\upsilon\lambda\chi\alpha\rho\nu$ rei ecclesiasticæ consulturus, ut de justo certoque tempore celebrandi paschatis imposterum omnibus constaret Christianis, novum cyclum paschalem construxit, ductis in se Solis ac Lunæ cyclis, atque his cum annis Christi perpetuò copulatis: eumque cyclum anno sexto imperii Iustiniani publicavit, qui annus cum anno æræ istius Christianæ à Dionysio novatæ DXXXII concurrebat. Et serviit quidem hic cyclus usui ecclesiæ, cui fuit ab autore destinatus: cæterum æra Christiana cyclo innexa usum frequentem non invênit ad signanda tempora, nisi post annos plus minus CLXXXV, cum Carolus Mertellus Caroli Magni avus in Galliâ, Luitprandus Longobardorum rex in Italiâ, Philippicus imperator in Oriente rebus præfiderent, Ecclesiamque Romanam regeret Pontifex Gregorius II. Patet id ex monumentis publicis ac privatis ante id tempus scriptis. Ab eo verò tempore usus æræ istius ex sententiâ Dionysij inolevit sensim, tandemque ita invaluit, ut omnibus penè actis signandis cum annis regum & imperatorum, indictionumque numero adhiberetur: idemque pervênit ad tempora usque nostra. Et hæc æra ut rectè conferatur cum Eusebianâ, addendus perpetuò est annis Dionysianis annus unus: atque ita Eusebiana, cum Olympiadum periodis extendi sine vitio potest ad nos. Verum ut certius constet gram hanc Christianam rectè confertam esse cum æris prioribus, de quibus diximus, characteribus opus, qui fallere non possunt. Quorum præcipui sunt eclipses Solis & Lunæ, atque alia in cælo $\phi\alpha\iota\omicron\nu\omicron\mu\epsilon\tau\alpha$, quæ syderum motus certos sequuntur. Sunt etiam indictiones, festa mobilia, feriæ. Nos ommissis plurimis, paucis contenti rem totam conficiemus. Claudius Romanorum imperator, qui tertius ab Augusto fuit, princeps animi non magni, magisque ad literas quam ad imperii habenas tractandas idonei, & quia imperium à prætorianis militibus pecuniâ emerat, sollicitus semper, atque omnia metuens, cum mathematicum & motuum cælestium non ignarus præsciret Solem deliquium ingens passurum interdiu ipso die natali suo, qui erat Calendarum Augusti, ludis equestri-

sribus solenni, idque idcirco in omnium oculos incursum, timens
 eam rem in omen sibi adversum atque exitiale versum iri ab imperitis,
 atque inde novandis rebus presentibus occasionem homines turbulentos
 forsitan esse sumpturos, praesertim cum alia quoque prodigia hominum
 mentes tum temporis turbarent, ut periculo occurreret, consilium ce-
 pit id, quod futurum erat, programmata publico denunciandi. Nec
 solum fecit hoc, sed etiam, cur ita fieri necesse esset ex lege naturae, quo
 temporis momento esset futurum, quamdiu deliquium esset duraturum,
 exposuit. Eventusque praedictioni respondit. Sol scilicet totus
 defecit Calendis Augusti spectante populo. Accidisse autem haec M. Vi-
 nitio II, M. Statilio Corvino consulibus à fidsimo autore Dione Cas-
 sio discimus. Atque is annus erat Claudij imperantis quintus fluens,
 vitae ejus LIIII eodem isto die exiens, & simul LV surgens, Iulianus à pri-
 mis Calendis Ianuarii reformatis XCIII, Antiochenus ab aera hujusce
 capite XCVI, uterque currens, in quibus nulla cadere potest vacillatio:
 ab urbe verò Româ conditâ DCCXCVIII, ex Varronis sententiâ, quam fe-
 cutus Claudius imperator altero anno post, urbis scilicet Romæ DCCC,
 ludos seculares celeberrimos edidit se IIII, L. Vittellio III consuli-
 bus; Olympiade autem CCVI inchoante; si quidem, ut ex Solino notum est,
 Q. Verennio, C. Pompejo Gallo coss. qui anno urbis Varroniano DCCCII
 consulatum gessere, (quamquam annum DCCC I scribât Solinus Catonem se-
 cutus,) Olympias CCVII publicis populi Romani actis annotata fuit: quæ
 Olympias sine dubio incidit in annum surgentem Nabonassari DCCXCVII.
 Atqui multis annis & ante & post annum illum signatum, quo Vinitius &
 Statilius consules fuere, eclipsis Solis hujusmodi Calendis Augusti inco-
 lumi ordine naturæ, motuumque cœlestium lege, accidere haudquaquam
 potuit. Docet autem calculus Astronomicus secundum tabulas Pto-
 lemæi, quæ optimè motus cœli isto & proximis seculis repræsentant, si
 is in anteriora per annos Iulianos nostros extendatur ab Astronomo perito,
 ad annua aera Christianæ Dionysianum XLV eclipsin istam probè con-
 gruere, nec usquam alibi in longâ annorum præcedentium sequentiumque
 ferie posse reperiri. Exhibent verò eadem Ptolemæi tabulæ iustitutâ calcu-
 latione deliquium hoc Solis idem in anno Nabonassari DCCXCII, mensis
 Mesori die XXI, qui tunc cum Kalendis Augusti in anno Romano reforma-
 to concurrebat. En aera nostram, quâ nunc vulgò utimur, cum aera Roma-
 nâ, cæterisque aëris veteribus tam certâ ratione connexam, ut dubitari de eâ
 non possit. Huic par est & altera ab eclipsi quoque Solis petita, cujus
 ante quoque, uti & prioris, cum de characteribus scriberemus, mentio-
 nem fecimus. Eam eclipsim & Tacitus memorat in rebus Neronis, &
 Plinius in historiâ naturali, & uterque consules edit, sub quibus accidit.
 Plinius verò, quod maximè ad rem facit, anni quoque diem, & diei ho-
 ram, quando conspecta sit in Campania Italia, exprimit. Sic enim ait
 lib. II cap. LXX de re sibi notâ, ubi de globosâ terræ formâ differit. Solis
 defectum, Vipfano & Fontejo Coss. qui fuere ante paucos annos, factum
 pridie Calendas Majas Campania horâ diei inter septimam & octavam
 sensit: Corbulo dux in Armeniâ inter horam diei decimam & undecimam
 prodidit visum, circuitu globi alia aliis detegente & occultante. Hic
 defectus Solis priorem secutus est post annos Iulianos integros XIII &
 dies insuper CCLXXIIII, pertinetque ad annum imperii Neronis
 quintum, quo is matrem occidit: referturque inter istius temporis pro-
 digia à Cornelio Tacito, quæ foeditatem sceleris Neroniani notarint.
 Ex rationibus verò tabularum Ptolemaicarum certissimum est, eundem
 hunc

hunc defectum exhiberi anno Nabonassareo fluente DCCCIV, die XXV mensis Pachon, qui tunc cum postremo die Aprilis Romani congruebat. Et erat is annus periodi Iulianæ quater millesimus septingentesimus septuagesimus secundus: itaque cyclus quoque Lunæ erat III, Solis XII. Vnde necessario sequitur, fuisse eundem illum annum, qui hanc eclipsim dedit, non alium in ærâ nostrâ Dionysianâ, quam LIX, cumque fluxisse cum Olympiadis CCCIX anno secundo partim, partim tertio. Huc afferri possent eundem in finem deliquia Lunæ à Ptolemæo observata in Ægypto, & eorum anni, ac dies in ærâ Nabonass. ipsiq; adeo cœli loci, quos Luna ac Sol in deliquis tenuere, adjectis quoq; imperatoris Adriani annis Astronomicis, diligenter notati. Nam & hæc, ad quos annos periodi Iulianæ, atque inde ad quos Lunæ Solisque cyclos competant, calculus astronomicus sine vitio ostendit. Vnde & Christi anni cum periodi annis conferti sine errore patefunt. Sed ea missa facio, ne fiam prolixus. Quod de *Φαινομένων* quoque aliis syderum aliorum inter se comparatorum ab eodem Ptolemæo in literas relatis dictum esto. Nec libet adducere Solis eclipsim illam memorabilem, quam Capitolinus prodit ad initium imperii Gordiani III accidisse, & pro omine non longæ fortunæ imperatoris hujus futuræ fuisse habitam significat: illam, inquam, ante etiam memoratam, quâ insignitus fuit annus iste notabilis Vlpio & Pontiano consulibus, quo scribere se libellum suum aureolum de natali die, & aras varias connectere inter se, & comparare testatur Censorinus. Prætereo & alteram ejusdem generis à Iulio Firmico clarissimo Mathematico notatam sub Constantino Magno, mediæ die conspectam Byzantii Optato & Paulino consulibus, nimirum quarto ante Constantini mortem anno, ut ex fastis cognoscimus. Plures itidem, per quas par iniri ratio potest, calculo ad normam tabularum Ptolemaicarum directo. Duas tantum placet addere longo intervallo priores secutas imperio Occidentis jam ad Francos translato. Harum prior sic notata est in annalibus Francicis, qui sunt de vitâ Caroli Magni, ad annum Christi Dionysianum DCCCVII, III *Eid. Februarij fuit Eclipsis Solis mediâ die, stante utroque sydere in XXV parte Aquarij.* Eundemq; annum insignem fecere alii quoq; characteres è cœlo, in iisdem annalibus notati. Nam & IIII Kalend. Martij Luna deliquium passa est, cum Sol staret in XI parte piscium, & Luna ex opposito in XI parte virginis: Et rursus mense Augusto die XI Kalend. Septemb. Luna defecit horâ noctis III Sole posito in V parte virginis, ac Lunâ in V parte Piscium. Atque insuper, ut ibidem scriptum legimus, pridie Kalend. Febr. cum Luna esset XVII, stella Iovis quasi per eam transire visa est. Et antecesserat eclipsim Solis anno priore DCCCVI nocte eâ, quæ secuta fuit Calendas Septemb. defectus Lunæ quoque alius, Sole in parte XVI, Virginis, Lunâ in parte XVI Piscium locatis, testibus rursus annalibus iisdem. Qualia sanè toto sæculo rursus concurrere, & intra vertentem annum unum contingere non potuerunt: ne quid de solâ dicam Solis eclipsim. Et hæc omnia rectè verèque in annalibus perscripta esse calculus astronomicus etiam nunc probat. Erat verò is annus Caroli in Franciâ regnantis post mortem patris Pipini XXXIX fluens ab VIII Kalendis Octobris, imperatoris Romæ creati & coronati VII labens ab ipsis Kalendis Iannarij, ut series rerum ejus, atque ipsi hi annales docent. Isti verò anno æræ Christianæ DCCCVII congruebant cycli Solis III, Lunæ X, litera dominicalis C, Indiatio XV. Proinde annus idem in periodo Iulianâ sine ullâ dubitatione erat quinquies millesimus quingentesimus vigesimus, ideoque DCCCLII à primis Kalendis Ianuariis per C. Iulium Cæsarem

Cæsarem reformatis; à fine ejus anni Romani, quo Antonius & Cleopatra in Ægypto se interemerunt, & Ægyptus ab Augusto subacta est, *DCCCXXXVI*; ab excessu Augusti imp. *DCCXCIII* incipiens à die *XIX* mensis Augusti, ab Inductionum Constantinianarum initio *CCCCXCV* inchoatus ab *VIII* Cal. Octob. & idcirco concurrens cum inductione Romanâ *XV*, ab obitu Constantini Magni, qui in consulatu T. Fabij Tatiani, ac Feliciani decessit ipso Pentecostes die, *XI* scil. Cal. Iunij, *CCCCLXXI*: denique ab exeunte eo anno Romano, quo Olympias *CCVII* inscripta fuit actis publicis populi Romani, *DCCCLVII*; ac idcirco congruens cum Olympiadis *CCCXCVI* annis secundo & tertio. Nec finit nos dubitare calculus astronomicus ex tabulis Ptolomæi rectè subductus, quin annus ille, quo hæc eclipses acciderunt, maximâ parte decurrerit cum anno Nabonassari *MDLV*, cujus caput tum connexum fuit cum die *III* Febr. Distantia verò inter hanc eclipsim Solarem sub Carolo Magno, & eam, quæ accidit anno *V* Claudij imperatoris, est absq; dubio annorum Iulianorum *DCC LXI* absolutorum, & dierum præterea circiter *CXCIV*, & inter eandem sub Carolo Magno, & alteram sub Nerone, anno ejus item *V*, annorum similibus *DCCXLVII*, ac dierum quasi *CCLV*. Ex quib. certo certius comparet, à Claudij anno *V*, aut Neronis *V*. temporum seriem in arâ Christianâ nusquam vacillare, nec perperam eosdem Claudij & Neronis annos cum annis græ Christianæ vulgaris copulatos esse. Nam ætate Caroli M. æra hæc Christiana secundum Dionysium, quæ & nostra est, cum inductionum numero in signandis publicis & privatis actis in communi erat usu: quod exempla actorum multorum testantur. Nec ab eo tēpore quicquam in hac re est variatum. Rursum post annos ab hac solari eclipsi *XXXIII* contigit Solem horribile pati deliquium, anno scil. Christiano *DCCXLI* tertio die litanie majoris, ut notatum est in vitâ Ludovici Pij imp. Caroli M. filij, ab incerto autore sed ævi ejusdem, & quidem in aulâ imperatoris versato conscripta; quod deliquium repente tantas tenebras orbi induxit, ut dies in noctem subito conversa videretur, stellæque suo ordine interdiu, uti noctu fieri solet, in cælo conspicerentur, stratis pavore mortalium cordibus: versa que res est in omen excessus imperatoris ex hac vitâ, quem ceu lumen clarum super candelabro positum luxisse in hoc sæculo per vicinas regiones arbitrabantur: ipseque in istam sententiam venit imperator. Nec præfatio defuit eventus. Nam non diutius mense cum semisse Ludovicus supervixit. Deliquii autem tempus accuratius & signantius notavit Aimonus in annalibus suis. *Obiit autem (scilicet Ludovicus imp.) anno Domini DCCCXLI. Eodem verò anno facta est eclipsis Solis feriâ quartâ ante ascensionem Domini, horâ diei IX, III Nonas Majj. Cui characteri cœlesti adde, si libet, alium civilem iisdem his verbis expressum, feriam quartam scilicet, cum tertiâ die Nonarum copulatam: itemque alium in notando Ludovici hujus ex hac vitâ excessu. Istic enim dies XII Calend. Iulij cum die dominicâ connectitur: quorum neutrum proximis aliquot annis præterquam anno hoc potuit contingere. Deliquium autem Solis eodem isto anno Christi, annique die repræsentatur quoque probè à calculo motuum cœlestium benè posito. Et annus hic cyclum habuit Solis *IX*, Luna *V*. Fluxit igitur cum anno periodi Iulianæ quinquies millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio, & indictione tertiâ. Quâ ratione absq; vitio conseri rursus hæc æra cum arâ urbis Romæ & Olympiadum nullo negotio potest. Ac quia calculus cœlestis rationibus Ptolemæicis congruens eclipsim hanc reddit anno Nabonassari *MDLXXXVII*, cujus *Sabb* convenit tunc cum *XXVI*: Ianuarij Romani, die verò *XI* mensis Choïac,*

etiam hæc ara Nabonassærea cum prioribus non minus rectè quam facile connectitur, & cum iisdem extenditur, ad tempus usque nostrum. Hunc tam terribilem Solis defectum non mors solum Ludovici imperatoris eodem anno, ut dixi, non multos post dies fuit secuta, sed anno proximè sequente die VI Calend. Iulii commissâ est atrox & horribilis pugna illa inter Ludovici filios tres de partitione regnorum discordes in partibus Burgundiæ, quâ Francorum vires ita fractæ sunt concideruntque versæ in sese, ut ab eo tempore egrè potuerint resurgere. Possent his, quos jam exposui, complures luminum defectus, qui post hos diversis temporibus accidere, in annales & monumenta literarum alia, adjectis annorum diebus & cæli stationibus, relatos attexere, si esset opus. Cujusmodi sunt Solis deliquium conspectum die III Cal. Iulii in ipso meridie, anno Christi MXXXII sub Henrico III imp., item prid. Eid. Maij, anno Christi MXXXIX, qui ultimus fuit imperii & vitæ eidem Henrico III: Et rursus die IV Nonarum Augusti feriâ VI, horâ VI anno Christi MCXXXIII, imperium tenente Lothario II: Et die VIII Cal. Novemb. qui erat dominicus ab horâ secundâ usque ad horam quintam durans, anno Christi MCXLVIII. Item Lunæ defectus XI Kal. Aprilis prid. Palmarum circiter horam IX noctis, Christi anno MCXLIX. Et alius ejusdem sideris die XI Kal. Junij in extremis partibus geminorum anno Christi MCLV, rursusque eodem anno die dominico ante natalem domini, imperante Henrico V. Atque iterum eclipsis Solis Eidibus Septemb. anno Christi MCLXXIX imperante Friderico I, iterumque die III Eid. ejusdem Solis defectus, horâ IX dici, Solis triente tantum obscurato, anno Christi MCLXXXI, ac Lunæ quoque defectus: XI Cal. Ianuarii feriâ III, horâ III noctis. Quorum defectuum nullus ferè est, ex quo adhibito calculo eadem ærarum peti copulatio, eadem methodo, nequeat: Omnes verò copulationem istam magis ac magis firmant, & indubitabilem faciunt. Accedunt characteres civiles idem quoque efficientes. Ut exempli gratiâ, si constet ex fastis, quotus urbis Romæ annus is sit, quotus à primo vel secundo consulatu C. Cæsaris dictatoris, qui cum anno primo imperii Alexandri Severi concurrerit, ignorari non potest per Canonem paschalem ab Hippolyto episcopo publicatum, quotus idem sit æræ Christianæ. Nam docet is certò, anno primo Alexandri LXXIII paschalem convenisse cum Eidibus Aprilis: quod isto sæculo nisi æræ Christi Dionysianæ anno CXXXII evenire nequirit. Similiter si cognitum fuerit quoto anno Romano Constantinus Magnus hominem exuerit, quod consulum series non decet, pentecoste Christianorum cum die XI Calend. Junii congruens, quâ obiisse imperator iste à fidei scriptoribus traditur, non patitur nescire nos, quotus is annus in ærâ nostrâ Dionysianâ numeretur. Nam hujusmodi quoque *συνοδρομή* dierum totâ illâ ætate Constantini & liberorum ejus non nisi semel potuit accidere: quod factum anno Christi Dionysiano CCCCXXVII, Eusebiano CCCCXXVIII. Et validiora certioraque fiunt hæc, si periodo Julianæ aptentur, & periodus in anteriora extensâ cum annis Romanis & Olympiadibus comparetur. Multa, multa consultò transimus. Euagrius scriptor diligens imperatore Justiniano paulò posterior, Iustino II, Tiberio II, Mauritio coævus in historiâ ecclesiasticâ sui temporis memoriâ mandavit, terræ motum graviter afflixisse Antiochiam patriam suam anno Leonis I. imp. secundo, die XIII Septemb. horâ III noctis imminente die dominicâ, anno Antiocheno DVI, inductione XI, & istum quidem numerum annorum Antioch. bis ibidem exprimit velut benè certum. Idem scribit Anastasio imperante

imperante Severum Monotheletam episcopalem sedem Antiochenam occupasse anno Antiocheno fluente **DCLXI**, mense Dio, qui Novembri Romano respondet, indictione **VI**, ac se ista scripsisse notat Antiocheno anno **DCLXI**, qui fuit, uti ex serie rerum docemur, imperantis Mauricii **VII** absolutus. Deinde memorat mortuo Anastasio Iustinum Thracem purpuram sumpsisse die **IX** Iulii anno Antiocheno **DLXVI**, huiusque jussu pœnam paratam Severo occupatori sedis Antiochenæ fluente adhuc imperii ejusdem anno primo, Severumque pœnæ metu desertâ sede fugam cepisse mense Septembri anno Antiocheno jam labente **DLXVII**. Post imperante jam annum septimum Iustino, mense ejus anni **X**, & die mensis, qui Majus erat, **XXIX**, feriâ **VI** in ipso meridie terribilem terræmotum cum flammâ subsecutâ Antiochiam vastasse: Iustinumque, exacto imperii anno **VIII**, & mense **IX** cum diebus tribus, sororis suæ filium Iustinianum in societatem imperii assumpsisse ipsis Calendis April. anno Antiocheno labente **DLXXV**, & quatuor tantum menses huic rei supervixisse, mortuum Calendis Augusti. Deinceps expositis Iustiniani & Iustini junioris, Tiberiique rebus, Mauricio tres totos annos jam rerum potito, iterum gravissimum terræmotum corripuisse eandem Antiochiam nocte eâ, quæ secuta est ultimum diem Octobris, se nuptias cum virgine sponsâ celebrante, & totâ civitate festum solenne agitante anno aræ Antiochenæ **DCLXXXVII**, post terræmotum prius memoratum elapsis jam annis **LXI**, denique se, Mauricio **XII** annum imperante, scribere finem fecisse. En diligentiam singularem viri veritatem amantis in signandis temporibus: In quibus triplex copulatio observanda, dierum mensis cum hebdomadis feriâ, annorum imperii hujus aut illius cum indictione, eorundem annorum simul & indictionum cum annis Antiochenis. Dies **XIIII** Septemb. copulatus cum feriâ **VI**, quo accidit primus terræmotus affligens Antiochiam anno Leonis imp. secundo, demonstrat certò, ac sine vitio annum periodi Iulianæ, & ei connexum aræ Christianæ vulgaris: idemque facit dies **XXIX** Maij copulatus itidem cum feriâ **VI**, quo accidit terræmotus alter circiter menses **X** ante principium imperii Iustiniani, ut hæsitandi ratio esse nulla queat. Copula enim hujusmodi cyclos arguit Solis, & ex his anni isti, quos dixi, fiunt manifesti. Docemurque hac methodo terræmotum priorem pertinere ad annum periodi quinquies milles. centes. septuages. primum, Christi **CCCLVIII**: posteriorem verò ad annum periodi quinquies milles. ducentes. tricesimum nonum, Christi **DXXXVI**. Eodem verò velut manu ducimur per annos imperatorum cum circulis indictionum connexos. Nam quoniam etiam hodiè signandis temporibus indictiones usurpantur, necunturque cum annis Christi (res notissima iis, qui scriptum faciunt, quos notarios aut tabelliones vocant, & Kalendariis vulgaribus, quæ manibus omnium teruntur, in ipso limine impressa) si ab indictione præsentis sursum ieris, & per earum orbes conscenderis ad indictionem cum anno Leonis secundo, quo quassata Antiochia est, aut cum Anastasij anno **XXII**, qui ex rerum temporumque serie patescit, quo Severus hæreticus Antiochenam sedem invasit, currentem, numerumque à præsentis ad hanc aut illam collegeris, totidemque annos ab hodierno anno Christi in arâ nostrâ vulgari subduxeris, quod reliquum erit, ostendet, quotus annus ejusdem aræ nostræ Christianæ cum anno secundo Leonis, aut **XXII** Anastasij, itemque cum indictione **XI**, aut **VI** cucurrerit. Annus Christi prior invenietur aræ **CCCLVIIII**, posterior **DXII**, qui supra quoque sunt notati. Eademque ratio est in copulationibus similibus

passim publicis actis quę sunt adjectę, ut & Paparum Romanorum decretis: epistolisquę: imprimis verò Gregorii Magni, cui licet in more fuerit indictiones solum in epistolarum & decretorum suorum calce adscribere, solet tamen ipse quoque annum imperatorum Mauricij aut Phocę, sub quibus sedit, nonnunquam adjicere. Videatur volumen epistolarum ejus: quarum quę primo libro comprehensę sunt, scriptę omnes & signatę anno primo Papatus ipsius, & pleręquę antequam accepto consensu Mauricij imperatoris consecratio ipsi est tributa, (electus autem fuit VIII Eid. Febr. consecratus verò eodem anno, die III Non. Septemb.) adscriptam habent indictionem IX: quę libro secundo, indictionem X, & XI; quę libro tertio, indiēt. XII, quę quarto, indiēt. XIII, quę quinto, indiēt. XIV, atque ita deinceps. Et primo quidem libro titulus hic est præfixus. *In nomine Domini incipiunt epistole ex registro S. Gregorij Papę, indictione IX, quę fuit ordinationis ejus prima.* Epistola verò libri hujus primi XXIII in ipso textu expressam habet hanc eandem indictionem. *Mandamus, inquit Gregorius, ut de hac presenti NONA indictione XI. in auro eis solidos des &c.* Ea scripta mense Februario statim post electionem. Indictiones autem Gregorius tum auspicabatur ex sanctione imperatorum ab VIII Calend. Octobris, id est, à die XXIII Septemb. Libri IIII epistola XLIII, quę narrationem habet actuum Synodi Romanę tum celebratę, tale habet principium. *Regnante in perpetuum Domino nostro IESU CHRISTO, temporibus pijs. & serenjs. dominorum Mauricij, Tiberij & Theodosij Augustorum, ejusdem domini imp. Mauricij anno X, indictione XIII, die V mensis Julij: Gregorius Papa &c.* Et in decreto Gregorij primo totidem penę verbis exordium tale. *Regnante in perpetuum &c. ejusdem domini Mauricij imp. anno X, indictione XIII, die V mensis Julij; Gregorius Papa.* Sic enim annus Mauricij utroque loco scribendus sine dubio, quod connexio rerum, ordoque temporum flagitat; non autem XII, ut in plerisque codicibus excusum est: in quo indubio fœdum mendum à librario hallucinante est commissum. Erat vero is annus Mauricij X surgens à Calend. Julij. Libro epistolarum XI sunt aliquot epistolę post eadem Mauricij ad Phocam imperii raptorem, ejusque conjugem Leontiam, signatę indictione VI clade Mauricij nobili. Ibidem narratio extat Gregorij de trucidato Mauricio, & Phoca coronato. Ea incipit sic. *In nomine DEI & salvatoris nostri IESU Christi, per indictionem sextam die XIII mensis Novemb. temporib. domini & beatissimi Papę Gregorij coronatus est Phocas & Leontia Augusta, septimo palatio, quod dicitur Secundianas: & occisus est Mauricius imp. cum omnibus filiis suis masculis, id est, Theodosio jam coronato, Tiberio, & Petro fratre Mauricij Augusti, &c.* Ac mox. *Venit autem Icona suprascriptorum Phocę & Leontię Augustorum Romę VII Calend. Maj: & acclamatum est eis in Lateranis in Basilica Julij &c.* In quib. Mauricij finis, qui imperium tenuit annos XV, & dies insuper XLV, & Phocę initium cum indictione VI connectuntur. Sic & Gregorius II, qui satis longo intervallo annorum primum secutus est, suis quoque epistolis & decretis subscripsit notandi temporis causã annos Leonis Isauri imp. & indictiones iis congruentes. Fecere & alii post eum. Rarius eo adhuc sæculo annus Christi adscribebatur. Antiquissimum exemplum reperio in epistolâ Gregorij primi libro XII, quę recitat privilegium per amplum canobii S. Medardi Sueffionensis, cui & multi episcopi subscripsere, & Theodoricus rex, & Brunehildis regina, femina famosa, Theodorici avia ex Hispaniã oriunda, & Petrus quidam Romanę

Romanæ sedis legatus: & tempus notatum sic. Datum VIII Calend. Junij, anno ab incarnatione Domini DXCIII, indict. undecimâ. Quæ temporis notatio cum omnibus quæ ante disputata sunt, congruit ad unguem, eaque confirmat amplius. Cui addo diploma Caroli Magni de fundatione episcopæ Bremensis ad Visurgim; in quo tempus subjicitur hoc modo; Data Eid. II, Julij, anno dominicæ incarnationis DCCCLXXXIX, Indict. XII, anno regni domini Caroli XXI. Actum in palatio Neme- tensi: & alterum ejusdem, complexum tabulas testamenti, apud Eginar- thum: ubi tempus notatum sic. Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCXI, anno regni Caroli in Franciâ XLIII, & in Italiâ XXXVI, imperij autem XI, indictione IIII. Addo etiam epitaphium ejusdem ab Eginarto quoque notatum his verbis: decessit anno Domini DCCCXIII, Indict. VII, die V Calend. Februar. Cætera Caroli Magni ætate po- steriora, cum jam anni Christi frequentius adscriberentur: ut tempus, quo Carolus Caluus, & frater ejus Ludovicus, iste Gallie, hic Germa- niæ rex, ditionum terminos definivere, expressum in hunc modum: anno incarnationis dominicæ DCCCLXX, regni Caroli XXXIII, Indict. III, die VI Eid. Aug. Item subscriptum diplomati, quod Carolus Crassus imp. dedit Monachis Laureacensibus, quod ipsum habui in forma originali. Data IIII Eid. Junij, anno ab incarnatione domini DCCCLXXXIV, indi- ctione II, anno vero regni Domini Caroli Augusti V, imperij autem IIII. Actum Wormaciæ in Dei nomine feliciter. Amen. Similiter subscriptum diplomati Arnulfi Imp. quod ab eo datum Gerolpho Comiti in partibus hodiernæ Hollandiæ. Datum prid. Nonas Augusti, ab incarnatione domini. DCCCLXXXIX, indictione VII anno secundo regni Arnulfi, Fran- conofurti, &c. Et rursus Ottonis I. Data prid. Nonarum Julij anno incarnationis Domini DCCCLXIV, Indict. VII, imperij Ottonis imp. Aug. III. Et Ottonis III, signato in gratiam Theoderici Comitis in parti- bus etiam hodiernæ Hollandiæ. Data VIII Cal. Septemb. anno dominicæ incarnationis nonagesimo octogesimo quinto, Indict. tertiadecimâ, anno Ot- tonis III regnantis secundo. Actum N. d. viomagi. Et Conradi II, Data anno incarn. MXXXIX Indict. XII, anno regni Conradi XIV, imperij XII. Item Henrici III imp. quod dedit episcopo Ultrajecti Bernolfo de prædio in civitate Gronningâ sito, in quo tempora sic signata. Datum XI Kal. Junij, indictione VIII, dominicæ incarnationis anno MXL, ordinationis Henrici III regis XIII, regni vero I. Actum Trajecti. Quæ cuncta ut hic scripta sunt, perpetuæ seriei annorum Christi & indictionum ac- curatissimè respondent. Sed animadvertere licet in his & similibus ex- scribendis miram librariorum, & eorum, qui calamo quæstum faciunt, supinitatem, qui tum quod veterum characteres non promptè satis asse- quantur, tum quod parum momenti in istâ emendatâ temporum notatio- ne esse opinantur, sæpe quæ exscribunt, hac in parte foedè depravant. Venio ad æram Antiochenam, quâ ceu regulâ temporum incorruptâ atq; indubitabili utitur Euagrius. Quæ sanè talis est, ut utramque facere paginam in hac, de quâ differimus, re posse videatur. Nam si aptare atque affigere indictionum circulos æræ Romanæ à conditâ urbe repeti- ta, si Olympiadum seriei, si annis Nabonassari, si conferere cum ærâ Iulianâ lubeat, si iisdem applicare æram Christianam nobis nunc usita- tam quis desideret, optinè & facillimè id per hanc Antiochenam ab Euagrion usurpatam facere poterit. Etenim cum Euagrius annum Leo- nis secundum, qui terramotu famosus Antiochiæ fuit, cum anno Antio- cheno DVI ad diem XIV Septembris copulat, eique tempori associat quoque

Æra An-
tiochena.

quoq; indictionem XI, quum mensem Novembrem, quo Severus Monotholeta pſeupoepiſcopus ſedi Antiochena ſe impoſuit, congruentem anno XXII Anaſtaſij imperatoris aſcribit anno Antiocheno DLXI, indictioni VII; quum Juſtini I. imp. initium pertinens ad diem IX menſis Julii conjicit in annum Antiochenum DLXVI, fugamq; Severi pſeupoepiſcopi menſe Septembri factam in annum ejuſdem ætæ DLXVII; quum initium imperii Juſtiniani, quod pertinere ait ad diem primum menſis Aprilis, refert ad annum Antiochenum DLXXV, affirmatq; intra eundem annum vertentem die primo Auguſti Juſtinum fatiſ cōceſſiſſe, cum menſes quatuor cum Juſtiniano ſororiſ ſuæ filio imperaſſet; deniq; cum terremotum ingentem, initio Juſtiniani annos LX poſtiorẽ, Antiochiam fœdè vaſtãntem, cum forte nuptias ipſe celebraſſet die ultimo menſis Hyperberetæi, qui annum Antiochenum auſpicabatur, Octobriq; Romano reſpondebat, Mauricio tertium jam annum imperii habenas tenente, tribuit anno Antiocheno DCXXXVII, hæc, inquam, cum ſcribit Euagrius, clarum certumque facit, ad quos annos ætæ Romanæ, Olympiadica, Nabonaſſaræ, Julianæ, Actiæ, etiam Chriſtianæ vulgaris, demum periodi quoq; Julianæ tempora iſta & eventus pertineant, quantum ab Vlpj Criniti, & Proculi Pontiani cōſulatu, qui cum primo Gordiani III anno concurrit, quo cum æras pleraſque jam dictas Cenſorinus copulavit, quantum à Maxentij interitu, unde indictiones Conſtantinianeſ ducuntur, diſtent. In conſeſſo enim eſt, annum græ hujus Antiochenæ primum, cum conſulatu C. Julij Cæſaris ſecundo, quo P. Servilium collegam habuit, Pompejumque evertit, ſibiq; monarchiam vindicavit, decurriſſe. Docet hoc nos Eufebius rerum Syriacarum, maximèque Antiochenarum peritiſſimus (in Syria enim ætatem degit, cujus caput Antiochia, & in hoc ſtudij genere reliquos præcurrit) cum in canone chronico poſt præmiſſa verba hæc, *Ρωμαίων επονομαρχησα Γ. Ίβλι καὶ Καίσαρ, ἔτη δ' μιλίας ζ'*; & præſcripta nomina conſulum hoc modo, quemadmodum ei mos, *Γ. Ίβλι καὶ Καίσαρ τὸ β', Π. Σεργεῖλι βασιλα Ισαυρικὸς*, mox ſubjicit immediatè: *ἀπὸ πρώτης ἔτις τῆς Γ, Ίβλι καὶ Καίσαρ Ἀντιοχείς τὴς ἑαυτῶν χρόνης ἀριθμοῖσι.* Dein recitatis nominibus conſulum proximè ſequentium Q. Futij Caleni, P. Vatiniſ ſtatim addit: *λαοδικεῖς ἐντεῦθεν τὴς ἑαυτῶν χρόνης ἀριθμοῖσι.* Poſt longum deinde intervallum ad annum PROBI imp. ſecundum ſive ipſe, uti ego proſus exiſtimo ob maximas rationes, ſive Hieronymus, qui Eufebij Græca Latina fecit, ut quodam loco conjectare ſe Joſephus Scaliger oſtendit, ſic adſcribit: *Secundo anno Probi, juxta Antiochenos anno cccxxv, juxta Laodiceos cccxxiv, inſana Manicheorum hæſiſ in commune humani generis malum eſt exorta.* Qui numerus probè congruit in ſerie annorum, quam canon chronicus repræſentat, cum notâ priorẽ. De cauſa hujus epochæ novæ ab Antiochenis inſtitutæ dixi ſupra. Annus autem ille Romanus, qui cum primo Antiocheno decurrit, C. Cæſare II, P. Servilio Conſulibus, quem locum in grâ Romanâ habuerit, quantum primas Calendas Januarias à Cæſare reformatas, quantum epocham Actiacam, quantum Olympiada cccvii, quæ actis publicis populi Romani inſcripta fuit, quantum ludos Capitolinos à Domitiano inſtitutos, quantum Conſules Vlpium ac Pontianum, primumque Gordiani III annum antecceſſerit, quo anno æras omnes Cenſorinus maximo chronologiæ bono, ſingulari fide & diligentia connexuit, antecceſſerit, eſt notiſſimum ac certiſſimum. Vnde cætera, quæ requiruntur, ſine errore deduci poſſunt. Quod tam evidens eſt, ut aut hebetem eſſe, harumque rerum imperitum, qui non intelligat, aut pertinacem & conſcientiæ contradicentem ſuæ, qui nec hebes, nec imperitus

ritus hujus disciplinae, intelligere se neget, oporteat. Imprimis hæc inde elucescunt: annus secundus Probi imp. annus secundus Leonis, principium finisque Anastasij, Iustini prioris, Iustiniani, Iustini junioris, Tiberij, initium quoque Mauricij, terribilis ille terræmotus in nuptias Euagrij incurrens ad quos annos æræ Romanæ pertineant, aut quot annos ab urbe condita singula hæc distent. Quod idem de Olympiadum ærâ, deque Nabonassareâ & reliquis, quas uno velut nodo Censorinus connotavit, dici potest. Omninoque Euagrianæ hæ temporum notæ, ut indictiones annis Romanis & Antiochenis sine vitio aptant, ita id effectum dant, ut universo in tempore, quod à secundo consulatu Iulij Cæsaris surgente defluit, ad initium imperii Iustiniani, imò ad annum tertium Mauricij, quo terræmotus ille fœdus accidit, vacillationem suspicari aut metuere non possimus. Est enim Euagrijus testis in his fide dignissimus, qui & nota sibi, ac quasi præsentia literis mandavit, temporumque observator & consignator cum primis diligens fuit, & annos Antiochenos ipse Antiochenus, annos imperatorum quorum imperio parebat, indictionum numerum, quarum usus tum vigeat, non magis ignorare potuit, quam qui hoc ævo vivunt homines literati in Germania, annos æræ Christianæ vulgaris, annos imperatoris præsentis, numerum indictionum ignorant. Iam verò si Euagrianis his *σημειώσεις χρονικαίς* comparaveris ea, quæ prius de annis Christi & indictionibus copulatis attulimus in medium, expeditâ & irrefragabili ratione æram nostram vulgarem, quam Christi dicimus, cum annis Antiochenis quoque contexes. Ecce enim Caroli Magni testamentum, ut docet nos Eginartus autor fidiſſimus, qui Carolo à secretis fuit, signatum fuit anno Christi *DCCCXI*, regni ipsius in Franciâ *XLIII*, in Italiâ *XXXVI*, imperii autem *XI*, indictione *IV*. Obiit Carolus, ut est in epitaphio ejus, quod itidem Eginartus recitat, & arcui sepulchrali deaurato inscriptum testatur, die *v* Calend. Februarij, anno Christiano *DCCCXIV*, indictione *VII*. Hæ notæ fidiſſimæ sunt. Idem Carolus, quod in rebus ejus maxime illustre, anno Christi *DCCC* jam jam exituro, ipso die festo, quo celebratur Christi natalis, imperator Romanorum Augustus salutatus est Romæ à populo, & coronâ solenni ritu ornatu à Papâ Leone *III*: atque ita lumen imperii, quod diu in occidente extinctum jacuerat, in eodem occidente rursus accendit. Quo tempore indictio Constantiniana fluxit *IX*; quod quanquam notatum in annalibus non est, tamen ex indictionum serie certum est. Ab his temporum notis indubitatis, quæ pertinent ad id seculum, cum jam non raro in usu esset apud tabelliones & annalium scriptores æra Christiana, sursum conscendito ad id tempus, quo Gregorius cognomento Magnus Romæ Papatum tenuit, in oriente autem rerum poritus est Mauricius imp., sub quo floruit, & scripsit Euagrijus, capitoque *σημειώσεις χρονικαίς*, quam ante recitavi, quæ extat in volumine epistolarum ipsius Gregorij Papæ libro *XII*, adscripta diplomati monachis Medardinis in Suesſionibus dato. Ea sic habet, ut dixi, Datum *VII* Calend. Junij, anno ab incarnatione domini *DXCIII*, indictione undecimâ. Nota sanè proba, in pretio habenda chronologo, omnino consentiens cum notis prioribus temporum Carolinorum. Nam si putaveris annos Christi à morte Caroli, aut scripto ejus testamento ad hunc annum jam dictum *DXCIII*, deprehendes totidem indictiones fluxisse in earum methodo ab indictione *VII*, quâ mortuus est Carolus, ad indictionem *XI*, quæ diplomati Medardino sub Papâ Gregorio, & imperatore Mauricio est adscripta, & cum anno Christi *DXCIII* copulata. Quod argumentum est incorruptæ scripturæ, probæque notæ certissimum.

XI verò

xⁱ verò indictio Mauritij Gregorijq; tempore non potuit concurrere cum alio Antiocheno anno, quam cum DCXLI, quem notat Euagrius, quo proficitur se librum suum III conscripsisse. Eo verò fluente Mauritius ipsis Calend. Iulij Romani annum VII in imperio jam exegerat, surgebatque ei tum annus imperij VIII: & Euagrius V anno post, qui erat Mauritij XIV, ut perhibet ipse, desit scribere. En habes, quod fuit demonstrandum. Atque hic ego totam disputationem de ærarum copulatione, quæ procurrat longius, quam initio futurum putaram, finio. Nam de Hegirâ Mahumedicâ, & Phurdi Iesdegirdicâ quæ dicenda sunt, sufficienter dixi, ubi de annis variis, & eorum formâ disputavi. Reliquum videtur, ut de rectè connectendâ historiâ sacrâ & profanâ quæ sit sententiâ mea, & sententiæ rationes, exponam.

*RATIO RECTE CONNECTENDI TEMPORA IN
HISTORIA SACRA ET PROFANA.*

Multa & acris contentio est de connectendis rectè temporibus in historiâ sacrâ & profanâ, continuandâque annorum serie perpetuâ nec usquam interruptâ ab excidio urbis ac templi Hierosolymitani cum casu Sedekij regis ultimi è stirpe Davidicâ usque ad Christum. Adde quod tam multiplex hic sit dissensio, ut ferè quot capita sunt, quæ Chronologica hæc tractant, tot sint sententiæ. Mihi verò optima sententiâ videtur, quam summus vir Iosephus Scaliger est secutus. Quæ verò est illa? Primum, ut connexio illa fieri possit rectè, querendi & adhibendi sunt reges, ac principes, aut homines illustres qui utrâque in historiâ memorantur sacrâ & profanâ, & per eos ætates cum ætatibus, tempora cum temporibus ἐν πλάτει conferenda. Cujusmodi sunt Hiram vel Εἰρωμ in Phœniciâ Tyri rex Davidi, & Salomoni coævus, ac Salomonis præcipuus amicus, quem ut sacræ literæ, ita annales Phœnicum à Iosepho contra Apionem Alexandrinum citati cum accuratâ notatione temporum recensent, Baalezer item filius Εἰρωμ hujus, Ithobaal rex Sidonis, pater Iezabelis, socer Achabi regis x tribuum Israelis: tum Assyrius Sennaherib celebris in historiâ sacrâ coævus Ezechia regi Iuda, & Herodoto memoratus cum fortunâ haud absimili ab eâ, quæ de eodem in s. literis recitatur, relatus ad tempora Sethonis Ægypti regis, Vulcani sacerdotis, temporibus Ezechia perapta. Cujusmodi quoque sunt Ægyptij reges duo, Nechao, qui Iosiam pientissimum regem Iuda in prælio peremit, & à Nabuchodonosore rege Chaldeorum percussus, id est, ingenti clade affectus est, in utrâque paginâ notus, Apries vel Ἰάφρης aut Aphrea, ut formatur nomen ejus à prophetâ Jeremiâ, cujus tempore reliquiæ Iudeorum, everso regno & deletâ Hierosolymâ, renitente frustra Jeremiâ migrarunt in Ægyptum, ab Amasi successore eversus: quo Amasi nihil est in rebus Ægyptiis istius sæculi Cyro in Oriente imperante apud scriptores optimos quosque celebrius. Ante omnes verò in eo numero habentur reges Chaldaei, Merodas coævus Ezechia, ut docet ejus regis historia, & propheta Esaias, Ptolemæo Astronomo Merdokempad nominatus, annique ejus eclipsium caractere notati: Nabuchodonosor inclytus & potentissimus monarcha, Syriae Ægyptique vastator, Euilmerodach filius ejusce: Darius Medus, Nabonidus Beroso, Labynitus Herodoto nuncupatus. Postremo Cyrus Persarum rex celebritate nominis & imperii cunctos reliquos antecedens. Quorum si ratio habeatur diligentior, si res eorum & tempora expendantur, possunt ætates cum ætatibus, tempora cum temporibus

poribus haud incommodè comparari, copulari que, atque ita sacra cum profanis *πλατικῶς* connecti. Sed illic non consistendum chronologo diligenti, verum eundem ulterius, ut annos quoque copulet.

Ejus rationes plures sanè sunt: sed nulla commdiior, magisque concinna, quam quæ sumitur ex verbis ipsius initii prophetiæ Ezechielis: quæ sic habent. *Et factum est in tricesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum juxta flumen Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei, in quinta mensis: ipse est annus quintus deportationis regis Iochin.*

Tricesimus enim iste annus, qui copulatur cum anno quinto deportationis Iechoniæ regis Iuda, numerandus est aut ab anno *xviii* Iosia regis, quo & liber legis est repertus; & templum à sordibus repurgatum, & idololatria profligata, & solenni ritu pascha celebratum, cujusmodi celebratum non erat à multis retrò sæculis, quod volunt multi eruditione & pietate præstantes viri secuti sententiam Rabinorum Iudæorum, aut à Iubilæo proximè præcedente, qui mos veteribus Hebræis non solet esse inusitatus, quo etiam haud pauci doctrinæ laude eximii inclinant, aut denique ab initio regis alicujus tum temporis illic imperantis, ubi tum propheta Ezechiel docebat scribebatque. Aliud, quod adferre huc possit, nemo habet. Sed ad tempus inventi libri, aut purgati templi, celebrative paschatos numerum hunc referre, & pro solenni epochâ id habere (pace magnorum virorum hoc dixerò) nimis est jejunium, ac à rectâ ratione alienum.

A Iubilæo autem tempus hoc deducere ipsa periodi, quæ in Iubilæis & hebdomadibus annalibus perpetua & constans est, ratio non patitur. Nam tricesimus Iubilei fluentis annus cum anno secundo hebdomadis necessariò concurrat: nec aliter fieri omninò potest. At hic tricesimus cum *v* abducti Iechoniæ copulatus non secundus est hebdomadis, sed primus.

Quod docet nos & extra omnem ponit controversiam annus ab hoc sextus, quo capta & eversa est urbs Hierusalem, quem Sabbaticum fuisse, id est, hebdomadis septimum ex prophetæ Ieremiæ cap. 34. discimus, fatenturque nobiscum, qui ab hac sententiâ nostrâ abhorrent. Reliquum igitur est, ut à tempore initi à rege regni eâ in regione, ubi degebat propheta cum captivo Iechoniâ, reliquoque populo, annum istum eundem computemus. Et quis rex iste? Possimus hoc

discere, si discere volumus à Beroso scriptore gravi ac fido, qui Chaldæus Chaldaicarum rerum peritissimus ex monumentis & annalibus patriis commentarios suos confecit: quem Iosephus summus vir in re maximâ, in quâ iudices habiturum se sciebat gravissimos & eruditissimos ejus sæculi, adeoque ipsos, quibuscum in summo vivebat honore, principes imperii Romani Iudææ domitores, Apioni Alexandrino sophistâ argutissimo inimicissimoque, & cæteris Iudæicæ gentis calumniatoribus acerrimis objicere ausus fuit. Quod certò ausus hic non fuisset, si istius fidem levem aut incertam fuisset arbitratus.

Is igitur Berosus ad patrem Nabuchodonosoris eo tempore in Syriâ res gerentis, quò à patre erat missus, velut manu nos ducit, quem Nabolassarum, si codices sine vitio sunt, vocat, à Ptolemæo Mathematico secuto commentarios Astronomorum Chaldæorum Nabopollassarum nuncupatum.

Hunc enim ait Babylone regnantem, id, quod modo dixi, filium suum Nabuchodonosorem ad bellum gerendum in Syriam misisse, & filio res istic gerente è vivis decessisse, cum regnum tenuisset totos annos *xxxix*.

Surgente itaque anno ab initio regni ejus *xxx*, quo paulò post ipse decessit, absente adhuc in Syriâ Nabuchodonosore filio, & captivitatis Iechoniæ ac Ezechielis anno quinto fluente *βέρις* istas ad flumen Chobar vidit Ezechiel, ac verbum *DEI* ad cuna

eum factum est. Statimque ab hoc eventu, rebus in Syriâ ad tempus compositis, in quâ per annos xii , vivo adhuc patre, regium nomen tulerat, Nabuchodonosor Babylonem venit, regnumque à patre relicto præfens illic quoque iniiit. Vnde ducitur initium regni ejus in Chaldæâ apud prophetam Daniele cap. 2. distans ab initio regni in Syriâ annos tot, quot jam dixi, & incurrens in annum regni Syriaci $xiii$, qui erat annus regni Sedekie in Iudæâ quintus labens. Post verò, cum defecisset ab eo Sedekias idem, qui erat in fide ipsius, (rex quippe ab eo constitutus erat) & se partibus regis Ægyptii Apriis dedisset inimici Chaldæorum, iratus Sedekie pariter & Ægyptio cum maximo exercitu in Iudæam & reliquam Palæstinam rediit anno regni sui in Syriâ $xvii$ vergente, anno ix Sedekie regnantis, uti legitur, 2. Reg. 25. & Ierem. 39. capitque obsidere Hierosolymam: eamque obsidionem relicto istic præsidio, cum occurreret ipse cum reliquo exercitu Aprii regi Ægyptio ad auxilia obsessisferenda adventanti, & cum retrocedere cogeret, continuavit anno sequente, regni scil. sui in Syriâ $xviii$, Sedekie x , teste Ieremia cap. 32. v. 1. & 37. v. 5. 6. 7, tandemque anno regni sui Syriaci xix , regni Sedekie x , die ix mensis $iiii$ Hierosolymam occupavit, & capto vincloque Sedekie, occisis liberis ejus, & regni proceribus, urbem mense v , die x per Nabuzaradam militiae suae principem evertit, ac templum incendio dedit exciditque, & præcipuam populi reliqui partem traduxit in Chaldæam. Denique cum expleisset annos regni Syriaci $xliiii$, obiit Babylone teste Beroso, ejusque filius Euilmerodach in regnum succedens statim initio regni sui Iechoniam regem captivum eduxit è carcere, atque in honore habuit quamdiu vixit. Eam verò liberationem Iechoniae evenisse anno captivitatis ipsius $xxxvii$ Ieremias discretè testatur capite lii , & secundus liber Regum cap. xxv , & quidem anni illius mense xii , die ejusdem $xxvii$. Atque ita rursus annus mortis Nabuchodonosoris, qui est apud Berosum, in chronologiâ rerum Chaldaicarum conjungitur cum anno ultimo captivitatis Iechoniae, qui est in chronologiâ rerum Judaicarum apud Ieremiam prophetam, & autorem libri secundi regum clarissimis verbis expressus. Quæ conjunctio, quâ se velut osculo mutuo excipiunt & amplectuntur historia sacra & profana, imprimis diligenter est notanda, utpote ad hanc rem conficiendam, de quâ nobis quæstio est, non minimi momenti. Copulatio inquam anni cum anno in utraq; serie temporum, quarum prior ab exordio mundi ad hanc liberationem Iechoniae è carcere diuturno perpetuò descendens ex literis sacris ignorari non potest, altera verò à principio Olympiadum, & natali urbis Romæ, & capite æræ Nabonassari rectè defluens ad tempora Christi in terris nati, & inde rursus continuâ extensione in anteriora ascendens tam certa est, quam id, quod est certissimum. Quomodo enim fluctuare successiones Olympiadum apud Elidenses ab iis, quibus hoc munus commissum erat, in tabulis publicis, statim dum ludi solennes peragebantur, singulis temporibus annotatæ, & diligenter veluti perpetui fasti conservatæ? quomodo fallere cœli & siderum motus ab astronomis cum studio observati, & in commentarios relati possunt? ut de Romanorum fastis & annalibus nihil dicam.

Ab hac verò annorum copulâ, id est, à morte Nabuchodonosoris progrediens Berosus seriem temporum cum annorum annumeratione per reges Chaldææ deducit usque ad Nabonidum postremum, quem Labynetum Herodotus nominat, & Darium Medum sacra pagina indigitat, à Cyro Persarum rege debellatum, & Babylonem ab eodem occupatam. Quâ oc-

cupatâ

cupatâ, & cæteris deinde illius regni, qui imperium novum recusabant, per proximos annos subactis, totoque Oriente subjugato, idem Cyrus, cum jam exspirarent anni LXX à deportatione Iechoniæ regis Iudæ, quos captivitati præfinitos esse à Deo Ieremias propheta prædixerat, edicto proposito captivitatem Iudæorum solvit. Verum hunc post tempus non longum in imperio excipiens filius Cambyfes id, quod pater Iudæis indulserat, impedivit, extruique templum & urbem Hierosol. vetuit: mansitque deinceps res multo tempore infecta, ut libri Esdræ & Nehemiæ nos docent. Atque hæc temporum ratio firmatur duab; eclipsibus Lunæ tanquam characteribus certissimis græ Nabonassaræ affixis, quarum prior anno Nabopollassari v, Nabonassari cxxviii, die xxviii mensis Athyr, qui erat in anno Iuliano dies xxii April. posterior anno Cambyfis vii, Nabonassari cxxxv die xvii Phamenoth, qui respondit xvi Iulij in formâ anni Iuliani, uti in tabulis astronomicis Chaldæorum notatum est, accidit. Intervallum est annorum solidorum xcvi, mensium duorum ac dierum aliquot. Cujus intervalli anno xlii fluente, concurrente cum anno iv Ioakim regis Iudæ, Nabuchodonosor regnum iniiit in Syriâ, xxi Iechoniam deportavit, xxxii Sedekiam cepit, urbem Hierosolymam occupatam cum templo delevit, lvii obiit: Cyrus lxii in Persiâ cepit, Balsasar Babylonis rex Nabuchodonosoris ex filiâ nepos, Laborosoarchodus Beroso appellatus, lxxiii periit, simulque Darius Medus ei successus est, Nabonidus Beroso, Labinitus Herodoto nuncupatus; atque idem intervalli ejusdem anno lxxxix aut sequente à Cyro prælio victus Barsippam confugit, Cyrus lxxxii Babylonem expugnavit, xc exente jam tempore captivitatis Iudæicæ à Deo præfinito, ac per Ieremiam prædicto, Iudæos captivos domum redire per edictum permisit, & urbem templumque Hierosol. instaurare iussit, isque annus primus Cyri in sacris literis vocatur, xcii Cyro mortuo Cambyfes successit, & hic anno xcvi huius intervalli Ægyptum occupavit, cum flueret annus Nabonassari cxxiii. Que omnia hoc modo digesta probè congruunt sacræ & profanæ historiæ, ac seriei temporis, earundem. Aliter autem locata seriem temporisque enormiter conturbant. Experiuntur hoc illi, qui Nabuchodonosorem vastatorem Iudææ, & Hierosolymæ eversores confundunt cum Nabopollassaro Ptolemæi, nec agnoscere volunt hunc illius filium fuisse. Nec secus alii, qui hunc quidem ab illo distinguunt, sed contendunt Nabuchodonosorem non nisi à morte patris Nabopollassari, quem annus xxix regno præfuisse constat, regium nomen in Syriâ tulisse, atque ab isto principio annos regni ejus xliii, quos ei Berosus tribuit, esse computandos. Priores quippe propter Eclipsim lunæ, quæ anno Nabopollassari v, aræ Nabonassaræ cxxviii, die xxviii mensis Athyr accidisse notata est, velint nolint coguntur arctare tempora regum Iudæ, & circiter annos xviii ex eis dispungere, ut annus ejus regis primus cum anno llii regis Ioakim juxta Ieremiam possit colligari: & quæ inde alia absona, & à veritate aliena necessariò sequuntur. Posteriores contra coguntur tempus idem annis circiter xii augere, ac facere longius. Coguntur etiam obeandè eclipsin finem annorū xliii, quib; regnasse traditur Nabuchodonosor, cōferre in annum Nabonassari cxciii, concurrentè cum Olympiadis lvi anno ii, aut iii, Cyro jam sextum aut septimum annum regnante in Persiâ: coguntur Balthazaris, sive Laborosoarchodi exitum conjicere in annum Nabonassari ccii aut cciii: xvii verò annū Nabonidi, quo ipse victus à Cyro est Babylonem invasuro, connectere cum anno Nabonassari ccxix, ac proinde cum Olympidis lxii anno llii, cum jam sine dubio secundum

H

Herodo-

Herodotum, aliosque autores probos Cambyfes, mortuo Cyro, regnaret in Persiâ, totoque Oriente. Et quoniam biennio ferè post superatum Nabonidum Cyrus Babylonem cepit, sequeretur ex præmissis, id eum fecisse biennio à morte suâ. Denique exhibat hanc sententiam eclipsis illa apud Ptolemæum paulò ante memorata, quæ accidit anno Cambyfis septimo, Nabonassari c c x x v, die x v i Iulij Iuliani. Nam si vera sententia esset, intervallum ab anno v Nabopollassari ad hunc annum v i i Cambyfis, necesse haberet excrefcere in annos c x, quod Ptolemæi rationes firmissimæ definiunt annis x c v i i i, mensib. i i, & dieb. aliquot, ut est ante demonstratum. Et quid? negarène audent aut possunt, qui ab hac ratione dissentiunt, Merodachum Babylonæ regem, quem temporibus Ezechia regis Iuda memorat historia sacra, eundem esse illum, quem Ptolemæus Mardokempadum nominat? Certè optimi & doctissimi quique Chronologi id fatentur, atque in his ii, contra quos nunc disputamus, Funccius, Bucholcerus, Mercator, Buntingius. Atqui sacra pagina nos docet, Merodachum Babylonium legatos misisse ad Ezechiam gratulatum ei de recuperatâ valetudine anno regni ejus x i v aut x v, cum paulò ante Sennacherib Assyrius cladem ingentem accepisset ab angelo ad urbem Hierosolymam. Ab anno autem Ezechia x v ad annum x i x Nabuchodonosoris, quo excisa ab hoc ipso est Hierosolyma, colligi anni non pauciores quam c x x v ex sacris literis possunt. At ab anno primo Mardokempadi ad annum quintum Nabopollassari apud Ptolemæum colliguntur anni tantum c. Ab eodem autem initio ad Nabopollassari annum x i x colliguntur anni solummodò c x i v, qui numerus priore illo ab Ezechia x v ad Nabuchodonosoris x i x, & excidium Hierosolymæ undecennio toto minor est. Non potest igitur Nabopollassarum Ptolemæi idè esse cum Nabuchodonosore Hieremie. Nam hic anno regni sui in Syriâ x i x Hierosolymam sine dubio, si propheta fides tribuenda, evertit, cum id anno regni x x x, si idem cum Nabopollassaro Ptolemæi habeatur, facere secundum rationes Ptolemaicas debuerit. Et hæc quidem rectè, si statuatur legatio statim initio regni à Merodacho missa esse ad Ezechiam jam x i i i i aut x v annum regnantem. Quid si verò non anno Merodachi primo, sed aliquot annis post id factum dicamus, etiam decreset hoc tempus inter legationem istam, & annum x i x Nabuchodonosoris, quo deleta Hierosolyma est, longiusque nos ab eâ sententiâ, quam refutamus, repellat: Rejiciet scilicet nos in annum Nabuchodonosoris x x x i i i, aut x x x i i i i, aut x x x v, aut etiam ulteriorem, cum expugnata ab eo Hierusalem fuerit, si is cum Nabopollassaro Ptolemæi accipiatur esse idem. Contra Temporarium fragmenta Berosi & Megasthenis à Iosepho usurpata sine ratione rejicientem, & cum Ioannis Annij commentis comparantem, ac ob ea Scaligero quoque graviter obtristantem, ceteroqui chronologum bonum, non libet hoc loco contendere, & tempus ac verba perdere. Berosiana cum alibi, tum initio capituli hujus asserui breviter. Et quod de iis dixi, idem de Megasthenicis, quoque dictum volo. Temporarium suo frui iudicio hæc in re libens sino. Altera copulandorum temporum ratio percommoda sumi potest è fragmentis tabularum Phœnicarum ab eodem Iosepho productis contra eundem Appionem. Sunt autem tabulæ hæc ad conservandam rerum veterum memoriam autoritate publicâ olim confectæ custoditeque, atque eam ob causam fide dignissimæ. In his verò ut anni & menses regum ac rectorum Tyri accuratè annumerantur, ita Iromi i i regis, qui illic ultimus representatur, annus x i i i i copulatur cum initio regni Cyri in Persiâ. Sic enim ait earum scriptor primum generatim de utroque rege *Ἰν' ἑξήκοντα (τὸ Ἐργάριον) κύριον*

κῦρⓄ Περσῶν ἰδωάσειυσεν: & mox specialius, propiusque ad rem: τεταρισ, καιδεκάτω ἔτει τῆς Εἰρώμου κῦρⓄ ὁ Πέρσης τὸ κράτⓄ παρέλαβεν. (Iromus autem hic regnum tenuit annos totos xx.) Præterea Ithobali 11 annus septimus connectitur cum anno primo Nabuchodonosoris in Syriâ, atque ita per consequentiam cum anno 1111 regni Ioachim regis Iuda. Nam expressis verbis illic dicitur, ὅτι ἐβδόμῳ μὲν ἔτει τῆς Εἰθωβάλου βασιλείας ὁ ΝαβουχοδονόσορⓄ ἤρξατο πλιορκεῖν Τύρον, (ut rectissimè huc e locum valdè corruptum restituit Iosephus Scaliger,) τεταρισκαιδεκάτω δ' ἔτει τῆς Εἰρώμου κῦρⓄ &c. Constat verò, & res ipsa docet, Nabuchodonosorem obsidere cepisse Tyrum cum Ithobalo rege statim initio expeditionis Syriacæ; à quâ inchoatur regnum ejusdem in Syriâ, cum jam annum 1111 in Iudæâ regnaret rex Ioachim, Ieremiæ cap. xxv. Quemadmodum & illud ex verbis earundem tabularum apud Iosephum constat, durasse obsidionem istam annos x111, ἀνόq; x111 adhuc fluente Tyrum esse captam, cum nuncius de morte patris recens ad Nabuchodonosorem victorem venisset, & ipse paulò post constitutus in Syriâ rebus Babylonem ad ineundum regnū Chaldaicum contenderet. Et confirmat hoc de x111 obsidionis annis Philostratus in commentario rerum Phœniciarum, citatus est Iosepho libro antiquit. Iud. x, ubi ait, ἔτος ὁ βασιλεὺς (ΝαβουχοδονόσορⓄ) ἐπλιορκησεν Τύρον ἔτη 17, βασιλεύοντος κατ' ἑκάτον τὸν καιρὸν Εἰθωβάλας τῆς Τύρου. Ac ne quis in numeris annorum, qui singulis Tyri rectoribus in tabularum fragmento tribuuntur, erratum putet, anni omnes in summam collecti ibidem notati sunt, ab initio scilicet obsidionis Tyri ad finem Εἰρώμου, anni 117, & menses 111. Quod exactè cum calculo posito congruit, si modò observetur id, quod in ipsis ἀναγραφαῖς est expressum, Balatorum regnantem annum unum non cepisse post ultimos iudices, sed cum iis simul uno anno regiam potestatem tenuisse. Quoniam verò initium Nabuchodonosoris in Syriâ; & obsidionis Tyriæ confertur in annum vii regni Ithobali, manifestum est eundem Ithobalum, cujus finis concurrit cum captâ Tyro, regnasse annos x1x, omnesque annos eo fragmento tabularum Phœniciarum comprehensos ab initio Ithobali 11 ad finem Iromi 11 esse numero 1x. Et quoniam ex his iste, qui est x1111 Εἰρώμου, concurrit cum initio Cyri in Persiâ, quod pertinet indubitatè ad Olympiadis 14 annum primum, æræ verò Nabonassareæ annum c1xxxviii: is autem, quo inchoata fuit obsidio Tyri, coincidit cum anno primo Nabuchodonosoris in Syriâ, & 14 regis Ioachim in Iudæâ, quis tam hebes est, ut videre nequeat, hinc cætera quoque in utraq; temporum serie fieri manifesta. Tertia ratio ducitur à regibus Ægypti, qui regnum id proximè ante Persas tenuerè numero sex. In horum rebus & temporib. Herodotum sequimur meritò, quod eum ex omnib. qui de iis scripserunt, fide dignissimum arbitremur. Nam is, ut propius & certius res Ægypti cognosceret in Ægyptum ipse perfectus fuit, & cum sacerdotib. annalium & doctrinæ custodib. cōgressus conversatusq; aliquandiu, ac diligenter omnia scrutatus cum domum redisset, ea quæ didicerat, literis mandavit, ac posterorum memoriæ prodidit. Atq; est idem Herodotus omnium eorum, quorum scripta ad nos historica pervenère, antiquissimus, & temporibus istis; de quibus agitur, proximus, vix ut vetustæ res postremorum regum eâ ætate, quâ floruit Herodotus, haberi possent. Quid igitur ille ad hanc rem? Primum Sennacheribum memorat Assyriorum & Arabum regem magnâ inopinâq; clade, nec sine miraculo affectum in finib. Ægypti temporib. Sethonis regis religione quam militiâ promptioris; qui Sennacheribus in historiâ sacrâ notissimus anno Ezechia regis xiv cum Hierosolymâ obsideret,

obsideret, ingenti strage divinitus castigatus cum dedecore coactus fuit in regnum suum fugâ se recipere. Satisque conveniunt Sethonis & Ezechie tempora, ut dubitari nequeat, quin unus sit idemque apud prophetam, & apud Herodotum Sennacherib Assyriorum rex, & verosimillimum videatur, Herodotum Ægyptios secutum per angelum illatam exercitui ejus atrocissimam cladem propè Hierosolymam in fabulam illam de muribus vertisse: quod scriptoribus profanis non est infrequens. Post Sethonem ait Herodotus, XII reges, regno in dynastias diviso, simul in Ægypto imperasse per aliquot annos, donec ex eorum numero Psammeticus cæteris oppressis totum regnum rursus in se unum verterit, gubernarique per annos LIII: hoc mortuo regnasse filium ejus annis XVII Necum nomine, eumque cum Syris congressum in Magdolo ingenti victoriâ potitum esse, urbemque magnam Syriæ cepisse. Neco autem defuncto scribit filium Psammis successisse, regnasseque penè inglorium annos sex, Psammisque locum deinde habuisse Apriem Psammi genitum, regem fortunatum & magnum, ac regnum tenuisse annos XXV, eversum tandem ab Amasi viro obscuræ originis, sed ingenii maximi & valerrimi: Amasin Cyro Persarum regi primo contemporaneum totos regnasse annos XLIV: extremo verò vitæ tempore ob denegatum filiae conjugium in iram Cambyse jam in Oriente regnantis incurrisse, sed in ipso belli Persici apparatu mortem obiisse relicto regni hærede filio Psammenito: atque hunc sextum jam mensem à morte patris Ægypto præsentem à Cambyse fortunâ omni exutum regnum Persis possidendum reliquisse: quod ad annum Cambyse sextum pertinere consensus autorum probat. De his verò quid sacræ literæ? Regem Ægypti Nechonem (sic nominant Necum Herodoto dictum) expeditione susceptâ contra Chaldaeos in Assyriâ & reliquo Oriente dominantes, objicientem se in itinere Iosiam regem Iuda cecidisse in campo Mageddo: Iosiaè populi studio mox substitutum filium ipsius Ioachaz post trimestre regnum amovisse, fratremque ejusdem Eliachim ad sceptrum vocatum tributarium sibi fecisse, Ioachaz autem vinculis mancipatum in Ægyptum abduxisse: dein eundem Nechonem anno quarto regis Eliachim, quem ipse Ioachim appellaverat, cum exercitu valido ad Euphratem fl. secedentem à Babylonio Nabuchodonosore in Charchamis memorabili clade correptum amisisse omnia, quæ per universam Syriam ab Ægypto usque in Euphratem occupaverat: in horum verò possessionem venisse Babylonium victorem numerantem tunc annum regni sui primum, concurrentem cum eodem anno quarto regis Ioachim: eundemque Babylonium parère sibi cogisse regem Ioachim, sed hunc post tres annos à fide datâ recessisse, ac propterea missis in ipsum armorum copiis diversis graves pœnas dedisse, locoque hujus filium Iechoniam regem creatum, sed ob impietatem ab offenso Babylonio cum omnibus suis redactum in potestatem traductum esse Babylonem in captivitatem anno Babylonii octavo: post hunc Iudaicum regnum ex victoris voluntate tenuisse Sedekiam Iechoniae patrum, postremum gentis hujus regem ex stirpe Davidis: sed & Sedekiam post aliquot annos fidem mutasse spe auxiliorum Aprijs novi regis Ægypti, quem Waphrem aut Ophrea propheta Ieremias appellat, verum spe suâ falsum in manus hostis Babylonij venisse captâ Hierosolymâ anno Babylonij XIX: eum quo finem quoque factum regnandi in Iudæâ, populumque captivitatem duram perpeßum esse in Chaldaâ, & regionibus Babylonio subjectis, usque dum Babylone & reliquo Oriente potitus Cyrus eundem liberum dimisit: sed ne tum quidem ob intervenientem mortem Cyri

(accidère

Diodorus
δωδεκαετη
χρῆσται huic
tribuit annos
XV.

(accidēre enim hęc postremis vitę ejus temporibus) populum impeditum à successoribus Cyri beneficio plenē frui potuisse per complures annos : quibus finem tandem dederit annus Darij secundus. Hic verò

Darius Hystaspisnē filius fuerit, an alter cognomento Nothus, controversum est inter Chronologos pariter & Theologos : quam controversiam disceptare non est hujus loci, quia ad rem, de quā nunc agimus, non facit.

Quod autem huc propriē facit, cognoscimus ex his, expeditionem illam felicem Neci regis Ægyptii, victoriamque in Magdolo, aut, ut Herodotus vocem format, Magdolo paratam ad eum annum, quem in regno & vitā postremum egit sanctissimus rex Iosias, sine dubio pertinere, quanquam quotus ille annus Ægyptii fuerit, nec Herodotus, nec propheta prodant.

Discimus etiam Nabuchodonosoris Babylonii initium in Syriā finem ibidem tulisse fortunę & imperii Neci, idque accidisse Ioachimi regis Iudaici, quem Necus evexerat, anno quarto.

Certi reddimur item, Apriem, sive Waphrim rerum jam positum fuisse in Ægypto, cum Sedekias à fide Babylonii recederet, & propterea bello ab eo petitus everteretur, Amasis vero Apriis successor in rebus Iudę ac Ægypti ad Cyrum, qui Iudęorum captivitatem decreto suo solvit, & ad filium ejus Cambysem, qui regnum Ægypti Persis subiecit, nos deducit.

Quę & ipsa temporum copulatio in sacris & profanis non est temnenda.

Finis libri tertii.

H iij

RERVM

R E R V M
C H R O N O L O -
G I C A R V M
L I B E R Q V A R T V S .

*QVAESTIONES ALIQUOT CHRONOLOGICAE
IN HISTORIA SACRA EXPLICATAE.*

HIS expositis, cætera, quæ quæri solent in chronologia sacrâ, expediri non difficulter possunt. Minuta in iis persequi non est consilii nostri, ne prolixi fiamus. Præcipua discutiemus. Qui, quod à conditu rerum ad diluvium intercessit tempus, ex collectione annorum, quos expressit Moses, confectum, uti à nobis in Canone positum est, in dubium vocant, idq; vel augment aliquot annis vel minuunt, hi nodum quærere in scirpo, & ab optimorum quorumque consensu libenter dissentire ac discedere mihi videntur. Non igitur morabor hæc, acquiescens in eo, quod dictum, mundi anno M. DC. LVI absoluto, cum jam cæpisset fluere sequens, Noam ingressum esse in arcam ingruente diluvio, & in ea mansisse totum annum vertentem cum diebus aliquot. Nec movere litem libet de ordine genitorum filiorum Noæ, quæ nec ponderis est alicujus in re chronologica, & elisa satis superque ab aliis, maximè à Iosepho Scaligero. Major quæstio de tempore, quo ex patre suo natus Abraham est, in diversa & Theologos & Chronologos trahit, chronologiamque sacrâ turbat: quam peperere verba Stephani protomartyris apud Lucam in Apostolorum actis capite VII. Ea quæstio totos annos LX in discrimen vocat. Nam alii contendunt Moïsis verba sequentes, Abrahamum patriarcham primogenitum inter fratres fuisse, & natum anno ætatis paternæ LXX: alii verbis Stephani inducti persuadere sibi, natalem Abrahamæ ad annum vitæ parentis cxxx pertinere. Sic enim hi ratiocinantur. Thara pater Abrahamæ mortuus est in Charan Mesopotamiæ, quo venerat cum Abrahamâ filio totaque familiâ, cum vixisset annos cccv, ut disertè docet Moses cap. XI Genes. Abraham autem, cui, Deo præcipiente, migrandum erat in terram Canaan, tum demum ex Charan istuc concessit, cum jam mortuus esset pater Thare in Charan, quemadmodum apertè dicit Stephanus apud Lucam. Venit autem idem in terram Canaan egressus ex Charan natus annos LXXV, ut claris verbis testatur Moses, Genes, cap. XII. Sequitur ergò, non ante annum ætatis paternæ cxxx ex patre esse genitum: nisi velimus Spiritum S. per Stephanum loquentem aut

aut scriptorem Lucam falsi infimulare. Et ut muniant hanc sententiam suam contra dissentientes, qui Mosis verbis potissimum inhærent, ajunt Mosen primum locum inter filios Thare assignasse Abrahamo, quod is dignitatis ergo ob electionem & promissionem divinam ei deberetur: idque probant exemplo filiorum Noah, à quibus Sem quanquam natu inferior tamen primo loco eandem ob causam recensetur. Verum, uti ego existimo, nimis infirma hæc ratiocinatio est, quanquam magnis autoribus allubescens. Nam quod firmamentum ejus præcipuum est de primatu dignitatis, ob quem primum locum contra nascendi ordinem sacra pagina soleat huic aut illi in fratrum numero attribuere, id frivolum ac vanum est, manifestæque veritati repugnat. Quod enim probandi causam adfertur exemplum filiorum Noë, id haud minus probationis indiget, quam hoc, cui probando advocatur; nec difficilius rejicitur, quam allegatur. Est verò ineptissima argumentandi ratio, cum quis dubium per aliud æquè dubium, aut falsum per aliud æquè falsum probare nititur. Contrà autem verum est, quo ordine filii ex parentibus nati fuere, eo quoque ordine sacram paginam eos recitare, non autem ex ordine dignitatis. Ita enim dignissimus inter filios Sem tertio loco recitatur Arphaxat, ex quo populus DEI peculiaris originem habuit. Ita in filiis Abrahamæ Isaac loco secundo, in filiis Isaac Jacob, in filiis Jacobi quarto demum loco Iuda, ex quo secundum carnem descenderunt reges, & rex regum CHRISTVS: ex filiis Iuda rursus quarto loco Phares: in filiis Levi Caath loco secundo, unde omne sacerdotum genus, & summi sacerdotes, denique in filiis Isai David omnium sine dubio sanctitate & honore præstantissimus, ille tot regum progenitor, & CHRISTI stemmate illustris, loco non nisi postremo. Moses autem dilucide de filiis Thare sic. *Vixitque Thare LXX annos, genuitque Abraham, & Nahor, & Aram. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abraham, Nahor & Aram.* Ac sunt omnino expendenda scriptorum consilia, ut verba eorum rectè intelligantur. Mosis autem sine dubio propositum fuit, non solum seriem eorum hominum perpetuam, ex quibus descensus erat Christus, à primo homine ad ætatem usque suam contexere, verum etiam continuationem temporis ab eodem principio usque ad migrationem Jacobi in Ægyptum per generationes libro Originum ponere ob oculos. At ista continuatio absque dubio luxatur, peritque, nisi natalis Abrahamæ, qui familiæ caput erat futurus, cum anno ætatis Thare patris certo, quem Mosis illic edit, connectatur. Et quæ causa fuerit Mosis, Nachoris natalem certum potius designare, & perpetuæ seriei temporis à primo rerum ortu defluentis affigere, cujus posteros non nisi obiter, atque aliud agens recensere habuit in animo, quam Abrahamæ, cui, cujusque posteritati omnia scriptorum suorum post hunc de generatione Thare locum destinabat? cujus annos cum eventis persecutus est accurate? cujus à DEO vocati, Dei que voci parentis, generantis, morientis ætatem diligenter notavit? uxoris, filii, nepotis chronologiam expressit? genealogiam, actaque horum, omniumque ex ipso propagatorum exposuit? qui pater omnium fidelium, & sator aut ἀρχηγός populi DEI fuit? ex quo & ipse erat, & præsciebat oriturum olim SERVATOREM mundi? Præterea, si isto Mosis loco definitum tempus natalis patriarchæ hujus non est, nullo loco universæ reliquæ scripture sacre definitum fuerit. Actum enim agunt, qui ex verbis πρωτογονίας apud Lucam eruere id volunt. Quæ si huc pertinent, si, inquam, definire tempus natalis patriarchæ protomartyr voluit, hoc solum docuerint, non ante annum Thare CXXX natum ex eo

Abrahamum esse, sed aut anno illo, aut aliquo sequente, secundo; tertio, quarto, quinto, aliove. Quid verò hoc, quod rectè huc affert doctissimus & clarissimus theologus Perkinsus? Si Abraham natus patri est anno ætatis ejus cxxx, quomodo mirari, aut pro incredibili habere potuit id, quod promittebat D E V S, sibi centenario nasciturum esse filium? absõnum sanè. Hoc autem verum, jam tum rarefcere cæpisse exempla grandævorum generantium, fuisseque admirationi, si qua existerent: quale fuit ipsius Abrahæ à morte Saræ ex contubernio concubinæ gignentis filios sex. Item si Nahor ex Thare genitus est anno ætatis ejus lxx, Abraham verò anno ejusdem cxxx, & Isaac Abrahæ natus sit centenariõ, atque ipse quadragenarius duxerit Rebeccam neptem Nahoris ex filio Bathuele, ut docet Moses, oportet Rebeccam ætate jam provectâ nupsisse Isaac, aut serò admodum parentibus extreme senibus esse editam in lucem: quæ videntur vero haudquaquam esse consentanea, nec satis cum Labanis, qui Rebeccæ frater fuit, & cum filiarum ejus, Jacobi conjugum, rationibus satis congruere. Ad hæc, si annos lx patris causâ substitisset Abraham in Charan, postquam jussus erat à D E O ex Vr Chaldæorum in terram Canaan ire, sanè nimis diu moratus fuisset præceptum divinum, minusque promptè ei paruisset: quod credi haud facile potest de eo, qui & in fide dicitur iter instituisse, Heb. cap. 11, & ubique ad admirationem usque Deo jubenti obsequentem se præstitisse. Denique cum in hanc nostram sententiam eat consentiens antiquitas, atque idem sentiant etiam nunc, ac proximo sæculo erudito ante nos senserint viri doctissimi quique maximo numero, cur nobis fluctuandum aut hæsitandum hæc sit, non intelligo. Sed obstant, ajunt, quibus aliud placet, verba Stephani. Si dicerent videri obstare, faterer. Obstare simpliciter, fateri nequeo. Non enim omnia, quæ adversari sibi videntur, verè quoque adversantur. Alioqui multa in sacris literis verè inter se pugnant: quod absit ut admittamus. Nulla enim in iis talia, ab eodem Spiritu dictata: licet multa occurrant difficilia & obscura, quæ nos promptè explicare atque intelligere non possumus: quod vitij est nostri, non scripturæ. Videmur autem medelæ aliquid huic difficultati adferre, aut caligini lucem qualemcunque affundere, aut nodum solvere commodâ interpretatione posse. Abraham, quod controversiâ caret, cum adhuc moraretur cum patre, & totâ cognatione suâ in Vr Chaldæorum, mandatum à D E O accepit, ut exiret istinc, atque iret in terram Canaan, parentisque promptè mandato divino istuc contendit. Verum cum pater eum, & Loth fratris filius comitarentur, ob patrem ætate fessum, quemadmodum est verisimile, seu quam aliam ob causam substitit aliquandiu in Charan Mesopotamiæ. Dein cum maturum jam esset, anno ætatis suæ lxxv, relicto illic patre, cum fratris filio & familiâ perrexit in regionem Cananæorum, & extructis D E O altaribus moratus in eâ est hæc illic sub tentoriis, indeque ob famem concessit etiam in Ægyptum, atque ex Ægypto rediit eodem: hæsitque ibidem velut peregrinus inter indigenas in regione alienâ, cujus partem propriam nullam teneret, quanquam auro, argento, pecore, familiâ dives esset. Quo toto tempore sine dubio sæpè respexit ad patrem, in Mesopotamiâ adhuc viventem, forte etiam ad eundem ventitavit. Interea verò & natus ei est Ismaël ex Agare, cum esset annorum lxxxvi, & iteratâ promissione circumcisio ad signandum foedus instituta anno ætatis ejus xcix, & anno proximè sequente centenario genitus est ex Sarâ legitimus bonorum hæres Isaac, superstitite etiam tum patre Tharâ, agente vitæ annum clxx. Demum Tharæ

Thare obiit in Charan, cum vixisset annos *c cv*, anno etatis Abrahæ *c xxxv*. Cujus funus à filio præfente curatum etsi ex sacro codice non discimus, tamen ob ea, quæ filius idem in morte conjugis Saræ, & posterius ejus in similibus casibus suorum fecere, totaque gens Iosephi reliquiis præstitit, verisimiliter & piè possumus credere. Ex quo tempore videri potest Abraham reversus ad sua non jam ad commorandum, sed ad habitandum, sedem familiæ & rerum suarum istuc fixisse, quanquam ne tum quidem vel vestigium soli proprii, ut loquitur protomartyr Stephanus, universâ in regione possideret. A biennio verò post patrem è vitâ quoque decessit Sara conjunx ipsius, nata jam annos *c xxvii*. Ac tum demum Abraham in regione Hethæorum ab Ephrone vicinâ istius principe agri aliquid emit juxta Hebron non quod coleret, aut ædificio occuparet, sed in quo conjugem defunctam sepeliret: quem sepulturæ locum & ipse habuit postea cum obiisset, & posterius ejus. Id quasi pignus fuit ad firmandam fidem promissionum *D E I*, futurum nempe, ut sepulcorum posterius regionem hanc aliquando non ut alienam, sed ut propriam possiderent. Superstes autem mansit Abraham, habuitavitq; in Hebron à morte patris annos *xi*, post mortem Saræ *xxxviii*, genuitq; è concubinâ Cethurâ filios sex, atque obiit tandem natus jam annos, ut dixi, *clxxv*. Qui licet agrum pecuniâ emptum ab obitu conjugis jure proprietatis possidisset, neposq; ejus Jacob emptione novâ possessionem eam auxisset, tamen imperio alieno subjecti, nec potestatis publicæ quicquam tenentes, non secus ac peregrini ab indigenis tum ipsi, tum liberi ipsorum habebantur: donec inde tandem migratum est in Ægyptum à sene Iacobo, totaque ejus familiâ. Quod factum post primum ingressum Abrahæ in hanc Cananæorum regionem anno *ccxv* absoluto. Ab hac autem migratione Iacobi in Ægyptum ad exitum posterorum ipsius ex eadem Ægypto effluxere anni totidem. In quo consentiunt melioris notæ Chronologi omnes, conficientes id ex verbis Mosis Exodi cap. *xii*, ubi scriptum est sic. *Incolatus filiorum Israelis* (ita usitatè vocatus est populus *D E I*, cujus caput & ἀρχηγός ipse Abraham) *quo commorati sunt in Ægypto, fuit cccxxx annorum.* Quos ne putemus inchoandos esse ab adventu Iacobi in Ægyptum, & familiæ ejus, quæ propriè filiorum Israel dicebatur, & cum exitu ex Ægypto duce Mose terminandos, Paulus Apostolus in epistolâ ad Gal. cap. *iii* nos docet, repetendum principium hoc multò altius, ab ipso nimirum Abrahâ divinitus excito, ut relicta patriâ, relicta quoque suis, concederet in regionem aliam à *D E O* sibi & posteris suis destinatam cum amplissimâ promissione, finemque cum tempore latæ legis in monte Sinai in deserto Sin connectendum. Sic enim ait: *Μαθήκιον προκεκυραμμένην ἐπὶ τῷ θεῷ εἰς Χριστὸν, ὃ μετὰ ἑπτὰ τετρακόσια καὶ τετράκοντα γεγονώς νόμος ἐστὶν ἀκυροῦς, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν.* Loquitur autem de pacto aut fœdere inito à Deo cum Abrahâ, & datâ ei promissione, antequam pedem posuisset in terrâ Canaan, & cum primum in eam venisset, statimque inde Ægyptum petisset famis causâ, & ex Ægypto paulò post eodem redisset, bis ac sæpius repetitò à *D E O* promissio. Lex autem in monte Sinai lata est mensè tertio post egressum populi ex Ægypto. His verò positis, si annorum principium ceperis ab ingressu primo patriarchæ in terram ipsi promissam, quo tempore natus erat, ut est ante demonstratum, annos *lxxv*, ad commigrationem nepotis ejus Iacobi in Ægyptum, ab inde effluxerint sine dubio anni *ccxv*, durationis scilicet totius dimidium: reliquumque dimidium adscribendum fuerit commorationi Israëlitarum in Ægypto usque ad exitum, legisque lationem:

lationem:

lationem. Sin, ut pauci faciunt, migrationem Abraham ex Vr Chaldæorum, ubi prima promissio cum migrandi præcepto facta ei est, quinquennio antiquiorem migratione ex Charan Mesopotamiæ in regionem Canaan statueris, & inde ordiri tempus hoc volueris, cum Abraham ageret ætatis annum LXX, numeraveris ad Iacobum in Ægyptum commigrantem annos non minus CXX, atq; ita reliquum tempus ad exitum ex Ægypto manserit tantum annorum CXX. Neutra verò harum sententiarum in sacras literas impingit, in quibus expressum moræ spacium non est, quo Abraham cum patre hæsit in Charan, antequam pergeret in regionem Canaan. Qui annos hos eosdem CCCXXX inchoandos autumant à natali Isaac, in quibus vir sanè magnus, & de ecclesiâ benè meritus, hæ illi sine causâ à cæterorum consensu, atq; ad eò à veritate discedunt, uti ego existimo. Iudicium penes lectorem attentum, & temporum peritum esto. De annis CCCC, quib. affligendum semen Abraham in terrâ alienâ DEVS prædixit Gen. c. xv, dubitare me fateor, nec invenire, quo me expediam. Aliis iudicia sua libera relinquo. Exodi tempus caractere cœlesti & civili notatum dubitationem non habet. Et quod inde ducitur usq; dum Salomon rex anno regni sui quarto templum cœpit struere, id quoque certum est: expressum quippe verbis rotundis in ipsâ scripturâ sacrâ I. Regum vi. Sic enim ibi, *Factum est ergo CCCCLXXX anno egressionis filiorum Israël de terrâ Ægypti, anno quarto regni Salomonis, mense Zif, qui est mensis secundus, adificare cepit Salomon domum DOMINO.* Atque hinc porrò ad templum idem à Babylonio rege cum ipsâ urbe Hierosolymâ deletum, regnumque Iuda cum ultimo regum Sedekiâ eversum, quantum temporis intercesserit, ignorare nemo poterit, qui regum annos dinumerare accuratè, & eorum connexionem cum annis regum Israel diligenter observare, ac solerter iudicare volet. Inveniet enim annos confici circiter CCCXXVII. Quam sententiam caracteres quoque stabiliunt à methodo sumpti tum jubilæorum, tum hebdomadum annalium. Nam indicium Sabbatici anni non obscurum est in historiâ Ezechie apud Esaiam cap. xxxvii, concurrentis cum anno regni ejus xlii: & annum, quo obsessâ captaque Hierusalem est, Sabbaticum fuisse ostendit propheta Hieremias cap. xxxiii. Quo de anno, & totâ duratione regni Sedekiæ dicemus plura aliâs. Sed quæritur hæc, unde cæperint anni LXX captivitatis Babylonice, de quibus vaticinatus fuit Hieremias. Nam ter constat Judæos maximo numero cum regibus suis Babylonem abductos esse: I cum rege Ioachim, quando Daniel cum sociis etiam abreptus est: II cum Iechoniâ, cui comes & captivitatis consors Ezechiel fuit: III cum Sedekiâ, quo tempore urbs Hierusalem cum templo funditus est deleta. Sunt qui id trahant ad casum Ioachimi, plures ad Iechoniæ, plurimi ad Sedekiæ, idque argumento desolationis cum universæ regionis, tum metropolis & templi. Sed Hieremias ipse velut manu prehensus capite prophetiæ suæ xxxix ad casum Iechoniæ nos ducit sine dubio. Idq; & universæ Chronologiæ ad Cyrum Persam, qui circumactis his annis captivitatem solvit, congruentius est, & à nobis maximè probatur, ut alibi expositum à nobis est prolixius. Ut verò hæc in parte magnus est autorum dissensus, ita longè quoque major in his, quæ sequuntur usque ad templum instauratum, initiumque hebdomadum Danielis.

Disputatio omnis in his vertitur, quo anno Cyri regis Persici exierint anni LXX captivitatis Babylonice, Cyrusq; captivos dimiserit, qui quidem annus imperii ejus in sacris literis vocatur primus: deinde qui fuerit Darius ille Persarum rex, cujus annus secundus celebris est in iisdem sacris literis

literis apud prophetas duos Haggæum & Zachariam, atque apud Esdram
 sacerdotem ac scribam, cui anno assignatur repetitum Cyri edictum de æ-
 dificando rursus templo Hierosolymitano, quod hætenus à morte ejus
 erat impeditum: cujusque anno sexto ad diem tertium mensis Adar ex-
 tructio templi apud Esdram legitur esse consummata: Ad hæc, qui fuerit
 Artaxerxes Judæis propitius, cujus voluntate & mandato instructum Es-
 dras scribit in patriam se revertisse, eaq; quæ ad DEI cultum pertine-
 bant, reformasse: & à quo adjutum se memorat Nehemias Helchiæ filius
 anno regni ejus xx Hierosolymam quoque contendisse festinantem, &
 instaurationem muri urbis properasse, paucorumque dierum spacio opus
 confectum dedisse. Denique à quo tempore inchoanda sit numeratio
 lxx ἑβδομάδων, de quibus vaticinatus est Daniel Propheta capite ix, &
 in quod tempus eadem numeratio finienda. Eusebius Cæsariensis
 Chronologorum veterum coryphæus vehementer hæc vacillat, ac multa
 turbat: lxx captivitatis annos inchoat cum excidio Hierosolymæ: anno
 post excidium tricesimo Cyrum ait devicto Astyage avo regnare in Persiâ
 cepisse, eodemque anno regni sui primo Judæorum captivitatem solvisse:
 Judæosque copiâ acceptâ extruxisse rursus altare, ac templi fundamenta
 jecisse, sed à vicinis turbatos abstinere à capto necessum habuisse: At Darij
 Hystaspidæ tertij Persarum regis anno secundo finem accepisse annos ca-
 ptivitatis lxx ab Hieremiâ determinatos, ac tum repetitum Cyri decre-
 tum, instaurationemque templi ædificationem magno studio, exhortantibus
 & populum docentibus prophetis Haggæo & Zachariâ, eamque ædifica-
 tionem quadriennio post, anno scilicet sexto ejusdem regis, die tertio
 mensis Adar fuisse absolutam: Esdram verò ab Artaxerxe Longimano
 Darij nepote anno regni ejus vii, & Nehemiam anno xx dimissos Hie-
 rosolymam venisse. Initium autem hebdomadum prophetæ Danielis
 capi posse dicit non absurdè ab anno Artaxerxis ejusdem xxxii, & ex-
 tendi rectè ad tempora Christi. Et hæc Eusebius mutuatus videtur,
 ut pleraque alia, à Julio Africano: Eusebiumque secuti sunt plerique ve-
 teres, Hieronymus, Orosius, Marianus Scotus, Hermannus Comes Ve-
 ringensis doctissimus, Henrico v imp. σύμβουλος, qui Africanum quo-
 que citat. Freculfus Gallus Lexoviensis Ludovici Pij imp. contem-
 poraneus amplius quoque in his quam Eusebius hallucinatur. Recentio-
 res, quos schola Beroaldi non inquinavit, penè omnes non primo Cyri in
 Persiâ regnantis anno dimissos ab eò Judæos censent, sed tum, cum occu-
 pata ab eodem Babylon est, quod initium monarchiæ ejus statuunt: ante
 quod tempus ne potuisse quidem eum id beneficii Judæis tribuere ajunt.
 In reliquis ferè præterquam in statuendo initio hebdomadum Danielis
 ab Eusebio non recedunt. Melanthon & Lutherus annum illum secun-
 dum Darij prophetis & Esdræ memoratum, quo repetitum fuit edictum
 Cyri, referunt ad Artaxerxem Longimanum, quem ajunt Darij quo-
 que nomen habuisse, secuti in eo Annij Viterbiensis monachi commen-
 ta. Et ille quidem inde etiam principium duxit lxx hebdomadum
 annalium Danielis, argumento concionum Haggæi & Zachariæ; hic verò
 ab anno ejus regis sexto, cum jam ad finem venisset templi extructio.
 Uterque tamen cum passione Christi eas terminat. Et uterque hujus
 sententiæ suæ ergò seriem regum Persidis turbat. Funccius, Chytræ-
 us, Bucholcerns, Buntingius, Gerardus Mercator, Temporarius, Perkin-
 sus, Capella Chronologi eruditissimi & diligentissimi, aliique complures
 Darij Iudæorum εὐσεβέτην intelligunt Hystaspis filium, ejusque anno
 secundo volunt redintegratum Cyri edictum, oceptam denuò templi
 ædifica-

ædificationem, & quadriennio post ad finem perductam. Quæ de Esdrâ & Nehemiâ perhibent sacræ literæ, ea temporibus Artaxerxis Longimani adscribunt. Verum de initio hebdomadum Danielis, & de fine variant inter se. Buntingius cum Luthero congruens initium assignat anno vi Darij Hystaspis templi structurâ jam consummatâ: sed hebdomadibus complectitur annos *DXLVIII*, ut pertingat ad passionem Christi, cum quâ hebdomadas claudit. Temporarius solus idem initium confert in annum *XX* Artaxerxis *μακρόχειρ*, propterea quod tum demum Nehemias, ex mente ipsius, à domino suo rege impetrarit consensum instaurandi portas & muros urbis Hierosolymæ, plateasque ejus restituerit: quod caput ait fuisse vaticinii prophetici. Dimidium verò ultimæ hebdomadis copulat cum passione *SERVATORIS* Christi. Reliquum ejusdem hebdomadis ad finem attribuit abrogationi legis ceremonialis, quæ pertinet ad annos à passione proximos. Funccius, Chytræus, Bucholcerus, Perkinus, Zegerus, Capella, & cum his Theologi magni nominis Bullingerus & Gualterus, Cedrenus etiam è vetustioribus ordiuntur tempus ejus prophetiæ ab Artaxerxis ejusdem anno *VII*, cum ab eo Esdras in patriam missus fuit ad procurandam religionem, legesque restituendas. Et cuncti hi tempus id finiunt cum eadem *DOMINI* passione. Verum ab his omnibus Iosephus Scaliger dissentit, ut in prioribus exposui. Nam orsus Hieremiæ annos *LXX* à deportatione Iechoniæ regis, secutus verba ipsius Prophetæ eos finit non cum occupatâ à Cyro Babylone, sed cum vicinis quoque gentibus post Babylonem debellatis, ut jam verè dicere Persa possit, omnia regna terræ dedit mihi *DOMINUS DEUS* cœli, ut habent verba ejus in sacrâ paginâ. Cui tempori longius triennio ille non superfuit. Deinde Darium illum beneficum in Iudæos, cujus anno altero renovatum est Cyri edictum, & Haggæus ac Zacharias concionati esse ad populum leguntur, anno autem *VI* ædificium templi scribitur perfectum, non alium esse contendit quam cui cognomentum *ΝΟΤΗ* fuit, Artaxerxis *μακρόχειρ* filium, tum quia Esdræ liber proximè ante eum ordinat reges duos, Ahassuerum & Artaxerxem, tum quia inter duos Artaxerxas idem eum collocat: id quod ad solum hunc posse quadrare demonstrat. Ahassuerum autem Xerxem esse, cui verum nomen Persicum fuerit Oxyares, & quidem maritum Hesteris Iudææ haud dubitat. Artaxerxem verò Esdræ & Nehemiæ dominum ac fautorem *Μνημονα* fuisse, Dario Notho genitum, affirmat. A Darij autem *Νοθη* anno secundo hebdomadum Danielis initium putat, & cum altero templi & urbis Hierosolymæ excidio sub imperatore Romanorum Vespasiano eas finit. Et hæc cuncta cum temporum ac rerum circumstantiis magis congrua esse quam priora ab aliis posita, nec confutari posse longævitate unius atque alterius, quam alii objiciunt, rationibus non malis docet. Quæ quia alibi explicui prolixius, hæc repetenda non censeo. Et Scaliger quidem in hanc sententiam suam me quoque pertrahit, ut etiam supra ostendi.

2^a *QUESTIO DISCVSSA DE VERO NATALI CHRISTI SERVATORIS IN BETHLEHEM: ITEM altera de vero anno passionis ejusdem.*

Diverse sententiæ de natali Christi exposite. **I** *D*ixi antè, verum Christi natalem differre ab eo, qui vulgò in usu est ex instituto Dionysii Exigui Abbatis Romani. Sed variant de eodem, ut etiam prius notavi, sententiæ. Clemens Alexandrinus, qui imperante

imperante Antonino Commodo, & post eum Septimio Severo floruit, vir in sacris pariter & profanis literis eruditissimus, Origenis præceptor, natalem hunc conjicit in annum Actiacum Ægyptiorum vicesimum octavum, surgentem cum die $xxix$ Augusti mensis Romani, L. Corn. Lentulo Getulico, & M. Valerio Messalino Coss. anno Iuliano $xliiii$, periodi Iulianæ quatermillesimo $dccxi$, desinentem cum die eodem anni Romani sequentis, C. Cæsare Octaviano $xliii$, & M. Plautio Sylvano Consulib. anno scil. Iuliano $xliiv$, periodi Iulianæ quatermillesimo $dccxii$, prævenientem principio sui caput æræ Dionysianæ annis integris duobus & mensib. quatuor, sine autem anno uno, & mensib. totidem. Quam sententiam plurimæ veterum ante ætatem Eusebii Cæsariensis secuti sunt. Eusebius anno uno natalem Dionysianum antevertit, confertque in Actiacum $xxix$, qui majore sui parte fluxit cum Iuliano reformato xlv , imperij Augusti $xliiii$, Varroniano $dccliiii$, periodi Iulianæ quater millesimo $dccxiii$, & penè totus cum Olympiadis $cxciv$ anno lii , & Nabonassar $dccxlvii$: quem annum consules signarunt Cossus Corn. Lentulus, L. Calpurn. Piso. Eusebianam sententiam amplexi sunt multo plurimæ veterum Eusebio præsertim posteriores, usque ad ætatem Iustiniani imp., sub quo Dionysius Parvus novo cyclo Paschali annorum $dxxxii$ induto, quo cyclum priorem ejusdem generis, & annorum totidem correxit, annum insuper Eusebianæ epochæ detraxit. Sed iidem veteres cum Eusebio facientes, ut & illi, qui Eusebio priores fuere, in definiendo natali die non idem sentiebant. Alij namque in diem vi Ianuarij Romani, quo *ἡ Πρωτογενία* Domini celebratur, cum contulerunt, anno reformationis Iulianæ xlv surgente; quod potissimum in Oriente & ecclesiis Græcis valuit. Crediderunt enim eo die & natum fuisse Servatorem, & baptisatum, atque ita in carne primum apparuisse, & voce cœlesti conspiciatq; specie spiritus divini in eum descendente filium *Δεῖ μοι γενεῆ δευτερογενῆς* addunt quidam, & à Magis inventum adoratumq;: unde *ἡ Πρωτογενία* nomen diei illi tributum. Alii diei xxv Decembris proxime præcedentis in anno Iuliano reformato $xliiv$ paulo post exituro idem tempus natale adscripserunt. Atque hi dieb. xli priores in celebrando festo natalitio præverterunt: quod secuta ferè sunt Ecclesiæ in Occidente. Unde ob ecclesiæ Romanæ autoritatem id ipsum serpsit longius, & sensim totum Christianismo obrepsit. Ad Constantinopolitanos quidem pervenisse temporib. suis ipse testatur Chrysostomus. Vtrique tamen caput æræ Christianæ affixerunt Kalendis Ianuarij Romani intermediis, quibus consulatum Romæ inierunt, jam ante à me nominati, Coss. Cornel. Lentulus, & L. Calp. Piso; qui consulatus fluxit cum anno Iuliano reformato xlv . Atq; hic habitus fuit Eusebio, & reliquis Eusebij sectam sequentibus. Annus Christi in carne nati primus, cui cyclus Solis erat x , Lunæ xii , proximè, ut dixi, antecedens annum primum æræ Christianæ hodiè vulgò usitata, cujus nota fuit cyclus Solis xii , Lunæ xli . Istius autem anni primi Eusebiani Kalendæ Januariæ incurrerunt in anni Actiaci $xxxi$ mensem iv à biduo exiturum. Iosephus Scaliger Chronologorum nostri sæculi natalem Christi æterni regis conjicit in exeuntem Septembrem, aut surgentem Octobrem anni Iuliani $xliiii$, anticipans caput æræ Eusebianæ anno integro & trimestri, æræ vero nostræ vulgaris biennio & mensib. totidem. Et ad annos Actiacos quod attrinet consensus ei est cum Clemente Alexandrino. Nam anno illo $xliiii$ Iuliano, cum quo currebat annus periodi Iulianæ quatermillesimus $dccxi$, consulesque Romæ habebat L. Cornel. Lentulum Getulicum, & M. Valer. Messalinum, à die

Ios. Scaligeri sententia.

xxix Augusti initium ducebat annus Aetiicus xxviii, cui natalem Domini assignare Clementem paulò antè ostendimus. Sed in anni tempore, atque anno Romano hic ab illo dissentit. Kalendæ enim Octobres, circiter quas natum esse Servatorem autumat Scaliger, incurrebant in mensem alterum anni istius Aetiici. Clemens autem videtur ad Pachon mensem nonum anni Aetiici natalem eundem referre, cui respondit tum Aprilis Romanus: certè indicium ex eo habemus, in Ægypto quondam isto mense natalem celebrari solitum fuisse. Quo posito, necessum fuerit, in annum Iulianum sequentem xliiii, quo consulatum gessere C. Cæsar Octavianus xliii, & M. Plautius Sylvanus, ex mente auctoris hujus Christum in Bethlehem esse natum. Id enim ratio anni istius Aetiici xxviii poscit, qui totus ferè à capite ad calcem cum anno Nabonassarco dccxlvii decurrit. Scaliger, exemplo veterum, sententiæ suæ fundamentum sumit ex Evangelistâ Lucâ. Lucas enim cap. iiii. clarissimis verbis docet, Ioannem Baptistam Zachariæ filium, non toto semestri ante Christum genitum, ministrum suum inchoasse anno Tiberij Cæsaris imperantis decimo quinto, sub Pontio Pilato Iudææ præfide & Herode Galilææ tetrarchâ, cum Annas & Caiaphas principatum sacerdotii tenerent, venisseque ad eum omne genus hominû, & conciones ejus audivisse in deserto, ac resipiscentes in Iordane ab eo esse baptisatos. Isto verò tempore venisse quoque ad eundem & Iesum, ab eoque baptismum accepisse habentè jam annos ætatis quasi xxx. Hanc enim verborum Evangelistæ veram vim esse demonstrat Scaliger, quæ Græcè sic habent. *καὶ αὐτὸς ἡὸ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὡν (ὡς ἐνομίζετο) ἦτος Ἰωσήφ.* Haudquaquam autem significare docet, ut quidam sunt interpretati, ingredientè jam annum ætatis trigesimum: quam interpretationem qui temerè amplexi sint, hos in aliam etiam sententiam de anno natali Servatoris deflexisse. Si igitur Tiberij initium capiatur more Romano ab excessu Augusti antecessoris, ut omninò capiendum putat Scaliger, annus ejus xv surget à die xix mensis Augusti Appio Junio Silano, P. Silio Neruâ consulib. anno Iuliano lxxiiii, periodi Iulianæ quater millesimo dccxlii, Aetiico lviii, Nabonassarco dccclxxvi inchoante: exhibit autem die eodem ejusdem mensis Augusti, anno sequente consulibus duob. Geminis: quo anno Tiberiani imperii xv oportet secundum textum verborum Lucæ Ioannem auspiciatum esse munus suum, & Christum ad baptismum venisse. Et quoniam annus iste multò maximâ sui parte, toto scilicet besse fluxit cum anno Iuliano lxxiv, & integer ferè, paucis tantummodo diebus demptis, cum Aetiico lviii, si Iuliano lxxiv, & Aetiico lviii detraxeris annos solidos xxx, reliqui manebunt Iulianus xliiv, & Aetiicus xxviii; quibus fluentibus natus fuerit in Bethlehem CHRISTVS, ut censuit quondam Clemens, & cum eo antiquissimi patrum Christianorû ante Eusebium. Et sic quidem de anno. De anni verò parte, id est, de mense aut die sententiæ suæ rationes ducit Scaliger ex iis, quæ idem Lucas habet capite Evangelij sui primo ac secundo. Nam, ait Scaliger, Evangelista scribit, Herodis regis tempore sacerdotem fuisse nomine Zachariâ ἐξ ἡμερῶν ἁγίων. & ei sacra peragenti in templo ex ordine ἡμερῶν suæ secundum morem functionis sacerdotalis sortito suffitus faciendi munus, cum stans ad altare adoleret, apparuisse adsistentem angelum Gabrielè, ac lætû nuncium tulisse de nascituro ipsi filio ex uxore, quæ putabatur sterilis: mox Zachariâ impletis dieb. ministerii sui Hierosolyma domum recisse ad suos, & cõjugem ejus Elisabetham post dies istos concepisse: Deinde eundè angelum Gabrielem mense abhinc sexto missu Dni venisse ad Mariâ virginè in Nazaret, & εὐαγγελισμὸν ei quoque, tulisse multò latiore

Sententia Scaligeri fundamentum præcipuum.

Quâ anni parte natum sit Christus, sententia Scaligeri; & sententiæ ejus rationes.

latiorem de conceptu ipsius ex Spiritu sancto, & partu stupendo: affirmasseq; Elisabetham Zacharię, cognatam ipsius, in ætate provec̄tā concepisse, & jam mensem ei agi, ex quo conceperit, sextum: statimq; Mariam, cum in utero jam ipsa gereret, properanter ad Elisabetham contendisse, & mansisse cum eā menses tres: Marięque digressā, expleto tempore suo Elisabetham edidisse Ioannem: Post ob edictum Cęsarıs Augusti census causā Mariam ē Nazareth profectam cum Iosepho in Bethlehem, illic cum ipsi quoque gestandi tempus consummatum esset, Servatorem mundi in stabulo peperisse. En tempus expositum duob. conclusum terminis, quorum prior a quo, *εὐαγγελισμὸς* per angelum Gabrielem Zacharię allatus, posterior ad quem, partus Marię virginis. Tempus hoc veteres ferē omnes, imprimis qui Eusebij sententiam de natali Christi secuti sunt, etiam ii, qui Dionysij abbatis, totaq; adeo Romana ecclesia, definiunt mensib. xv, propterea quod sextum mensem bis ab Euangelistā nominatum pro completo accipiant, haudquaquam rectē. Scaliger autem accuratē definire id non audeat, tum quod tempus conceptionis Elisabethę post *εὐαγγελισμὸν* marito nunciatum exactē ab Euangelistā notatum non sit, tum quod sextum illum mensem non absolutum, sed fluentem aut surgentem intelligendum esse non sine magnā ratione existimet: ideoq; ait diem Christi natalem certum definire nullum nunc hominem posse, solum autem posse D E V M. Tempus tamen hoc ipsum mensib. xv, & dieb. aliquot numero incertis metitur probabiliter: censetq; partum Elisabethę non multo plus quam mensib. quinque partum virginis Marię antevertisse, cum reliqui sex mensium intergorum intervallum hoc statuunt. Verum potissima controversia vertitur in figendo termino temporis hujus priore, id est, cum certā anni parte connectendo. Veteres, & qui eos sequuntur, in fundamento jaciendo errant. Nam Zachariam summum Iudęorum pontificem fuisse, cui soli licuerit quotannis semel tantummodo certo anni tempore introire in sanctum sanctorum, & in eo sacris coram D E O operari, volunt. Id verò anni tempus sine dubio fuit dies x Tisri mensis Iudaici, qui ut plurimum responderet Septembri nostro. Et tum x illum diem Tisri, cum sacris operaretur Zacharias, congruissē affirmant cum xxvii Septembris: postridieq; ajunt pręgnantem factam Elisabetham, & completo ab hinc mense sexto angelum Gabrielem venisse ad Mariam, eamq; virginem tum concepisse, die nimirum xxv Martij sequentis: a nono verò mense finito post conceptam peperisse Elisabetham die xxiv Junij: & post exactos rursus menses sex die xxvi Decemb. ex Mariā natum esse Servatorem Christum. Hęc ratiocinatio veterum, qui propterea die eodem Decembris natalem Domini celebrarunt. Sed in fundamento qui hallucinantur, de eorum structurā quid tibi pollicearis? Error autem enormis est & evidens, quod Zachariam Baptistę patrem summum gentis Iudaicę pontificem faciunt. Nam Iosephus ei ætati proximus, & ipse ē genere sacerdotali, & quidem ē nobilissimā sacerdotum familiā, cui sacerdotalia, & cuncta totius gentis suę erant notissima, scriptor maximē industrius & fidus, in serie summorum pontificum eum non recenset, haudquaquam hoc commissurus, si is in sacerdotio isto unquam fuisset: præsertim cum filium ejus Ioannem non sine laude celebrarit. Lucas autem omnium evidentissimē illos refutat, qui non in familiā primā sacerdotum, cui summum sacerdotium ex lege competebat, non in numero eorum, qui principes familiarum sacerdotalium xxiv erant, quos *ἀρχιερεῖς* etiam honoris causa, cum unus solum verē totius gentis *ἀρχιερεὺς* esset, nominabant, sed *ιερεῖα τινα*, id est, ē vulgo sacerdotum familię octavę, quę Abiæ dicebatur,

Orbes is-
raelici in
populo Dei
instituti à
Davide.

Orbes iude
instituti
à Iuda.

Zachariam fuisse perhibet, eundemque in ordine *ἑφημερίας* suæ sortitò nactum munus faciendi suffimenti (varia enim erant ejusdem ephemerie munera in templo, quæ simul obibantur) *ιερατευκείαι*. Nec ullum omninò apud eum in Zachariâ vel levissimum supremi sacerdotii, aut principatus inter sacerdotes indicium, sed potius alia omnia. Vnde cætera, quæ super die x Tifri struuntur, necesse est ruere: ut alia perperam exposita omittam. At Scaliger, vir summi ingenii, summæque doctrinæ, fundamentum ratiocinationis aliud jactat, si non indubitato verum immotumque, tamen sine dubio verosimillimum. Id collocat in *ἑφημερία* Abiæ, quam memorat Lucas. Ignotum non est, sacerdotes Aaronis posteros in familias *xxiiii* à Davide rege esse distributos, quæ per vices sacra peragerent in templo, easque sortitò ordinem suum accepisse, quem servarent perpetuò: primum locum per sortem obvenisse familiæ Iojarib, alterum Iedaic, tertium Arim, similiter cæteris ad ultimam usque, octavum verò locum familiæ Abiæ, in quâ genitus fuit Zacharias, accidisse: has familias per vices secundum ordinem semel acceptum in templo ministrasse coram Domino: vices autem, ut à Iosepho docemur, durasse singulas per dies septem à Sabbati horâ matutinâ ad horam eandem Sabbati alterius: appellatasque, tum familias ipsas, tum vices *ἑφημερίδας*, quas *ἑφημερίας* etiam in hâc historiâ de Zachariâ nuncupat Lucas: eas in orbem perpetuò recurrisset, ultimamque à primâ rursus exceptam fuisse; id perennando jugi sacrificio, quod *ἐνδελεχισμὸν* vocant, institutum. Ut autem *ἑφημερία* qualibet septem diebus transfigebatur, ita omnes simul diebus *clxxviii*: quod tempus in se semper revertens orbem *ιερατικὸν* vocare ex re Scaligero placuit. Univerfus verò hic ordo à Davide institutus an perpetuò, & sine vitio servatus sit durante templo priore, non abs re dubitare possumus, ut rectè nos monet Scaliger. Nam si tenorem suum tenuit, quam ob causam Ezechias & Iosias leguntur, cum religioni reformandæ darent operam, cum instaurasse? At in templo altero ad unguem cursum suum servasse certum est, nec unquam interruptum, aut turbatum usque ad templum ab Antiocho Epiphane Syriæ rege pollutum: quo tempore *ἐνδελεχισμὸς* intermissus, sacra omnia cessarunt. Id duravit triennium. Quo finito, Iudas Macabæus, caeso fugatoque exercitu Syrorum, & urbe recuperatâ, temploque repurgato, altari novo extructo, ordinem quoque hunc restituit in integrum. Censetque Scaliger haud levibus rationibus ductus exemplo Zorobabelis, & priorum regum, qui collapsam religionem instauraverant, eum non aliunde quàm à principe familiâ, cujus ipse quoque pars erat, principium *ἑφημερίων ιερατικῶν* duxisse. Quod si constaret tam certò quàm est verosimile, quæstio hæc omnis esset expedita. Tempus enim, quo instauratio hæc à Macabæo est facta, accuratissimè notatum est in historiâ sacrâ; annus scilicet Græcorum Judaicus *cxlviii*, diesque *xxv* mensis Casleu, qui nonus erat à Nisan mensium Judaicorum primo. Is verò annus erat etiam undecimus Antiochi Epiphani in Syriâ regnantis, multoque maximâ sui parte currebat cum anno periodi Iulianæ quater millesimo, quingentesimo quadagesimo nono, & dies *xxv* Casleu cum die *xxiiii* Novembris Iuliani labebatur, cum consules adhuc Romæ essent Cn. Octavius, & T. Manlius Torquatus, ac Roma annum numeraret Varonianum *dlxxxix*, qui tertius erat ab eo, quo *Perses* Macedonia rex à consule L. Emilio Paulo captus, & regnandi apud Macedonas finis factus fuit: inciditque idem hoc tempus enceniorum Macabaicorum in diem *xxii* Paophi mensis Ægyptiaci secundi, anni Nabonassarei *dlxxxiiii*. Ab hoc autem tempore quemadmodum certissima est series consulum Romanorum

manorum usque ad sæculum Christi, adeoque ad templum deletum, & Hierosolymam excisam, quod in confesso est, sic ordo ἑφημερίων sacerdotalium apud Iudæos, qualis est à Davide quondam institutus, & tunc à Iudâ Macabæo repetitus, sine mendo est conservatus, adeo ut durissimis quoque temporibus omnia potius pati, & vel inter ipsa sacra mortem oppetere sacerdotes, quam vel vices stationesve suas deserere, aut alii in aliorum locum aut tempus invadere sustinuerint, sicut clarissimè ex Iosepho demonstrat Scaliger, & cuilibet, cui hæc res curæ est, cognoscere promptum. Sciendum verò, cum Macabæus templum expiaret, ipsum encæniorum diem cum initio ἑφημερίας familiæ Iojarib. non congruisse. Encæniam enim celebrata sunt hebdomadis feriâ secundâ, quod computi ratio certissima docet. ἑφημερίς autem ex lege perpetuâ cum sabbati hora matutinâ capiebat initium, & cum eadem desinebat. Vnde sequitur, familię istius ἑφημερίδα surgentem biduo antevertisse ἑγκαίνια, & pertinuisse ad diem Casleu xxiiii, Novembris Iuliani xxiiii, indeq; ut ἑφημερίδα istam, ita totum orbem ἱερατικὸν esse inchoandum. At ab eo principio ad exitum anni ejusdem Iuliani dies restabant xl; ad initium verò ἑφημερίας octava, quæ erat Abiæ, dies xlix, ut ipsa ἑφημερία surgeret cum die l, qui tunc erat dies x Ianuarij in anno periodi Iulianæ quater mdl, quo consules Roma habebat A. Manlium Torquatum, Q. Casium Longinum. Ab hujus autem anni Calendis Ianuariis incuntibus ad Calendas Ianuarias annum periodi Iulianæ quater mdccx aperientes, quo consules Romæ erant C. Calvisius Sabinus, & L. Passianus (is erat Iulianus à reformatione C. Cæsaris fluens xlii, urbis Romę secundum Varronem dccc, Nabonassaræ à Calendis Ianuariis ad diem xxiiii mensis Augusti dcccxliiii, reliquâ parte dcccxlv) sub quibus consulis Scaliger vult contigisse hoc, quod Evangelista Lucas de Zachariâ vicem in templo obeunte scribit, anni Romani ex formâ Iulianâ fluxerit clix, qui dies habent quinquages octies mille, quadringentos, quadraginta. Quibus si adjeceris tum xl illos, qui annos hos ab exordio restituti ordinis per Macabæum, id est, à capite ἑφημερίας Iojarib antecesserint, tum alios à Calendis Ianuariis his posterioribus ad Calendas Iuniâs exeuntes, provenient dies omninò quinquages octies mille, sexcenti, triginta duo, quot orbibus hieraticis cccxlix exacte respondent. Hinc verò porrò si ieris, & addideris dies l, habueris sabbatum istud, quo familia octava Abiæ, cujus portio Zacharias fuit in orbe ἱερατικῷ quinquagesimo occupit ministerium suum: quot caput erat quæstionis. Potest autem etiam ordine alio id ipsum expediri. A die xxiiii Casleu, vel Novembris xxiiii in anno periodi Iulianæ quater mdxlix, quo Iudas templum à pollutionibus expurgavit, & sacra restituit, exorsus numerâ dies l. Dies quinquagesimus, qui incidet in x Ianuarii anni proximè sequentis, sabbaticus erit inchoans ἑφημερίαν octavam Abiæ in orbe ἱερατικῷ post restitutum ordinem primo. Tum adde dies tot quot complent orbem hieraticos cccxlix, scilicet, lviii. dcccxxii. Horum ultimus erit idem cum eo, de quo paulò ante dixi. Pertinebit autem ad diem xxi Iulii in anno periodi Iulianæ quatermillesimo, septingentesimo, decimo, post reformationem Cæsaris xlii, urbis Romæ conditæ secundum Varronem dccc, surgente Olympiade cxciiii. Exiitque eadem ἑφημερία Abiæ, & Zacharias ministerium suum finiit, cum die xxviii ejusdem mensis. Post quem diem cum domum revertisset Zacharias, conjux ejus Elisabeth gravida facta est, & impleto gestationis tempore, circiter Calendas Majas anni sequentis, qui fuit Iulianus xliiii, edidit

Tempus accurate computatum per orbis hien ratis ab Encænias templi Macabæi ad Evangelismum Zachariae allatum de nascituro sibi filio Ioanne.

edidit filium Iohannem Baptistam : Maria verò absoluto jam quinto mense, surgente aut labente sexto post Elisabetham ex Spiritu S. concepit, & mundi Servatorem virgo enixa est in Bethlehem primis diebus Octobris anno Iuliano eodem, periodi Iulianæ quater millesimo, septingentesimo, undecimo, Olympiadis $\epsilon\chi\epsilon\iota\iota\iota\iota$ anno $\iota\iota$, Nabonassari $\delta\epsilon\epsilon\chi\iota\iota\iota$, imperii Augusti $\chi\iota\iota$, Aetiaco $\chi\chi\upsilon\iota\iota\iota$, mense hujus altero, consulibus ut ante dixi, L. Lentulo Getulico, M. Valerio Messalino. Id autem anni tempus, ait Scaliger, in Iudæâ pastorib. adhuc commodum erat *πρὸς τὸ ἀγραυλεῖν καὶ φυλακὰς τῆς νυκτὸς φυλάσσειν ἵππὶ τὴν ποιμνίαν αὐτῶν*, de quo scribit Lucas: finis autem Decembris, aut Ianuarij initium non item, quanquam strenuè heic obloquatur verbosissimus Keplerus. Verum his, licet sint verisimillima, opponi possunt non pauca, nec momenti parvi. Primum si Tiberij initium sumatur ab obitu Augusti, ut faciendum esse contendit Scaliger, $\chi\upsilon$ annus imperii ejusdem inibit à die $\chi\iota\chi$ mensis Sextilis, Silano & Nerua consulibus, exhibit die eodem ejusdem mensis consulibus duobus Geminis uti ante fuit dictum, & triente sui primo concurret cum anno Iuliano $\iota\chi\chi\iota\iota\iota$, reliquo besse cum $\iota\chi\chi\iota\iota\iota\iota$. His autem positis si porrò cum Scaligero posueris, Christum exactis jam $\chi\chi\chi$ ætatis suæ annis à Iohanne baptisatum esse circiter Calendas Octobres, cætera quidem, quæ de tempore narali ab eo differuntur, cum hisce recte convenient, sed baptismus inciderit in annum Iulianum $\iota\chi\chi\iota\iota\iota$, cum consules adhuc essent Silanus & Nerua, non autem in annum $\iota\chi\chi\iota\iota\iota\iota$ consulibus duobus Geminis, ut omnis ferè censuit vetustas, & censet quoque ipse Scaliger canonum Isagog. libro tertio, paginis 299. & 302. Autumnus enim totus in consulatu Geminorum cum Tiberij anno $\chi\upsilon$ his metis concluso nihil habuit commune, sed ad annum imperatoris ejus $\chi\upsilon\iota$ pertinuit. Prætereà perangustum tempus fuerit ab initio anni $\chi\upsilon$ Tiberiani ad Calendas Octobres, circiter quas ad baptismum venisse Servatorem Scaliger arbitratur. Nam inter diem $\chi\iota\chi$ Augusti, & has Calendas non plures intercedunt dies quam $\chi\iota\iota\iota$, quibus omnia illa facta esse, quæ ab initio capitis tertii ad versiculum $\chi\chi\iota\iota\iota\iota$ commemorat Lucas, vix videtur verosimile. Idemque tempus foret quoque arctius, si à capite anni Aetiaci Ægyptiorum tum alijs, tum $\chi\upsilon$ annus Tiberij computentur. Sed hoc exile. Videamus aliud majus. Si vera est regula, quam Scaliger nos docet, isto sæculo Iudæos principum suorum initia non computasse nisi à primo Nisan, aut primo Iiar, quorum ille ante Simonem, Iudæ Macabæi fratrem, hic post eundem caput anni Iudaici habebatur, verosimillimum fuerit, Lucam quoque more gentis suæ principium Tiberij non ab eo die, quo mortuus est Augustus, sed à Nisan aut Iiar, qui menses ambo verni & inter se contigui erant, auspiciatum esse. Erat enim Tiberius Iudææ tunc unicus & verus princeps, nec alium tum regem aut dominum civilem Iudæa agnoscebat. Quod & docet nos Iosephus historiographus, & in Evangelio ipsi testantur Iudæi clamantes coram Pilato, non habemus regem nisi Cæsarem: argumento quò, est tributarius numus Cæsaris inscriptionem ferens, & procurator regioni à Cæsare datus. Quo rursus posito, quintus decimus quidem Tiberii annus à verno usque tempore ad Calendas Ianuarias probe congruerit cum consulatu duorum Geminorum, sed ab autumno illo si in anteriora ascenderis ad annum $\chi\chi\chi$ completum, haudquaquam ad autumnum anni Aetiaci $\chi\chi\upsilon\iota\iota\iota$, consulatusque Getulici & Messalini pertigeris, sed in Aetiaco anno $\chi\chi\iota\chi$, & consulatu C. Cæsaris Octaviani $\chi\iota\iota\iota$, & M. Plautij Sylvani substiteris. Rursus ex Iosepho notissimum est, & certissimum, Herodem Magnum ab eo tempore, quo

quo Romæ à senatu rex salutatus fuit, totos annos xxxviii in Iudæâ regnasse: regem vero declaratum fuisse Cn. Domitio Calvino, C. Asinio Pollione Cofs. anno Iuliano vi jam jam exituro: proindeque post exitum anni Iuliani xliiii, quo consules fuere Lentulus Getulicus, & Valerius Messalinus regnum & vitam finivisse. Verum quoniam ex regulâ paulò antè recitatâ annus regni ejus primus ante Nisan aut Iiar non est computatus, Herodes idem regnando & vivendo pervenit ad vernal tempus anni sequentis sub consulib. C. Cæsare Octaviano xlii, & M. Plautio Sylvano. Quod cum Iosephi narratione planè congruit. Scribit enim is, obiisse regem paulò ante mensem Nisan, cum non multò prius præcessisset eclipsis Lunæ. Verè igitur Herodes regnando complevit annos xxxviii integros, ac menses tres ferè: decessitque cum Christus ante menses circiter sex esset natus ex sententiâ Scaligeri prius expositâ. Sed Scaliger arbitratur, ante mortem Herodis Christum non procul à bimani abfuisse, inductus verbis Matthæi Evangelistæ cap. 11, vers. 7. & 16. ubi legitur, Herodem exactè quæsiuisse à Magis tempus apparitionis stellæ in Oriente, & eo cognito delusum postea ab iis aliâ viâ domum profectis, atq; excandiscentem infantes omnes Bethlehemiticos *διὰ διεσῆς καὶ κατωτέρω* iussisse interimi secundum tempus, quod à Magis cognovisset. Atque hanc ob causam idem Scaliger & oscitantia redarguit Iosephum, quem aliàs à diligentia & veritatis studio impensè solet laudare, & Herodi annos regni xxxviii solidos inchoatos à mense Nisan aut Iiar, assignat, mortuumque statuit anno Iuliano xlv, Coss. Corn. & Lentulo & L. Calp. Pisone Cofs. Quam benè, prudentium lectorum iudicium est. Nodus sanè difficillimus. Quem quomodo enodare quis possit, nisi aut Iosephum enormiter in definiendo regni Herodis tempore exorbitasse, aut Tiberii annum xv apud Lucam aliter, ac supra factum, accipiendum, aut ex Matthæi verbis alium sensum formandum esse fateatur. Quorum ultimum animo meo maximè allubescit, tum ob rationes alias, tum quod narratio Lucæ Evangelistæ capite Evangelii secundo satis evidenter demonstrat, Mariam cum Iosepho sponso suo & infante Iesv, cum exisset præfinitum in lege tempus, Hierosolymam ivisse, & iustis illic persolutis statim inde remigrasse in oppidum Nazareth. Vnde consequi videtur, ante hanc commigrationem Magos in Bethlehem venisse: Herodem verò cum diu frustra expectato Magorum reditu tandem comperisset illum sibi esse, irâ percitum sævisse in infantes istius viciniae, quod existimaret illic adhuc cum parentib. infantem sibi invisum morari, & à minimis ad bimulos usque grassatum esse, ut certius effectum daret, quod cupiebat. A quâ sententiâ non abhorret, quod ad hunc Matthæi locum postillator Lyra scribit sine dubio ex multorum eruditorum mente, Herodem neglecto eo, quod Magi velut homines vani temerè stellæ fidem habentes, aut Phasmate decepti ad ipsum non redissent, tum demum cum Simeon & Hanna in templo Hierosolymitano præsentem puerum Iesvm venerati essent, ac de eo nato conspecto, & sibi & toti Israeli fuissent gratulati, velut concitatum deno stragem illam infantum edidisse, & tum Iosephum ab angelo monitum cum Mariâ & infante in Ægyptum fugisse. Ad censum quod attinet, qui actus est ex edicto Cæsaris Augusti, cum natus in terrâ est Christus ex comparatione verborum Lucæ cum narratione Iosephi claret, eundem P. Sulpitium Quirinium quem Cyrenium Evangelista & Iosephus nuncupant, bis Syriæ præsidem fuisse, & censum egisse: primum nascente Christo, quando non Iudæa solum, sed & tota Syria, & omnes provinciæ imperii Romani censæ fuere in eum finè, ut cognosceretur quantum opum, quantum virium

*Animad-
vers. in
Eusebium
161.*

imperium haberet ad scribendos alendosque exercitus, & onera imperii commodè sustinenda: iterum post annos plus minus x, Archelao Herodis filio in Galliam relegato ad res ejus potissimum in fiscum redigendas, & Judæam tributo mulctandam. Atque hæc quanquam ita habeant, tamen ex omnibus optima nobis sententia Scaligeri videtur, minimisque incommodis obnoxia. **Keplerum placito** suo novo, quo à prioribus cunctis audacter dissentit, frui ac gaudere libentes sinimus, qui non dubitat Christi natalem toto quinquennio antiquiorem affirmare capite aræ nostræ vulgaris, id est, ad initium referre anni Iuliani xli, quo consules fuere C. Cæsar Octavianus xii, L. Cornelius Sylla. Hoc verò ut persuadeat lectoribus, ingentem pulverem ciet, tantumque verborum perdit, ut priusquam finiat, totum librum multorum capitum, plurium foliorum compleesse eum videamus. In hunc finem annos xxvii regni Herodis, quos Iosephus numerat, inchoare ei placet à tempore verno ejus anni, quo consules Romæ fuere Cn. Domitius, & C. Asinius Pollio repugnante rerum serie ad id tempus pertinente, & cum verno tempore sub consulibus L. Cornel. Lentulo Getulico, & M. Valerio Messalino finire. Et quia auctoritatem Lucæ obstare sibi videt, quæ Christus Tiberij anno xv annos ætatis habuisse xxx, cum ad baptismum accederet, asseritur, in verbis illis, *ὡς ἐστὶν τετράκοντα ἑξήμιστος*, exponendis torquet se mirificè, paginasque aliquot impendit, ut destruat sensum, quem ex iisdem verbis optimâ ratione conficit Scaliger: ac imprimis latebras quærit suæ sententiæ aptas in voce *ὡς ἐστὶν*, quasi ea significet numerum, cui adhaeret, incertum, aut, quod Latini dicunt, **plus minus**. Imò eò progreditur audaciæ in interpretando, ut id plus minus non ad dies aut dierum hebdomadas, aut ad menses referendum contendat, quòd sanè usus sermonis admittit, sed ad totos annos, & quidem ad annos aliquot, ut eo modo qui loquatur, quo locutus est de ætate Christi Evangelista, etiam verum dixisse videri possit, licet is, de quo dicitur, tantum xxvii, aut majore numero quam xxxii annos ætatis habeat. Rationem quæris? Hoc sententiæ ejus, quam concepit, ratio poscit. Quid hoc poscere dico? poscit etiam largius vim vocis *ὡς ἐστὶν* extendi. Nam si Christus natus intelligatur toto quinquennio ante initium aræ nostræ communis C. Cæsar Oct. xii, & L. Sylla consulatum incuntib. & baptisatus sit, quod vult Keplerus, duob. Geminis consulibus, non potest tunc, cum baptisatus est, infra ætatis annum xxxiiii habuisse. Cæsar enim xii, & L. Sylla anno Iuliano xli, duo autem Gemini lxxiv in consulatu fuere. Audi porrò lector, & mirare. Causam si lubeat quærere, cur putet Evangelistam pro annis xxxiiii, aut xxxiv annos quasi xxx scripsisse, respondere non veretur, quia ignorantia hæc in parte laborabat. Nec enim discipuli Christi, à quib. sciscitatus Evangelista fuit, (verba sunt Kepleri) nec ipsa Christi mater Maria cum eodem collocuta certum rei tempus impresserant memoriæ suæ, memoriamve ejus conservandam putaverant. Nam & res ipsa obscura erat, (inquit) cum fiebat & quorsum evasura esset, nemo ferè tum suspicabatur. Maria autem mater etsi meminisse posset, quot ante annos filium peperisset, tamen non videtur (loquor ex autoris sensu) temporis istius accuratam curam habuisse, sed accidisse ei, quod scæminis etiam laudatis, præsertim paupertate pressis, quæ literas plerumque aut non attingunt, aut parce usurpant, ut quoto anno græ in gente usitatæ partus acciderit, non annotarit: potiusque fortunam puerperii sui, & reliquas circumstantias, quas plenè Evangelistis exposuit, quam tempus ipsum, hoc est, annum partus, annique diem aut mensem memoriæ mandarit. En pietatem

pietatem viri, sensumque de iis, qui quæ ad religionem nostram pertinent, ac salutiferæ fidei fundamenta sunt, in literas miserunt. Cætera prætereo. Iudicium lectoribus permitto. Libri copia est in bibliopoliis. Christus anno Iuliano LXXIII baptisatus ex sententiâ Scaligeri cum quadriennio & mensibus circiter sex docuisset, & miracula edidisset, anno Iuliano LXXVI pro humano genere passus est, & mortuus revixit, ac de morte triumphans in cælum ascendit S. Salpiti Galba, L. Corn. Syllâ consulibus. Anni character est indubitabilis dies XIV Nisan incidens in feriam VI, quâ Servator cruci affixus est: quem cum Sole occaso excepit tunc initium Sabbati concurrentis cum Iudæorum Paschate, festorum maximo: postridicque *μία σαββάτων*, ut est in textu sacro, hoc est, feriâ primâ hebdomadis sequentis, Christianorum die dominico, benè manè Servator idem à morte resurrexit. Quæ per proximos aliquot annos, nisi eo, quem dixi, accidere non potuere, qui annus cyclum habebat Solis XIV, Lunæ XV, cum literâ Dominicali D. Erat verò dies ille XIII Nisan isto anno idem cum die III Aprilis Romani. Vnde reliqua, quæ huc pertinent, queunt cognosci. Sed animadvertendum heic, quod Christus verus agnus paschalis pascha comederit cum discipulis pridie passionis suæ, vespèrâ scilicet diei XIII Nisan, feriâ V, anticipans cæterorum Iudæorum epulas easdem solemnes die uno, qui ob translationem feriarum ex more *ἀγράφα*, quæ fiebat mense Tisri, ritum illum tunc celebrarunt eâ vespèrâ, quâ terminabatur feria VI, desinebatque in sabbatum solemne, quo & Iudæi festum suum maximum *τῶν ἀζύμων* agitabant, & Christus in sepulchro quiescebat. Id manifestum fit tum ex reliquâ universâ narratione Evangelistarum attentius expensâ, tum ex Lucæ verbis, cum ait, *ἦλθε δὲ ἡμεῖς τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα*. Quod significat cum fuisse legitimum diem, quo secundum ipsius DRI institutum oportebat mactari & comedi agnum, nimirum XIII Lunâ mensis Nisan, quamvis populus ob translationem illam feriarum per morem usu introductum mactaturus & comesturus agnum esset postridie. Loquitur autem Lucas, quod controversiâ caret, de die eo, quo Christus cum discipulis sacrum id convivium iniit. Lunam verò decimam quartam mensis Nisan fluentem à coitu concurrere cum hebdomadis feriâ sextâ proximis annis aliquot ejus sæculi non potuisse nisi anno eo, quem designavi, rationes temporum & motuum cælestium probant, ut harum peritus, heic quod dubitet, non habeat. Accidit character quoque alter insignis, Solis scilicet memorabilis illa & admirabilis obscuratio, quæ accidit in ipsâ meridie, & duravit per horas tres Christo pendente in cruce testib. Evangelistis, & notata est in archivis aut annalibus populi Romani, ut scribit Tertullianus. Phlegon verò Trallianus, Adriani imperatoris libertus, antè à nobis laudatus de eadem scriptum reliquit libro de Olympiadibus XIII, ut est apud Eusebium, accidisse eam Olympiadis CCII anno IIII. Is autem annus posteriore suo semisse fluxit cum anno Iuliano LXVII à Kalendis nimirum Ianuariis in mediam usque æstatem, quâ Olympias acta est CCIII, capitque annus ejus primus. Ac Phlegontem nullâ aliâ de obscuratione Solis istic esse locutum ex eo certum fit, tum quod idem diei tempus cum Evangelistis hic ei assignet, tum quod rationes astronomicæ doceant, toto illo anno Eclipsin Solis secundum ordinem naturæ accidere non potuisse. Atqui annus hic Iulianus totus fluxit cum anno periodi Iulianæ quater millesimo, septingentesimo, quadragesimo sexto, æræ nostræ vulgaris Dionysianæ XXXIII, cum anno autem mundi ter millesimo, DCCCCLXXXII à Kalendis Ianuariis ad mensẽ

mensē Octobrem, cum anno urbis Romæ *DCCLXXXVI* à Palilib. ad Decembris finem, cum Nabonassareo *DCCLXXX* ab initio sui ad *XIIII* diem Augusti, cum Actiaco *LXII* ab eodem initio ad ejsdem Augusti diem antepenultimum. Secundum hæc igitur *CHRISTVS* servator cum in arâ crucis se obtulit in sacrificium propitiatorium pro peccatis hominum, annum ætatis à vero natali, quem ex mente Scaligeri expressimus, agebat *XXXV*. Tiberio autem currebat imperij annus *XIX*. Hoc tempus passionis Christi non rectè definitum multas contentiones veteribus Christianis, qui Apostolorum ætatem proximè secuti sunt, de tempore celebrandi Paschatis peperit usque ad concilium Nicenum: de quo heic dicendi locus non est. Exposuit prolixè Scaliger libro de emend. temp. & in Canonibus Isagogicis, atque alibi: succinctè & eleganter planèque clarissimus, & eruditissimus vir, ac mathematicus summus, collega atq; amicus intimus Nicolaus Mulerius in Isagoge in Calendarium Romanum. Cum per Sabbatum magnum Servator corpore suo in sepulchro quietem egisset, illucescente die hebdomadis sequentis primâ, quæ erat Nisan Judaici *XVI*, Aprilis Romani *V*, redivivus sepulchrum reliquit, sæpeque cum apostolis ac discipulis suis congressus & collocutus die ab hinc *XI* spectantib. iisdem Apostolis ex terris in cœlum ascendit, atque inde ad eisdem Spiritum S. misit die *XI*, qui erat à resurrectione quinquagesimus, mensis Judaici Syvvan *VI*, Romani Maij *XXIII*. Hic finis historię Evangelicę. Eam sequitur narratio actōrum Apostolicorum comprehendens tempus annorum circiter *XXVIII*: quam claudit carcer Apostoli Pauli in urbe Româ. Carcerem hunc excepit prima à Nerone instituta contra Christianos persecutio anno imperii ejus *X*, quâ Apostoli duo Petrus & Paulus traduntur periisse. Secutumque est à biennio initium belli Judaici à Gessio Floro motum imperante etiam tum eodem Nerone, C. Suetonio Paulino, L. Telesino consulibus: quod bellum post annos quinq; excidio gentis & Hierosolymæ tandem est finitum. Erat autem is annus, quo hoc factum, periodi Iulianæ quater millesimus *DCCLXXXIII*, Iulianus *CXX*, aræ Christianę vulgaris *LXX*, Olympiadis *CCXII* partim primus, partim secundus, urbis Romę conditæ *DCCCXXIII*, cum consules essent Fl. Vespasianus imp. *II*, T. Vespasianus. Vrbs Hierusalem obsideri cœpit in festo paschatis, templum incendio datum die *IV* Eid. Augusti, urbs tota occupata & cremata die *VI* Eid. Septemb. cum templum steteret ab instauratione sui post solutam captivitatem Babylonicam annos circiter *CCCCLXXXVII*, post prioris templi excidium *DCLIX*. Reliqua temporis proximi dubitationem non habent ad finem Adriani, & initium Antonini Pii imperatorum. Nam de initio Adriani qui quæstionem movent, sine causâ iustâ id faciunt, cum de tempore excessus Trajani, & imperii ejus duratione constet ex annalibus.

*D E F I N E A D R I A -
N I I M P.*

TVerbat Scaligerum maximum virum autoritas Spartiani, qui vitam Adriani scripsit, & imperii annos Adriano tribuit *XXI*, & menses *XI*. Sed, ut liberè dicam quod sentio, sine ratione. Nam Dionis scriptoris diligentissimi autoritas haud paulò major est quam Spartiani: ex quo Xiphilinus notat Adrianum imperasse annos solummodo *XX*, & menses *VI*: consentiuntque cum Dione Eusebius in canone Chronico, & Eutropius in historię Romanę compendio; quorum prior annos *XXI* sine mensib. appendicib. imperio ejus assignat, alter obiisse eum scribit imperii anno *XXI*, mense

mense x die xxxix. Nam licet Eusebius uno mense plus dicat quam
 Dion, & Eutropius mense uno minus, id parvi momenti est, forsanque vi-
 tio librariorum in Eutropio pro mense xi obrepfit x. Et hos chronolo-
 gi posteriores ferè sunt secuti. Et quid si suspicemur Spartianum quoq;
 scripsisse annos xx, menses xi, & incuria describentium annos esse sub-
 stitutos xxxi? de quo optimè etiam monet nos summus vir Isaacus Casau-
 bonus in notis ad Spartianum. Scaliger autem temerè libris Spartiani
 turbatus etiam in Ptolemaicis rationib. ad tuendum id, quod à Spartiano
 arbitratus est esse scriptum, nescio quid implicat, & à se aliisque bonis au-
 torib. dissentit. Imprimis labitur in eo, quod Xiphilinum quoque in
 animadversionibus ad Eusebium paginâ cxcxi scribit annis imperantis
 Adriani xxxi adjicere menses xi contra fidem optimorum codicum ty-
 pis editorum, in quibus sic legitur: *ἑμὴ ἀρχήσεν ἐτὴ εἴκοσι, καὶ μῆνας ἑνδεκά.*
 Ptolemæus autem, quicquid hæc nodi est, secat, omnemque dubitationem
 tollit. Nam is libro *μεγάλης συντάξεως xi* observasse se scribit stel-
 lam Iovis anno Adriani imp. xxxi, die Paophi mensis Ægyptij xiiii, horis
 duab. ante mediam noctem, in piscium gradu vii min. 54: & rursus ean-
 dem Iovis stellam observasse se notat anno primo Antonini Pij imp. die
 xx Athyr, horis xvii post meridiem in Arietis gradu xiv, min. 23:
 denique ait à priore observatione ad alteram intervallum fuisse anni unius
 Ægyptiaci, vel Nabonassarei, & dierum xxvii, horarum vii. Quod
 solum intervallum eos refutat, qui Adriano imperii annos assignant xxxi,
 & menses xi. Est autem extra controversiam, id, quod ante etiam mo-
 nuisse me memini, astronomos astronomicis annis æqualibus, cujusmodi
 sunt Nabonassarei, tempora metientes primos regum imperatorum ve an-
 nos inchoare non ab iis dieb. quibus reverà regnare aut imperare cep-
 erunt, sed à proximo Thoth, qui aperit annum Nabonassareum. Sic
 apud Ptolemæum Trajani initium ducitur à die xxx Julij in anno periodi
 Iulianæ mmm. dccc. x, Adriani à die xxv Julij in anno periodi ejusdem
 mmm. dccc. xxix, Antonini Pij à die xx Julij in anno periodi mmm.
 dccc. l, quia capita annorum Ægyptiacorum proxima in eos dies Ro-
 manos inciderunt: quanquam Trajanus imperare cepit die vi Kalend.
 Februarij, Adrianus iv Eid. Augusti, Antoninus vi Eid. Julij annis
 illis iisdem jam memoratis. Cum primo igitur anno astronomico
 Trajani surgebat annus Nabonassareus dccc. xlv, cum primo Adriani
 dccc. lxxiv, cum primo Antonini dccc. lxxxv: quod ex multis locis
 Ptolemæi fit liquidum. Verum autem eorum initium incidit in annos
 nostræ Christianæ vulgaris xcvi, cxvi, cxxxvii, & dies supra di-
 ctos. Ad hunc modum Adriani imperio ad annos xx, menses xi re-
 stituito, & Antonini principio suæ sedis restituito, patet tot annos imperio
 hujus deberi, quot ei à Xiphilino breviatore Dionis adscribuntur, scilicet
 xxiv, quanquam ratio jubeat à mortis die, & successoris initio sumpta
 quatuor menses demere, & Eusebius perperam menses solum tres supra
 annos xxxi ei concedat. Sequentium imperatorum ad initium Ale-
 xandri Severi annos, menses, & dies accuratè notavit Dion, & ex eo ab-
 breviator ejus Xiphilinus. Alexandri Severi annum primum firmat Hip-
 polytus episcopus caractere insigni in cyclo suo *ἐκκαιδεκατηρίδι*, quâ isto
 anno copulat Lunam xiv cum ipsis Eidibus Aprilis, & sabbato: quod
 certum est aliquot annis eo sæculo accidere non potuisse, nisi æræ Chri-
 stianæ vulgaris Dionysianæ anno cxxxii, qui concurrat cum anno pe-
 riodi Iulianæ quatermillesimo, nongentesimo, tricesimo quarto, Iu-
 liano cc. lxxvii, Olympiadis ccl. primo & secundo, Nabonassareo
 item

item DCCCCLXIX. & sequente. Cæpisse scribitur Alexander, Varius Heliogabalo à militib. Romæ occiso, circiter Nonas Martias. Ab isto autem anno Iuliano finito ad initium consulatus M. Vlpri Criniti, & Proculi Pontiani, sub quib. consulibus imperare cæpit Gordianus III, sine dubio intervenere anni xv. Non enim solum dinumeratio annorum in fastis consularib. qui hâc parte vitio carere putantur, hoc demonstrat, sed etiam convincit character ille longè nobilissimus, quem consulatui Criniti & Pontiani Censorinus impressit, putator temporum diligentissimus & accuratissimus, eodem illo anno scribens, de quo diximus jam sæpè. Cui sanè characteri, qui commissuram habet diversarum præcipuarumq; ærarum nobilium, debemus non solum *βεβαίωσιν* proximorum temporum, verum etiam certitudinem intervallorum, quæ sunt à principio Olympiadum Iphitearum, à conditâ urbe Româ, à capite æræ Nabonassaræ, à primis Kalendis Ianuariis per C. Cæsarem reformatis ad tempus istud, quo scribebat Censorinus. Si quis hoc loco *ταυτολογίας* me velit accusare, respondebo ei, quod usurpari sæpè solet, *καὶ δις καὶ τρίς τὰ καλὰ*. Congruit autem consulatus Criniti & Pontiani, quo imperare cæpit Gordianus III, per tumultum militarem Pupieno & Balbino everfis, cum anno Christi Dionysiano CCXCVIII: cum quo historiam suam à morte Antonini Philosophi incoatam finit Herodianus scriptor elegantissimus, & prudentissimus, res annorum circiter LX complexus.

DE INITIO DIOCLETIANI.

AB hoc primo Gordiani anno in definiendis singulorum sequentium imperatorum temporibus, quot nimirum annos, menses, dies habenas tenuerint, ad initia Constantini Magni mira est apud scriptores vacillatio, vix ut scire possis certò, quid sequi conveniat. Interim hîc illic characteres quidam inferuntur, qui majora intervalla firmant. Cujusmodi est, quod Philippus imperator anno imperii sui quarto surgente, se II, & filio cognomine Coss. annum urbis Romæ millesimum celebraverit, qui fuit annus Christi Dionysianus CCXLVII: item quod Probi annus secundus origine sædę hærescos Manicheorum infamis fluxerit cum anno Antiocheno CCCXXV, cum Laodiceno CCCXXIV, cum Tyrio CCCCI cum Edesseno DLXXXVIII, ut notatum est in chronico canone Eusebij: quem annum Eusebius copulat cum anno Christi secundum rationes suas CCLXXVIII, qui Dionysianus est CCLXXVII, congruens cum anno periodi Iulianæ quatermillesimo, nongentesimo, nonagesimo, cujus æstate mediâ celebrata fuit Olympias CCLXIII: Et quod initium Diocletiani proximum fuerit capiti æræ Martyrum Ægyptiis & Orientalibus usitatę, quam eam quoq; ob causam puto Diocletianeam esse appellatam: quæ æra cycli aschalis ergò instituta Ægyptiis cæpit à die XXIX mensis Augusti, Diocletiano II & Aristobulo Coss. anno periodi Iulianæ quatermillesimo, nongentesimo, nonagesimo octavo, Græcis verò & Latinis à mense Martio anni sequentis, qui convênit cum anno Christi Dionysiano CCLXXXVI, Iun. Maximo II, & Vettio Aquilino Coss.: rursus quod cum anno XIX non æræ Martyrum, sed imperii Diocletiani (sic enim disertè loquitur Eusebius in historiâ ecclesiasticâ) ut certius signetur tempus rei gravissimæ, connectatur ab Eusebio in canone chronico annus Antiochenus CCCLI, annusque Christi Eusebianus CCCIV, qui est Dionysianus CCCIII, quo cæpit circiter pascha crudelis Christianorum persecutio, numero decima, ipso Diocletiano VIII, & Maximiano Herculeo VII Coss. quodque annum persecutionis hujus secundum, quo iidem hi

positâ

positâ purpurâ, abdicatoque solenniter imperio, ille IX, hic VIII consul, vitæ se privatæ reddiderunt, Zosimus autor bonus affirmet distare annos CI ab anno, quo consules fuere Chilo & Libo, & Septimius Severus imp. ludos sæculares Romæ celebravit, uti & Zosimus idem, & Censorinus nos docent, quemque & Severi in imperio XII fuisse, & cum Antiocheno anno CCLI fluxisse, & in ærâ Christi Eusebianâ CCCV, Dionysianâ CCCIII numeratum esse ex Chronico Canone Eusebii discimus. In quo certè character est firmandis temporibus illis non temendus. Nam assurgi hinc ad caput æræ Antiochenæ, ac ad ætatem Euagrii scriptoris itidem valdè boni, qui & Antiochenus ipse fuit, & hac grâ multum est usus, descendi rectè potest.

DE IMPERIO CONSTANTINI MAGNI.

Constantium Chlorum obiisse in Britannia anno Christi CCCVII ex mente suâ notat Eusebius autor *σύγχρονος*, eique statim successisse ex voluntate exercitus filium Constantinum Magnum. Cœpit igitur hic fluente anno Christi Dionysiano CCCVI, idque ut docet Scaliger, & alioquin ex fide autoribus liquet, VIII Kalend. Augusti. Idem exacto imperii sui anno sexto Maxentium tyrannum Romæ obsessum evertit: quem constat periisse anno Christi Eusebiano CCCXIII, Dionysiano CCCXII die VIII Calend. Octob. A quo tempore novâ æram orsus est, aut in Oriente, maximèque Antiochiæ Syriæ jam pridem usitatam renovavit, & celebriorem reddidit Constantinus, cui ex re indictionum nomen dedit: cujus usus perennavit ad posteros, & pervenit ad nos. Ea cum copulatur cum annis Antiochenis, quod fit apud Euagrium, aut cum ærâ Christi Dionysianâ, annisve imperatorum aut regum, quod usurpatum à scriptoribus multis posterioris temporis est, haud parum quoque certitudinis rationibus Chronologicis affert. Longius ire hac in re non necessum puto.

K

LACINIA

L A C I N I A

BREVIS ADIECTA,

Ostendens rectum modum applicandi dies cujuslibet
anni Nabonassarci diebus Iulianis.

V T annos Nabonassarcos seu Ægyptois
rectius adaptes annis Iulianis, et, quod ca-
put rei est, primum diem Thoth in longâ
annorum serie ubique sine vitio connectas
cum die Iuliano, ante omnia annos bisex-
tiles sive intercalares in periodo Iulianâ & ærâ Chri-
stianâ nosse te, ac in promptu habere oportet. Eos sic
cognosces. Si annus, de quo quæris, est periodi Iulia-
næ, abjice à numero, si tam grandis sit, primum omnes
millenarios, deinde & centenarios, demùm etiam vice-
narios quales sunt 80, 60, 40, 20: residuumque divide per
4: à qua divisione si unitas relinquatur, indicium est,
annum eum esse bisextilem: sin 2, aut 3, aut nihil, esse an-
num communem: At si annus est æræ Christianæ, factâ
abjectione simili, residuoque similiter quoque diviso, si re-
liquum manet nihil, arguit itidem annum esse bisexti-
lem: sin superest aliquid, significat annum esse commu-
nem. Primus enim totius periodi bisextilis est, & quar-
tus æræ Christianæ itidem. Et falluntur omninò, qui
annum confusionis, quem ad reformandos annos Roma-
nos plurimis diebus infertum C. Cæsar auxit, quique
primas Kalendas Ianuarias reformatas proximè ante-
cessit, bisextilem aut intercalarem ordinarium fuisse ar-
bitrantur, cum ipse annus primus reformatus bisextilis
fuerit. Quæ omnia ex ordine nobis jam notissimo, & per
tot sæcula in usu communi posito, si eum in anteriora ad
istâ usque tempora extenderimus, sine dubio patescunt,
& certissima fiunt. Ut verò ne Arithmeticâ quidem ra-
tione habeas opus, inspice modò canonem nostrum chro-
nicum. Nam in eo quartus quisq; annus paginae cujusvis
itent

vis, item octavus, XII, XVI, ultimus, sive eos capias in ærâ
 periodi Iulianæ, sive in Christianâ, sive etiam eâ, quæ ab
 initio mundi ducitur, sunt intercalares. Et, quod eodem
 redit, primus quisque annus paginæ, item, V, IX, XIII, XVII,
 sunt primi ^{τὸ ἐξ ἀρχῆς} ^{ἰδού}, cujus ultimus semper est intercalaris.

Porro caput anni Nabonassarei fixum aut stabile nō
 est, sed locum mutat, et totum annum Iulianum omnesque
 anni ejus dies cum toto Zodiaco cælesti perambulat, ut est
 ante à nobis expositum. Ambitum verò hunc tot annis Iu-
 lianis conficit, quot dies quatuor annis Iulianis commu-
 nibus continentur: spacio scilicet minorum Iulianorum
 M. CCCC. LX. qui pares sunt dierum numero annis Na-
 bonassareis seu Ægyptijs M. CCCC. LXI. Tot n. anni Iuliani
 dies intercalares CCLXV. absorbent, quorū expertes Na-
 bonassarei sunt, qui integrum annum Nabonassareum,
 ut & Iulianum communem conficiunt. Unde annus unus
 numero Nabonassareorum accrescit. Perambulat autē
 Neomenia Thoth, quæ caput est anni Nabonassarei,
 annū Iulianum, progrediens semper in anteriora passuq;
 æquali. Singulis quippe quadrienniis in anni Iuliani for-
 mâ diem unum anticipat, id est, quam sedem per annos
 quatuor tenuit, eam anno quinto relinquit, & transfert
 in diem anni Iuliani proximè præcedentem: migratioque
 illa non accidit nisi anno bisextili, qui migrationi isti pro-
 prius est, & quidem mox à Kalendis Martiis. Et hæc
 ratio migrandi perpetua est, nisi cum migrandi ordo istuc
 devenit, ut à Kalēdis Martiis sedes Neomeniæ Thoth
 transferenda sit in diem ultimum Februarij, qui tum ne-
 cessariò est vicesimus nonus; quia annus est intercalaris,
 extra quem migratio fieri non potest. Et quoniam dies ille
 XXIX. Februarij redundans est supra modum anni Iuliani
 cōmunis, Neomenia Thoth non hæret in eo, ut in omnib.
 cæteris anni Iuliani dieb. per quadriennium, sed statim
 anno proximè sequēti migrat in XXVIII. Februarij, indeq;
 redit ad rationem ordinariam. Causa hujus non alia est,
 quam quod quemadmodum dies ille Februarij XXIX jam

memoratus supra modum anni Iuliani communis redun-
 dat, sic annus iste Nabonassareus, qui ex eodē ter centies
 sexagies quinquies collecto existit, quasi pro nullo in hac
 ratione habeatur: atq; ideò anno proximo statim transla-
 tio fit Neomeniæ I both in eum diē, qui in anno cōmuni
 immediatē præcedit Kalendas Martias, perinde ac si
 annus ille Nabonassareus, ex collectione intercalariū die-
 rū proveniens, non esset. Id verò, ut jam dixi, recurrere
 non potest nisi post annos Iulianos absolutos MCCCCLX. Ac-
 cidit autē hoc ipsum anno periodi Iulianæ quinquies mil-
 lesimo, quadringētesimo, decimo septimo, æræ Christianæ
 vulgaris DCCIV, Nabonassareæ MCCCCLII ineunte, imperāte
 apud Constantinopolitanos Tiberio Apsimaro, apud Frā-
 cos regnāte Childeberto II: quod in canone chronico vide-
 re licet positū ob oculos. Nec factum id est prius toto tem-
 pore post initium Nabonassari, nec posterius usq; ad nos.
 Potuisset verò fieri, et factū utiq; fuisset anno periodi Iu-
 lianæ ter millesimo, nongētesimo, quinquagesimo, septimo,
 novēnio ante caput æræ Nabonassareæ, si utrumq; anni ge-
 nus tunc in usu fuisset. Idē de anno periodi Iulianæ bis-
 millesimo, quadringētesimo, nonagesimo, septimo, post di-
 luvii anno LXXVII vivente et florente Salab patre Heber,
 filio Arphaxat; & rursus de anno periodi Iul. MXXXVII
 concurrēte cum anno mundi conditi CCLXXIII, ætatis Seth
 filij Ἐπεὶ πλάσθη CXLIII, filijq; hujus Enos XVII, æræ Iudaicæ
 LXXXIV, dici rectē potest. Quæ cuncta in canone quoq; sunt
 à nobis notata. Quemadmodū autem in toto decursu sæ-
 culorum mundi quater tantum fieri potest, ut neomeniā
 I both à Kalēdis Martij transeat in diem XXIX Februarij,
 ita nec pluries potest accidere, ut eadē Neomenia con-
 currat cum Kalend. Ianuarij Iuliani, id est, caput anni
 Nabonassarei jungatur cum capite anni Iuliani. Et quod
 de primis dieb. primi mensis in utriusq; anni genere heic
 dicitur, id de primis dieb. reliquorum mensium omnium,
 imò de quovis die cujusvis, aut totius anni rectē dici potest.
 Non enim reditus fit Neomeniæ I both aut Neome-
 niarum

niarum reliquarū, ceterorumve anni Nabonassarei die-
 rum ad eandem sedē nisi post annos Iulianos MCCCCLX ex-
 actos. Bis verò Neomenia *Thoth* concurrat cum Kalen-
 dis nostris Ianuarijs ab initio æræ Nabonassereæ usque
 ad nos: prius anno periodi Iulianæ quater millesimo, cen-
 tesimo, nonagesimo surgente, cum quo tum pariter sur-
 rexit annus Nabonass. CCXXXIV sub Cambyse Persarum
 rege, anno mundi fluente ter millesimo, quadringentesi-
 mo, vigesimo sexto; mansitq; tunc eadē Neomenia *Thoth*
 conjuncta cum Kalendis Ianuarijs toto quadriennio ad
 annum nimirum periodi Iul. quater-millesimum centesi-
 mum nonagesimum tertium exeuntem, cum migravit re-
 trorsum gradiens in diem XXXI Decembris, qui ejus totius
 anni est ultimus: iterum anno periodi Iul. quinquies mil-
 lesimo, sexcentesimo, quinquagesimo, Christi DCCCCXXXVII,
 Nabonassari MDCLXXXV nascentibus, anno verò mundi
MDCCCLXXXVI currente, Ottone Magno apud Germanos
 à morte patris ante semestre imperiū auspicato, quo tem-
 pore itidem hæsit νοηδρία θωδ in eadem sede Kalendarum
 Ianuarij per annos quatuor, ex eaque demum transit in
XXXI diem Decemb. anni in periodo Iul. quinquies mille-
 simi, sexcentesimi, quinquagesimi tertij expirantis, qui
 decurrerat cum anno Christiano DCCCCXI. Intervallum
 inter utrumq; tempus sub Cambyse & Ottone est annorū
 Iulianorum MCCCCLX, Nabonassareorum MCCCCLXI exa-
 ctè. De priorib. annis, quib. idem accidere potuit, non
 libet dicere, cū id ex his jam dictis per se fiat manifestū.
 Quomodo verò quilibet dies datus in anno aliquo Nabo-
 nass. connectendus sit cum die certo anni Iuliani, & con-
 trā, quod permagnum usum habet in Chronologiā, id
 optimè & planissimè exposuit clarissimus & doctiss. vir
 collega meus, D. Nicolaus Mulerius in Isagoge suā
 in Kalendarium Romanum, ex cujus fontibus multa no-
 stra profluxerunt: ad quem lectores hujus rei cognoscen-
 da cupidos remitto; atq; ita huic quoq; laciniæ attextæ fi-
 nem impono.

Lacinia huic lubet subjicere eruditissimam *diatribe*
de annis Arabicis, & eorum recta comparatione
& connexionem cum annis diebusque nostris, ab
hac materiâ, quàm heic tractamus, non alienam,
imò ad tempora Turcarum & Saracenorum benè
intelligenda perutilem, ne dicam necessariam:
quam interea, dum ultima libri hujus quarti ex-
cudebantur, occasione colloquii alicujus nostri
de hisce studiis conscripsit idem ille quem hono-
ris ergo jam saepe nominavimus, collega & a-
micus noster in hac disciplina exercitatissimus
D. NICOLAUS MVLERIVS, eamq; nostro arbi-
trio permisit.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ

*Eruditissima de annis Arabicis, & eorum rectâ
comparatione & connexione cum annis no-
stris, quâ plenius & accuratius explicantur ea,
quæ libro primo horum commentariorum, in fine
capitis de annis variis succinctè & generatim à
nobis sunt dicta:*

AUCTORE

D. NICOLAO MVLERIO.



Annus sunt vel *Astronomici* sive *Cælestes*, vel *politici* sive *civiles*. Hunc metiuntur ac constituunt dies integri absque ulla horarum vel scrupulorum appendice. In anno autem cælesti præter dierum numerum consideranda veniunt dierum scrupula, horæ horarumq; momenta. Itaq; quoties agitur de annorum diversorum comparatione ac copula, cavendum est, ne cõparentur cælestes cum politicis; sed cælestes cū cælestibus, & civiles anni cum civilibus sunt cõferendi. Anni civiles singuli non possunt quadrare cum singulis annis cælestibus, sed certus annorum civilium numerus (*Periodum* vocant) tandē redit in gratiam cum cælo. Ita annus unus Iulianus à cælo disfidet quadrante diei, sed anni Iuliani quaterni adhibito bissexto remedio cum totidem annis cælestibus conveniunt. Idem est sentiendum de annis Arabicis, qui cum singuli nonnihil discrepent à motu Lunæ, tamen triginta anni Arabum civiles planè congruunt cum totidem annis cælestibus motu Lunæ descriptis. Comparandus nobis est annus Arabicus civilis cum anno Romano civili. Quorum hic est mære Solaris, ille verò mære Lunaris. Uterque duodenis absolvitur mensibus. Sed in anno Arabico menses ad Lunæ motum describuntur. & sunt alternis pleni, utpote dierum 30, alternis cavi uno die deficientes. Neomenia Arabum cælestes ineunt à momento congressus Solis & Lunæ juxta motus medios, ut loquuntur Astronomi. Neomenia verò politica integro die vel biduo serius veniunt, initium à nocte sive ab occasu Solis sumentes, quod diei principium etiam apud Iudeos obtinet. Luna ab Arabibus olim pro numine culta. Adorabant igitur Lunam à solis congressu novellam ac primum conspicuam. Idcirco usus obtinuit ut à prima Lunæ apparitione auspicerentur mensem novum civilem, vesperi post occasum solem.

Anni quantitas.

Annus cælestis definitur diebus 354 cum parte quintâ, & parte sextâ unius diei, teste Alfragano. Pars diei quinta, & pars sexta si jungantur constituent undecim trigesimas diei partes: quæ partes diei trigesimes sumtæ, ac collectæ undecim dies integros efficiunt absolute, hoc est absque ullo scrupulorum residuo. Ita ut 30 anni cælestes contineant dies 10631. Ex hoc dierum numero consecere Arabes 30 annos civiles hoc pacto. Annos novendecim fecere dierum 354 & annos undecim dierum 355. Illos nuncupare liceat communes, hos verò bissextos more Romanorum. Dies ille accrescit ultimo mensi, uti scribit Alfraganus, qui cum aliàs sit cavius, in anno bissextili est plenus. Quare annus iste habet septem menses plenos, & quinque cavi.

Sunt autem anni bissextilis in *Periodo Arabica* hi: 2.5.7.10.13.16.18.21.24.26.29. uti videre est in *Tabulis Alfonso* ubi enim ex additione scrupulorum diei, summa excedit scrupula 15 sive dimidium diem, Arabes addunt anno suo diem integrum. Ita annus cælestis secundus periodi scrupula habet 22, annus quintus scrup. 25, & septimus scrup. 17, annus decimus octavius scrup. 18, annus vigesimus sextus scrup. 16. Quare dies integer adjicitur ad calem istorum annorum. Consule tabulam heic subjectam ordine quartam.

Epocha Arabum sive Hegiræ.

Initium æræ Arabica incidit in annum Christi 622, mensemque Iulium, quod extra controversiam est. Sed contenditur de capite anni, sive de primo die mēsis Muharram. Albatagnius, Alfraganus, & Alfonso, epocham istam inchoant ab Eidib. Iulij, cum esset feria quinta. Scaliger autem acriter contendit verum
 anni

anni Arabici initium fuisse 16 Julij feriâ sextâ. Nec desunt qui Scaligero ad-
 stipulentur. Alfragani verba hæc sunt: Character annorum Arabico-
 rum à tempore, quo fugit Machomet ex Mechâ in civitatem, quæ appel-
 latur Ictrib, est * dies quintus. *Alfonfina tabula in epocharum collatione* * id est
 constanter retinent feriam quintam, hoc est, diem 15 Julij: ut cum interval-
 lum ab Epocha Christi ad Epocham Arabum statuunt dierum 227015: Item
 à Nabonassaro ad dictam epocham dies 499801. Juxta Scaligeri verò pla-
 citum dies esse debebant 227016, & 499802. Scaligeri sententia nititur
 exemplis recentioribus literarum Constantinopoli ac aliunde missarum. Novilu-
 nium autem astronomicum juxta canones Ptolemei, Alfonsi & Compernici
 illo anno 622. fuit mediâ nocte inter decimum tertium & decimum quartum
 diem Julij sub meridiano Alexandrino, feriâ quartâ. Secundum veros mo-
 eadem Neomenia fuit eodem die 14. Julij mane circa ortum Solis, qui tunc atti-
 gerat 24 cancri. Quidam Saracenus teste Christmanno, hac de re sic scribit:
 Quidam incipiunt computationem mensium à nocte quintæ feriæ, *hic scriptor*
 & ponunt ibi Almuharam anni repulsionis: & quidam ponunt ipsum à nocte *videtur ex*
 diei Veneris, & secundum illud fixus est noster liber: quoniam ista dies *recentiori-*
 fuit initium anni veri, & est magis conveniens * ortui novæ Lunæ. Dies *bus esse.*
 Veneris est feriâ sexta; aliâs ab Arabibus vocatur dies congregationis, quoniam
 illis est dies sacra, quemadmodum nobis dies Dominica observatur, & Judæis
 Sabbathum. Existimant nonnulli Astronomos secutos fuisse epocham caelestem,
 atque idèd posuisse feriâ quintam, cum tamen epocha civilis fuerit feriâ sexta.
 Sed refelluntur, quoniam Novilunium Astronomicum fuit feriâ quarta,
 ac præcessit initium feriæ quinta horis ferè viginti. Et Luna ad occasum
 properabat semihorâ post solem. Quenam igitur est disensionis causa? Dicam
 quod sentio.

Annus Arabicus caelestis supra dies integros 354 habet scrupula diei unde-
 cim trigesima. Sed juxta Astronomiam Alexandrinam annus idem debebat
 esse paulò major, additâ nempe parte nonagesima unius horæ. Vti videre est in
 Tabulis nostris Frisicis pag. 74. Judæi secuti astronomiam Alexandrinam sive
 Ptolemaicam in anni Lunaris descriptione, anno suo tribuunt d. 354. hor. 8.
 min. 48. & sec. 40. Arabibus vero annus est hor. 8. m. 48. tantum, neglectis
 40. secundis, quo æquantur horæ parti nonagesimæ. Ergo in periodo trice-
 naria deficit pars horæ tertia, & in tribus periodis, sive in annis Arabicis 90.
 desideratur hora una, & in annis 2160 dies unus. Vnde fortassis accidit, ut Ara-
 bes * posterioris ævi Neomenias suas procrastinarint uno die, ne nimium ac-
 cederent ad Neomenias caelestes. Exempli gratia; anno Christi 1616 novi-
 lunium caeleste juxta Canones Alexandrinos fuit die octavo Januarij circiter
 horam septimam à meridie, feriâ secundâ excunte, more Romanorum, vel feriâ
 tertiâ inchoatâ more Arabum. Juxta methodum mox dicendam Neomenia
 politica Muharam fuit nono Januarij, si sequamur Alfonsinos, vel decimo
 Januarij si feriarum rariâ supponatur feriâ sexta. Itaque ne Muharam civi-
 lis congrueret cum Muharam caelesti, procrastinanda fuit Neomenia civilis in
 diem sequentem. Cur autem Arabes vitent Neomenias caelestes, & ma-
 lint die proximè sequenti, aut proximo biduo celebrare Neomenias civiles,
 suspicor id antiquitus constitutum, ne Solis defectiones unquam contingerent
 Neomeniâ civili, quæ sacri diei lætitiâ corrumpere possint. Vbi verò Luna
 à congressu solis emergens vultu lætiore conspicua est, quasi Maleam aliquam
 prætergressa tutius in aethereo equore navigare creditur. Ne igitur die sacro
 ac solenni aliquid incommodi pateretur Luna, Neomenias suas procrastinasse
 videntur Arabes. Quare necesse fuit, ut Neomenia civilis tardior esset Neo-
 meniâ caelesti ut minimum horis sedecim. quoniam eclipsis Solaris contingere
 potest

*hic scriptor
videtur ex
recentiori-
bus esse.*

** id est
feriâ quar-
ta.*

** Post
tempora
Alfonsi.*

potest horis 15 post mediam Syzygiam, nunquam serius, exempli gratia: in dicto exemplo anni aera Christianae 1616, Syzygia media fuit Octavo Ianuarij, horis 7 à meridie, quo tempore inchoatus jam erat nonus Ianuarij more Arabum. Si addantur horae 15, dabitur hora decima matutina nono Ianuarij secundum nostra Horologia. Quare reliquis ad Solis eclipsim consentientibus potuisset Sol defectioe laborare nono Ianuarij ante meridiem: quo infauſto ostento turbata fuisset diei sacri letitia. Celebranda igitur fuit Neomenia civilis die Ianuarij decimo feria quartâ. Suspicor eandem subesse causſam, cur in periodo triceniariâ annus septimus, annus 18, & annus 26 bissextiles sint potius quàm anni proxime sequentes.

Tabularum constructio ac dispositio.

Sequuntur tabulae annorum conversioni inservientes. Vna est tabula mensium Arabicorum, quorum primus est Muharam, vel praeposito articulo Al-muharam. Tres sunt in istâ Tabellâ numerorum columna. Prima continet dies cuiusque mensis, secunda dies collectos, tertia ferias Neomeniarum. Annorum vero tabulas damus quaternas. In primâ tabulâ docetur, quot anni Arabici redundant supra appositum annorum Rom. numerum, ut in annis Romanis 130 sunt totidem anni Arabici & praeterea anni 4 minus diebus 3: hoc est, anni Arabici 134 aucti diebus tribus equantur annis Romanorum 130. Secunda tabula exhibet excessum dierum supra annos Romanos, ut anni Romani 12 continent totidem annos Arabicos, & praeterea dies 131. item si ex annis Roman. 20 subduxeris 20 annos Arabum, redundabant dies 218. &c. Quandoquidem verò dictus annorum dierumque excessus non est perpetuo idem, sed nonnunquam dies unus & alter in annorum complurium connexionione deficiunt aut abundant, propter anni Arabici contumaciam, qui cum anno Romano agerrimè redit in gratiam, uti testatur magnus Scaliger, : idè opus fuit feriarum tabulis ad connexionem per priores tabulas factam aut firmandam aut corrigendam. Anni Arabici triginta tam civiles quam astronomici complentur diebus 10631, uti supra diximus, si modo ab epocha Arabica initio numerentur, deinde absolutâ unâ periodo sequuntur alia eodem modo sese habentes. Factâ igitur divisione numeri 10631 in 7, relinquuntur dies 5. quo docemur si prima periodus inceperit à feriâ septimâ, secundum periodum triceniariam inituram feriâ quintâ. Idcirco in tabella annis 30 Arabicis respondet feria 5. annus verò 60 feriâ 3, quoniam bis 5 sunt 10: abjecto septenario remanent 3. item addito quinario ad 3, & à summâ abjectis 7 remanet 1 pro feriâ annorum 90. atq; ita porrò constructa est tabula per singulos annorum cyclos, continuâ additione quinarij numeri ad feriam precedentem. Quarta annorum tabella completitur primam annorum Arabicorum periodum, cui similes sunt reliquae omnes periodi ordine sequentes. Litera b annos Arabicos bissextos notat. Deinde appositae sunt singulorum annorum currentium (ut loquuntur) feriae. Ut annus secundus iniens habet feriam 4. annus tertius iniens feriam 2. Nam primo anno tribuuntur dies 354. è quo numero abjectis 7 quoties possunt, remanet numerus 4. at è numero 355 relinquuntur quinarium. Quare annus communis tradit anno sequenti feriam quartam, & annus bissex. tradit feriam 5. At 4. & 5. sunt 9: unde abjecto 7 restat feria 2. pro initio anni tertij. Atque ita totâ conficitur tabula per additionem numeri 4. vel 5. in tabula scribitur numerus redundans supra septenarium. Vltimus annus iniens habet feriam 1. cui si adjeceris 4, habebis feriam 5, pro initio secunda periodi.

Tabula

Tabula mensium Arabicorum.					
Mensium nomina	Dies	Feria	Dies col- lecti.	Feria collecta	
1 Muharam	30	2	0	0	Addito articulo <i>Almuharam.</i>
2 Saphar	29	1	30	2	
3 Rabie prior	30	2	59	3	
4 Rabie post.	29	1	89	5	<i>Apud Alphonsinos hi menses ita vocan- tur,</i>
5 Iumedi prior	30	2	118	6	
6 Iumedi post.	29	1	148	1	
7 Regab	30	2	177	2	
8 Sahaben	29	1	207	4	
9 Ramadan	30	2	236	5	
10 Schewal	29	1	266	7	Savel Dulchida Dulcheya
11 Dilkade	30	2	295	1	
12 Dilagha.	29	1	325	3	
<i>Annus com- munis</i>			354	4	<i>Annus bisextili ultimus mensis augetur die uno. Alfraganus.</i>
<i>Annus bis.</i>			355	5	

*In Historia Musulmannorum à Leunclavio edita, mensium no-
mina sic exprimuntur: 1. Mucharen. 2. Sefir. 3. Rebiul-evel,
4. Rebiul-achir. 5. Tzemasiel-evel, & Zumasiul-evel. 6. Tze-
masiel-achir, & Zumasiul-achir. 7. Rezeb. 9. Ramazan. 10
Schawal. 12. Silchi. Octavus & undecimus menses mihi nondum
occurrerunt.*

DE ANNO ARABICO.

TABVLA PRIMA.		TABVLA SECUNDA.	
<i>Anni Romani.</i>	<i>Anni excessus.</i>	<i>Anni Romani.</i>	<i>Dies excessus.</i>
32	1 minus dieb. 6	1	11
65	2 minus dieb. 2	2	22
97	3 minus dieb. 8	3	33
130	4 minus dieb. 3	4	44
163	5 plus die 1	5	54
195	6 min. dieb. 5	6	66
228	7 plus die 1	7	76
456	14 plus dieb. 2	8	87
684	21 plus dieb. 3	9	98
912	28 plus dieb. 3	10	109
944	29 plus dieb. 3	11	120
977	30 plus dieb. 2	12	131
1009	31 min. dieb. 4.	13	141
		14	153
		15	164
		16	174
		17	185
		18	196
		19	207
		20	218
		21	228
		22	240
		23	251
		24	261
		25	272
		26	283
		27	294
		28	305
		29	315
		30	327
		31	338
		32	348

Tabula tertia.

Anni Arabici	feriae	Anni Arabici	feriae	Anni Arabici	feriae
30	5	480	3	930	1
60	3	510	1	960	6
90	1	540	6	990	4
120	6	570	4	1020	2
150	4	600	2	1050	7
180	2	630	7	1080	5
210	7	660	5	1110	3
240	5	690	3	1140	1
270	3	720	1	1170	6
300	1	750	6		
330	6	780	4	1200	4
360	4	810	2		
390	2	840	7		
420	7	870	5		
450	5	900	3		

Hæc tabula adenda est cum annis absolutis, & tabula quarta cum anno corrente. Vt, si datur annus Hegira 1050 incipiens, hæc tabulam ingrediemur cum annis 1020, & quartam cum annis 30.

Cum Cyclus 30 annorum Arabicorum consistet diebus 10631, abjectis septenariis remanet feria 5.

Feriarum radix vetus est 5. relata ad 15 Julij anno 622. Radix feriarum recentior est 6. quâ hoc ævo utuntur Arabes.

Feria prima nobis dicitur dies Dominica, feria secunda est dies Luna, &c.

Tabula quarta.

Anni Arabici	feriae
1	0
b- 2	4
3	2
b- 4	6
5	3
b- 6	1
7	5
b- 8	3
9	7
b- 10	4
11	2
b- 12	6
13	3
b- 14	1
15	5
b- 16	2
17	7
b- 18	4
19	2
b- 20	6
21	3
b- 22	1
23	5
b- 24	2
25	7
b- 26	4
27	2
b- 28	6
29	3
b- 30	1

In hac tabella litera b designat annos bissextos dierum 355.

Dato anno Christi caput anni Arabici invenire,
five Neomeniam Muharram : & quotus
sit Hegiræ annus.



Emineris annos Hegiræ initium habuisse anno Christi Dionysiano 622 Idibus mensis Iulij feria quinta. Qui dies est 196 à Kal. Ianuarij : adjecto anno erunt dies 561.

Quare ab annis Christi Dionysianis subtrahere numerum 622. Residuum annorum numerum quare in tabellâ primâ uno ingressu vel duobus ingressibus, & si supersint anni pauciores quàm 32, cum illis adenda est tabula secunda: E primâ igitur tabella excerpes excessum annorum, & secunda excessum dierum, & annos excedentes addes residuo annorum Christi numero, dies verò excessus subtrahes ex 196 vel ex 561. Summa annorum docebit quot anni Arabici sint absoluti ab epocha Hegiræ : dies verò ex dictâ subtractione residui indicabunt caput anni Arabici in Calendario Romano. Exemplum. Volo scire quotus annus Hegiræ incurrat in annum Christi 1446; & cui diei quadret Neomenia Muharram?

Facta subductione 622 ex 1446 remanent anni 824. Qui uno ingressu haberi nequeunt, sed oportet bis adire tabulam primam, & semel tab. secundam; hoc pacto:

	Anni		
Anni 684	—	21 plus d. 3.	} adde
Anni 130	—	4 minus d. 3.	
Anni 10	—	0 -- dies 109	

Summa, 824. anni 25 dies 109

Ex hac additione colligimus annos Romanos 824 equari totidem annis Arabiis, & præterea annis Arab. 25. diebus 109. Vbi igitur addideris annos 824 cum annis 25, erunt anni Arabici 849, & insuper dies 109 pertinentes ad annum Hegiræ 850. qui annus inibat diebus 109 ante Idus Iulias. Subductis igitur diebus 109 ex diebus 196, relinquuntur dies 87, qui in Kal. Romano respondent diei 28 Martij. Quo die fuit Neomenia Muharram, si-ve primus dies anni Hegiræ 850. Hæc methodus perpetuò servanda excepto si quando dies abundantes excedunt summam 196. tunc subductio fit ex 561, & dies à subductione residui pertinent ad annum Christi antecedentem. Cujus rei hoc esto exemplum. Queratur annus Hegiræ, & ejusdem caput in anno Christi 1594.

Ann. Christi 1594	
Subduc. — 622	
972.	

Anni 944	—	29 minus d. 3.	} adde
Anni 28	—	0 dies 305	
972	—	29. 302	

Ex additione annorum 972 cum annis 29 provenit summa annorum Arabi-
corum 1001. exactorum, & supersunt dies 302 pertinentes ad annum Hegiræ
1002:

5002: cuius anni caput incidit in annum Christi 1593, quia dies plures sunt quam 196. Vbi igitur subduxeris dies 302 ex 561 reliqui dies 259 indicant annum Hegiræ 1002 inchoari die 16 Septemb. anno Christi 1593. Vel etiam hoc pacto procedere licebit. Dies 302 constituunt annum unum Arabicum minus diebus 52, Ergo si ab idibus Iulij porro numeres dies 52, vel si diebus 196 addideris dies 52, summa 248 monstrabit diem Septemb. 5 anni Christi 1594 quo die inivit annus Hegiræ tertius post millesimum.

Examen per ferias.

ANNO Christi 1446 cyclus solis erat 27, litera Dominicalis B. Quare 28 Martij feria 2. Quo die diximus inivisse annum Arab. 850. Consulamus jam tab. tertiam & quartam. Anni Arabici 840 habent feriam 7, & anno decimo in quartâ tabellâ adharet feria 4. His adde radicem feriarum veterem nempe 5. Summa ex hisce tribus 7. 4. & 5. resultans est feria 2. abjectis septenariis.

Feriarum
radix ho-
die est 6.

Vnde constat dictum annum 850 inivisse feria 2. ac proinde 28 Martij, uti tabula priores demonstrarunt.

In secundo exemplo, anno Christi 1594 fuit cyclus solis 7, litera F. Quare Sept. 5. feria 5, qui dies initium dedit anno Hegiræ 1003 secundum priores tabulas. Anni Arabici 990 habent feriam 4, & anno Periodi decimotertio (quot nempe supersunt ad 1003) addita est feria 3. feriarum radix vetus 5. additi hi tres numeri 4. 3. 5, dant feriam 5. Ergo nihil est erratum in superiori praxi.

Nota. Si feriarum radix fuerit 6, tunc annus 850 habuerit feriam 3. & initium ejus 29 Martij: Anni vero 1003. principium erit sexto Martij feria sexta. Quæ sententia placet Scaligero. Et sane ita usus nunc obtinet apud Turcas. Quod sequenti exemplo manifestò probatur.

* Neomenia
cœlestis
Martij
27. hor. 5.
à meri-
die.
* Cœlestis
4 Sept.
hor. 9. à
meridie.

In literis ab Imperatore Turcico ad Imperatorem Germanorum missis tempus annotatum fuit hoc pacto: Die primo proximi mensis Ianuarij anno Domini Iesu, supra quem sit gratia & auxilium divinum, 1584. Anno transmigrationis magni prophetæ nostri, supra quem sit gratia salutisque divina, 991. die 27 sacrae Lunæ Dhilhitche. Hic mensis est mensis ultimus, qui secundum istam connexionem, finitus est 3 Ianuarij, vespere. Est enim illo anno dierum 29. Experiamur tabularum fidem. Subductis 622 ex 1584 restant anni 962.

Anni 944 habent 29 minus d. 3.		
Anni 18	— 0 —	196
Summa 962.	29	193

Anni 962 & 29 sunt anni 991. & bis accedunt dies 193. qui subducti ex 196 ostendunt annum 992 capisse 3 Ianuarij feria 6, cyclo Solis 25. ergo ultimus dies anni 991. fuit 2. Ianuarij. Qui juxta hanc connexionem finiebat tertio Ianuarij. Consulenda igitur feria anni 992. ex tabulis.

Feria annorum 990 est 4	} adde
Feria anni secundi — 4	
Radix vetus — 5	
Feria anni 992 ineuntis — 6	quadrans cum 3. Ianuarij.

At si radix feriarum ponatur 6. tunc feria anni dicti 992 fuerit 7. & quadrabit cum 4 Ianuarij. atq. sic dies 27 ultimi mensis congruet cum Kal. Ianuarij. E quo loco evidenter docetur Neomenias Turcarum uno die serius celebrari quam postulat

postulat ratio primæ epochæ, ob causas uti arbitror, supra à nobis productas. Neomenia cælestis fuit Ianuarij secundo horis 8 à meridie, hoc est feria sexta jam inchoata secundum Arabes. Quare Ianuarij die tertio mox ab occasu solis inivit annus Arabicus, feria septima.

Aliud connexionis exemplum. Doctissimus Sethus Calvisius in Chronologia ad annum Christi 1191. hunc narrat eventum: Hebræus quidam observavit hoc anno die 23 Martij feria septima ingressum Solis in Arietis constellationem & tempus observationis annotat hoc modo. Dicit eam factam completis annis 1190 & diebus 81 æræ Christianæ, Transactis annis Arabicis 586 & diebus 54. Transactis annis 1938 Nabonassareis & diebus 145. transactis annis 1514 Philippi & diebus 145. transactis annis æræ Hispanicæ 1228 & diebus 81. Transactis annis Alexandreis 1501 & diebus 173. Transactis annis Persicis 559 & diebus 55. Transactis annis Diocletiani 906 & diebus 206. &c. Hactenus Calvisius. Primum monendus est lector, hunc solis ingressum in Arietem pertinere ad stellas quæ sunt in asterismo Arietis, non ad diem æquinoctij: præterea hæc epocharum connexiones recte positas esse à Iudæo, præterquam in diebus Nabonassari & Philippi, ubi redundat dies unus, & pro 145 scribere debuerat dies 144.

Examinemus hoc loco copulam annorum Christi cum annis Arabicis. Erat, inquit, annus Christi 1191. dies 23. Martij feria septima. Isto anno cyclus Solis Rom. fuit 24. litera Dom. F. quare 23. Martij feria septima.

		1191	
		622	subtrahe
		569	
Anni 456	—	14	pl. d. 2.
Anni 97	—	3	min. d. 8.
Anni 16	—	0	-- d. -- 174.
Summa. 569		anni 17.	dies 168.

Anni 569 & anni 17. additi faciunt summam annorum 586. & adnexos habent dies 168. qui dies subducti ex 196 relinquunt dies 28. quare annus Arabicus 587 inibat die 28 Ianuarij dicto anno Christi 1191. & quidē feria secunda.

Quærat feria anni 587 per tabulas nostras. Annorum 570 feria est 4. anni 17 feria est 7. & radix fer. 5. hæc feriæ junctæ reducuntur ad feriam secundam. Quare Neomenia Muharram fuit 28 Ianuarij uti prius invenimus. si numerentur jam dies à 28 Ian. inclusive ad 23 Martij exclusive uti loquuntur, inveniuntur dies 54. vel quod eodem redit, è diebus 81 subducantur dies 27. reliquæ erunt dies 54. Hæc omnino cõsentiunt cum positione Iudæi. congruit etiam feria. Nam si primus anni dies fuit feria 2. dies quinquagesimus quintus habebit feriam septimam. Unde etiam manifestum est, Arabes isto tempore habuisse fer. 5. pro radice feriarum, non feriam sextam. Nam si fuisset feria sexta radix feriarum, tunc Neomenia Muharram incidisset in feriam tertiam, & dies anni à Iudæo notatus in feriam primam. Nec etiam fuit necesse, quia Neomenia cælestis erat 27. Ianuarij mane horis 3. min. 38 à media nocte. à quo tẽpore in ortum Solis dici vigesimi-octavi spatium erat horarum 26. Ergo Neomenia sacra Arabum pollui non potuit solis defectu, quemadmodum hoc ævo posset si eadem servaretur feriarum radix.

Nec dum necessitas ista urgebat Regis Alfonso ævo. Nam annus Muhametanus cælestis 659 inibat anno Christi 1260 Decembris quarto horis fere 2, post meridiem, feria septima; Civilis verò Neomenia Mucharan feria prima ex radice 5. intervallum inter novilunium cælestis & diluculum diei quinti est horarum fere 28. quod Neomeniam Civilem præstare potest immunem à solis deliquio.

Invento

Olim feriarum radix fuit 5.

Invento anni capite, reliquas ejusdem

anni Neomenias invenire.

A NNO Christi 1619. Neomenia Muharram ex superiore Metho-
do quadrat cum 28 Novemb. feria 1. Erat initium anni Hegiræ
1029. qui est ordine nonus in periodo Arabica, uti docet tabula ter-
tia, in qua anni 1020 absolvunt periodos integras. Nonus annus, ex ta-
bula quarta est annus communis dierum 354. Querantur nunc reliquorum
mensium Neomeniæ ex tabula mensium, sumto anni principio à die 28 No-
vemb. feria prima.

<i>Annus He- giræ 1029 maximam partem con- currentem cum anno Chri- sti 1620.]</i>	1 Muharram	28 Novembris	feria 1.	An. 1619.
	2 Saphar	28 Decemb.	feria 3.	
	3 Rabie prior	26 Ianuar.	feria 4.	An. 1620.
	4 Rabie posterior	25 Febru.	feria 6.	
	5 Iumedi prior	25 Martij	feria 7.	
	6 Iumedi posterior	24 Aprilis	feria 2.	
	7 Regab	23 Maij	feria 3.	
	8 Sahaben	22 Iunij	feria 5.	
	9 Ramadan	21 Iulij	feria 6.	
	10 Savel	20 Augusti	feria 1.	
	11 Dulchida	18 Septemb.	feria 2.	
	12 Dulcheia	18 Octob.	feria 4.	

Alternis adduntur dies 30 fer. 2. & dies 29 feria 1. & tum meminisse oportet annum Christi 1620 esse bisextilem.

Si demum pro ultimo mense adjeceris 29 dies fer. 1. Dabitur initium anni Arabici 1030. die 16 Novemb. feria 5. dicto anno Christi 1620. Quod etiam obtinebitur adjectis diebus 354 ad 28 Novemb. anni 1619. & è summa subductis diebus 366. quia annus Christi 1620 est bisextilis, remanebit summa dierum 320 respond. diei 16 Novembris.

Si porro libeat aliquot sequentium annorum invenire principia sive Neomenias Muharram, id facili compendio obtinebis, subtrahendo ex diebus mensum nostrorum dies 11. pro anno communi Arabico, & dies 10 si annus Arab. fuerit bisextilis; feriis vero addendo hic 5. illic 4. Annum communem ab anno biss. distinguit tabula quarta. Habenda quoque est ratio annorum bisextilium Romanorum.

Anni Hegiræ	biss. 1030	Novemb. 16	feria 5.	Anno Christi 1620. biss. A.
	1031	Novemb. 6	feria 3.	lit. g.
biss. 1032	1032	Octobris 26	feria 7.	lit. f.
	1033	Octobris 15	feria 4.	lit. e.
biss. 1034	1034	Octob. 4	feria 2.	Anno 1624. biss. lit. C.
	1035	Septemb. 23	feria 6.	lit. b.
biss. 1036	1036	Septemb. 12	feria 3.	lit. a.
	1037	Septemb. 2	feria 1.	lit. g.
biss. 1038	1038	Augusti 21	feria 5.	Anno 1628. biss. lit. E.
	1039	Augusti 11	feria 3.	lit. d.
biss. 1040	1040	Iulij 31	feria 7.	lit. c.

Anni Hegiræ						anni Christi
biff.	1041	Iulij	20	feria 4.	lit. b.	
	1042	Iulij	9	feria 2.	lit. g.	Anno 1632.
	1043	Iunij	28	feria 6.	lit. f.	
biff.	1044	Iunij	17	feria 3.	lit. c.	
	1045	Iunij	7	feria 1.	lit. d.	
biff.	1046	Maj	26	feria 5.	lit. b.	Anno 1636.
	1047	Maj	16	feria 3.	lit. a.	
	1048	Maj	5	feria 7.	lit. g.	
biff.	1049	Aprilis	24	feria 4.	lit. f.	
	1050	Aprilis	13	feria 2.	lit. d.	Anno 1640.

Feria in hac praxi instar fili Ariadnei tibi est, aberrare non permittens.

Anno Christi 1620 Syzygia astronomica est Novembris die 14 horis fere septem post meridiem. Cum Arabibus jam inchoatus esset dies decimusquintus, sive feria quarta. In quem diem incideret Neomenia Muharam si feriarum radix eadem esset quæ olim. Sed ob tam breve intervallum accidere potuisset ut aliqua tandem Neomenia profanaretur tenebris ex Solis defectu repente abortis. Quare Neomenia civilis translata fuisse videtur in feriam sequentem.

Annos Hegiræ ad annos Christi reducendi Methodus.

HACTENVS annos aræ Christianæ primum datos, cum annis Arabum copulavimus, sed si forte anni Hegiræ sive Arabum primum dati fuerint, poterunt & illi ad annos Christi reduci tabularum nostrarum subsidio.

Scaliger exemplum habet lib. 5. Emendat. temporum pag. 370. In vetustissimo, inquit, *Almagesto Latino* ita memini me legere: Liber hic præcepto Maimonis regis Arabum, qui regnavit in Baldach, ab Alhazer filio Iosephi filii Maire Arithmetici, & Serigo filio Elbe Christiano in anno 211 & c. sectæ Saracenorum translatus est. In tabula prima queratur numerus annorum qui cum sua appendice proximè accedat ad 211. uno ingressu vel pluribus. Video numerum hunc 195 cum appendice 6 annorum efficere annos 201. Quibus si adjiciantur anni 10 tota summa erit 211. Omisâ appendice sexennali addè hos numeros 195. 10 & 622. Ex additione consurgunt anni Christi 827. Ex præcedenti methodo invenies annum Hegiræ 212 capisse anno Christi 827 Aprilis 1 feria secunda, cum radix feriarum esset 5. Quo anno versus fuit Ptolemaus à Græco in Arabicum sermonem. Scaliger habet 2. Aprilis fer. 3. Illustria exempla apud Leunclavium passim: Anno Muhametano, inquit, 836. die 28 mensis Schavalis qui Mercurij dies erat, horâ 22. lumen solis ad horam dimidiam defecit. Primum numeri ex prima tabula 684 & 97. cum suis excessibus 21. & 3. constituunt annos 805. Quibus si adjicias 30 ex secunda tabula, erunt anni 835 Arabici. Qui demto excessu 24 annorum sunt anni Romani 811 ab Epocha Mahometana. His igitur si addantur anni 622, habebis annum Christi 1433 congruentem saltem aliqua ex parte cum anno Arabico 836. Si jam juxta methodum explores quotus annus Arabicus iniverit anno Christi 1432 & quo die anni, invenies annum 836 inivisse anno Christi 1432 Augusti die 28 feria 5. & Neomeniam Schavalis anno 1433. Maj 21 feria 5. & diem Schavalis 28 congruere cum Iunij 17. feria 4. sive Mercurij, supposita videlicet feriarum radice 6. At juxta tabulas Alexandrinæ à nobis editas (in opere
Tabul.

*Neomenia talestis Martij 31. 9. 28.

Tabul. Friscarum) *Novilunium eclipticum fuit Anno Christi 1433. Iunij die 17. inter horam tertiam & quartam pomeridianam. Cyclus Solis Romanus erat 14. Vidē omnes temporis caracteres accuratē inter se consentire?*

Aliud exemplum illustre ex eodem Leunclavio: Constantinopolis à Muhamete Turca oppugnari cœpta anno 857 die 17 mensis Rebiul-evel, & tandem die vigesimo mensis Tzemasiel-evel, qui dies Martis erat, tempore matutino in hostium venit potestatem.

Anni 684. 130. cum suis excessibus 21. & 4. efficiunt annos 839. adjectis annis 17. sunt anni 856. absoluti. qui demtis excessibus 21. & 4 sunt anni Romani 831. Hisce adde 622. & summa 1453 docet hac incidisse in annum Christi 1453 aut proximè. cyclo solis 6. Iuxta nostram methodum dicto anno Christi 1453 inivit annus Arabicus 857. die Januarij 12. feria 6. Mensis Sefer 11 Februarij feria 1. Rebiul-evel 12 Martij feria 2. Rebiul-achir 11 Aprilis feria 4. Tzemasiel-evel 10 Maj feria 5. Et dies vigesimus 29. Maj feria tertia.

Quare secundum Turcorum annales Constantinopolis capta fuit anno Christi 1453. Maj die 29. Idem tempus à plerisque Christianis notatum fuit. Et addunt Hungarorum annales accidisse die Martis qui præcessit festum corporis Christi: quod festum isto anno fuit 31 Maj.

Aliud ac certius examen per
Tabulas Frificas.

FInem huic Diatribæ facturus monendum putavi lectorem, totam nostram methodum certis inniti Astronomiæ fundamentis. Ex quibus (si forte dubitemus) omnia explorare liceat. Exempli gratia, cum dico annum Arabicum 857 inchoatum anno Christi 1453. Januarij die 12. Si ad manum tibi sunt Tabulæ Frificæ nostræ, quare novilunium anni 1453. mense Ianuario, additis collectisq; syzygiarum numeris hoc pacto:

Anno Christi 1388 anni expansi 65	dies	hor.	min.	Syzygiæ
	20.	22.	27.	75448
	28.	22.	23.	803.
Summa	49.	20	50	
	60	1	28	2
Ianu.	10	4	38	76253. Summa.

Tab. Frific. pag. 458.

Pag. 98.
p. 110.
p. 120.

Novilunij tempus decimo Januarij horis 4 min. 38 post mediam noctem. Sive in Arabia circiter horam sextam matutinam. Mensium Lunarium numerus 76253. è quo per perpetuam regulam demere oportet menses 65981. Residui erunt menses 10272. ab anno Christi 622. Iulij 13. ad hoc tempus. Qui numerus divisus in 12 dat annos Arabicos 856 exacte. qui absoluti erant tempore dicti Novilunij. Quare certo certius est, quod anno Christi 1453. post 10 Januarij iniverit annus Muhametanus octingentesimus quinquagesimus septimus. Cujus anni mense quinto Constantinopolis in Turcorum venit potestatem, juxta ipsorum annales.

Alias si otium fuerit, luculentius dabimus Calendarium Arabicum, unà cum Calendario Iudaico, quod ex Tabulis Alexandrinis sive Ptolemaicis totum construi potest facillimo negotio. Iudeorum enim Astronomia Lunaris ad unguem congruit cum Ptolemaica, quam primi exhibuimus accuratam in opere Tabularum Friscarum. Quod si animadvertisset Magnus ille Scaliger, minus certe desudasset in componendo anno Iudeorum.

FINIS DIATRIBÆ.

L iiii

Finis Diatribes nostræ jam excusus erat, cum moneret Typographus hanc vacaturam paginam. Quare operæ pretium duxi sequentem subicere feriarum tabellam, cujus usus commodissimus futurus sit lecturis Leunclavium aut similes Turcorum annales.

Tabella feriarum in mensium Neomeniis.

Dies col. 1651.	Mensium seria.	Mensium nomina apud Leunclavium.							
		seria	seria	eria	seria	seria	seria	seria	
0	I	1	2	3	4	5	6	7	Mucharen.
30	II	3	4	5	6	7	1	2	Sepher.
59	III	4	5	6	7	1	2	3	Rebiul-evel.
89	IV	6	7	1	2	3	4	5	Rebiul-achir.
118	V	7	1	2	3	4	5	6	Zumasiul-evel.
148	VI	2	3	4	5	6	7	1	Zumasiul-achir.
177	VII	3	4	5	6	7	1	2	Rezeb.
207	VIII	5	6	7	1	2	3	4	Schaban.
236	IX	6	7	1	2	3	4	5	RamaZan.
266	X	1	2	3	4	5	6	7	Schaval.
295	XI	2	3	4	5	6	7	1	
325	XII	4	5	6	7	1	2	3	Silchiz.

Inventa per præcedentem Methodum capitis anni feria, mox uno intuitu cognosces qua feria inchoentur menses singuli. Præterea meminisse oportet horum dierum eandem esse feriam, 1. 8. 15. 22. 29. Quare si legeris diem vigesimum mensis quinti Zumasiul-evel fuisse feriã tertiã, evestigio colliges istum mensem iniisse feria quinta, quoniam eadem sit feria diei vigesimisecondi. Et si inspexeris hanc tabellam doceberis quinta feria mensis quinti respondere feriam sextam mensis Mucharen. Annus igitur ille initium habuit à feria sexta, quando dies vigesimus mensis quinti fuit feria tertiã. Quod congruit anno Muhametano 857. uti docent Diatribes nostræ Canones.

Scribebamus hæc anno Muhametano 1027 die 13 Rebiul-achir, feria secunda. Anno aræ Christianorum 1618. Martij 30. qui dies natalis est decimus induciarum Belgicarum.

DIATRIBE
NICOLAUS MVLERIVS

Lectori sal. D.



M jam typis commissa esset nostra de anno Arabico diatribe huic operi inserta, incidimus fortè in novos ampliosq; rerum Turcicarum annales linguâ Gallicâ, typis pulcherrimis, nuper Lutetia excusos, quorum author propter anni Turcici imperitiam hand raro hallucinatur in annorum connexionem, atq; adeo nonnunquam hæret ambiguus in dissensu integri anni vel biennij. Quod vitium in Chronologiâ ferendum non est. Et quamvis ego de anni Arabici formâ ex Arabum scriptis principissq; Astronomicis à nobis petita nihil ambigerem, tamen ne aliquando Philoxenologois dubitandi ansam relinquerem, visum est super hac re consulere virum ampliss. D. Cornelium ab Haga, Præpotentum Belgij Ordinum legatum Constantinopoli degentem, misso ad illum Calendario nostrate anni labentis 1619, in quo annus Arabicus 1028, ejusq; singula neomeniæ suam in Romano Cal. obtinebant locum, juxta diatribes nostræ canones. Is igitur, quâ est præditus humanitate, prolixè respondit, remisso ejusdem anni Calendario Turcico characteribus Arabicis exarato, adjectis singulorum mensium nominibus, genuinâq; eorundem pronünciatione utriusq; linguæ, Arabicæ, inquam, & Romanæ literis expressâ: nec non verâ eorundem mensium cum anno nostrò connexionem, ex mente illorum, qui harum rerum istic periti sunt. Annus ergo Turcarum millesimus vigesimus octavus (uti legatus scribit) apud Constantinopolitanos initium habuit die nono Decembris feriâ quartâ sive Mercurij, anno aræ nostræ millesimo sexcentesimo decimo octavo, stilo Iuliano. Quod planè congruit cum diatribe nostrâ. Sed rem addit à doctrinâ Alfragani, Alonsi, & Scaligeri dissentientem, nec ab ullo hæctenus proditam. Ait enim mensem Muharrem (qui est anni caput) esse hoc anno cavum, sive dierum 29: secundum verò mensem facit plenum, reliquos autem plenos cavosq;, sed non alternatim, uti volunt Arabes ipsi, toti deniq; anno labenti attribuit dies 353, quamvis Arabes nullum annum agnoscant minorem diebus 354. Vnde fit, ut annus sequens, nempe annus 1029, initurus die 27 Novembris, qui alioqui inchoandus esset die 28 ejusdem Novembris stilo Iuliano. Viden' dissensum non unius anni aut mensis, sed unius dieculæ tantum: qui in ratione temporum Chronologica nullum habet momentum. Fruere igitur securus nostræ diatribes canonibus ac præceptis, quæ te à via regia non abducent. Fruere inquam, ac cogita vere dictum esse à viro summo, ut gentem ita annum Turcicum certis astringere legibus ac coercere perdifficile esse ac arduum. Credo quia subinde aliquid novi in eo comminiscuntur ipsorum Musii, sive summi pontifices aliqua superstitione ducti. Sed operæpretium est mensium appellationes & quantitatem ex legati literis hoc loco apponere.

1. Muharrem mensis ordine primus annum Mahometanum 1028 aperuit 9 Decembris feriâ quartâ sive Mercurij anno Christi 1618 stilo Iuliano, & hoc anno habuit dies 29.
2. Sefer inivit 7 Ianuarij anno 1619, fuitq; dierum 30.

I. v

3. Rabia-

DE ANNO ARABICO

3. Rabiulewel die 6 Februarij, dierum 29. Hujus die 12 celebratus est natalis Mahometis 17 Februarij.
4. Rabiulachir die 7 Martij, dies habet 29.
Æquinoctium, Turcarum culculo, undecimo Martii.
5. Gimaafilewel 5 Aprilis dierum 30.
6. Gimaafilachir 5 Maij, dierum 29.
7. Regeb 3 Junij dierum 29.
8. Schaaban 2 Julij dierum 30.
9. Ramazaan 1 Augusti dierum 30.
10. Shewaal, Bairam majus Turcarum, die 31 Augusti, dierum 29.
11. Zilkaade 29 Septemb. dierum 30.
12. Zilhigge 29 Octob. dierum 29.

Annus verò 1029 inchoabitur die 27 Novembris hoc anno Christi 1619.

Hoc modo, ait Legatus ab Haga, mensium nomina efferre solent Turca, Persæ & Tartari. Arabes verò tam orientales quam occidentales (præter solos Ægyptios, quorum dialectus Nahiri vocatur, quos priores sequuntur) sic pronuntiant sequentia. Giemaadilewel, Giemaadilachir, Ramedaan, Dilkaade, Dilhigge. In reliquis verò conveniunt, nisi quod in collocatione accentus nonnihil differant. Turca enim plerumque omnia in ultima acuunt. Hactenus Haga, qui ista scripsit Constantinopoli die 30 Martij anno 1619.

R E R V M
C H R O N O L O
G I C A R V M
L I B E R Q V I N T V S.

Ad Lectorem.

Crevit hic liber quintus sub manu ultra modum ab initio mihi propositum. Statueram enim tempora vetustiorum tantummodo, & præ cæteris illustrium populorum digesta breviter oculis lectorum subyccere, præcipue vero eorum, de quibus scriptorum monumenta celebriora loquuntur, quique ante Christi natalem, aut ante inclinationem imperij Romani claruere. Verum ut fit, cum id opella jam absolvissem, & manum de tabulâ sustulissim, essemque in eo, ut relegendo, quæ in chartam festinante calamo conieceram, à calami mendis purgarem, atque emendata typographo traderem, visum mihi primum quadam omisa illis ipsis interjicere, deinde pauca etiam recentioris memoria, sed præcipua celebritatis, quæ Romani imperij ruinam secuta sunt, prioribus attexere. Et cum hac mente manum tabulæ rursus admovissim, scriptio scriptioem traxit, aliis atque aliis se ingerentibus ut imprudenti mihi in hanc prolixitatem quam vides commentarij hujus pars excreverit. Ipsa autem hoc modo sub manu nata prolixitas suadet mihi, ut librum hunc quintum in duas distinguam partes. Earum prima habebit antiquiora, quæ partim Servatoris nostri incarnationem, partim barbararum gentium in Romani imperij provincias irruptiones antecessere. Altera, quæ hisce terminis sunt ceteriora. Animadvertas verò lector, in aliis multò me breviorum, in aliis prolixiorum esse. Id, ne nescias, non omninò temerè mihi accidit. Nam brevitatem consultò in iis secutus sum, quæ sunt clariora & notiora: quæ paucis indicanda tantum putavi. Prolixius exposui & deduxi ea, quæ sunt obscuriora, aut à vulgi eruditiorum, aut in historiis rudiorum cognitione remotiora. De his monendum te lector, & ut factum consiliumque meum boni consulas, rogandum putavi. Vale

132

TEMPORA CELEBRIORVM
POPVLORVM, QVORVM RES
LITERIS MANDATÆ NOBIS
innotuere, digesta breviter.



Antiquissimas humani generis res Moses Hebraeus, scriptorum, qui hodie extant, sine dubio primus, idemque Hebraeo sermone memoriae posterorum prodidit. Eumque secuti viri sancti eadem in gente, longa serie gentis illius res literis exposuere, & continuarent per multa saecula. Quapropter aequum videtur tum ob vetustatem & traditorum certitudinem, tum ob religionem, quae genuina in hoc populo viguit, (populus enim hic peculiaris populus Dei fuit) hinc ut principium instituti hujus sumamus.

TEMPORA HEBRÆORVM AB HEBRÆIS IN LITERAS RELATA.

A principio rerum, seu mundo condito ad universale diluuium per aetates primorum patrum anni fluxere absoluti MDCLVI. Diluuium verò incidit in annum MDCLVII, duravitque totum annum & dies paucos, incipiens à die XVII Novemb. in forma anni Iuliani, & cum die XXVI ejusdem mensis desinens.

A diluuiò hoc ad commigrationem Abrahæ ex Charan Mesopotamiae in Palaestinam, aut terram Canaan numerat Moses annos quasi CCCCLXVII, cum Abraham jam ageret annum aetatis suae LXXV, qui concurrebat cum anno Mundi MMXXIV. Hoc verum initium rerum Hebraeorum, quae postea dictae sunt Iudaicae.

Ab hoc autem primo ingressu Abrahæ in regionem Canaan ad migrationem nepotis ejus Iacobi cum omni familia in Aegyptum numerat idem Moses annos CCXV; Quo tempore Iacob natus erat annos CXXX, & à diluuiò fluebat annus DLXXXIII, à principio mundi verò annus MMCCXXXIX.

Hinc porrò ad exitum Israelitarum, posterorum Iacobi, ex Aegyptò per manum Mosis computantur anni totidem CCXV: atque ita in universum à primo ingressu Abrahæ in terram Canaan ad hunc ex Aegyptò exitum, anni CCCCLXXX. Distatque hic exitus à diluuiò annos quasi DCCXCVII, à mundi initio MMCCCLXXII & menses VI.

Ab exitu ex Aegyptò commorati sunt iidem Israelitae vel Hebraei in deserto ductore Mose per annos XL, ad Mosis scilicet mortem. Deinde duce Iosua traducti trans Iordanem fl. ingressi in terram Canaan divinitus ipsis promissam in eam habitaverunt & gubernati sunt per Iosua & sequentes iudices per annos circiter CCCCLXXXVI. Quibus elapsis tempore Samuelis & prophetae Regem sibi dari petierunt; datusque iis primus rex est SAUL anno ab exitu CCCCLXXVI, post adventum primum Abrahæ in eandem regionem Canaanam DCCCLVI; à mundi principio MMCCCLXXXIX. Hinc iam reges perpetui populo praefuere. Sauli DAVID, Davidi Salomon successit, cujus anno quarto, qui fuit ab exitu ex Aegyptò, expressim notat historia sacra, CCCCLXXX, ab Abrahæ adventu in terram Canaan DCCCLXX, templum cepit extrui, pro quo haecenus populus fuerat usus tabernaculo, postquam egressus erat ex Aegyptò. Ab hoc aedificationis templi initio, statim à morte Salomonis regis tertij, cum jam regnare cepisset

capisset Roboam ejus filius, annis elapsis quasi xxxvi, x tribus ex xii à domo Davidis defecere autore Ieroboamo, scissumq; est regnum, quod hæcenus unum fuerat, in regna duo, quorum alterum regnum Iuda, alterum regnum Israel, vel x tribuum vocatum est. Duravitque hoc regnum x tribuum à tempore scissionis & initio primi regis Ieroboami ad finem regis ultimi Osee, captâ à Salmanassare Assyrio Samariâ regni metropoli, & populo in Assyriam abducto, per annos cclix. Regnum verò Iuda ab eodem scissionis tempore sub regibus ex stirpe Davidis stetit incolume per annos plus minus cccxcvii: in quorum fine urbs Hierusalem capta, & funditus deleta est à Nabuchodonosore, templum quoque eversum, soloque æquatum, Sedekias ultimus rex cum totâ domo extinctus. Ab initio verò Saulis primi regis ad hunc eundem casum intervallum fuit annorum cccclxxxii. A templi fundamentis sub Salomone jactis ad hoc excidium anni fluxere ccccxviii. Ab excidio autem eodem si sursum ieris ad exitum populi ex Ægypto, annos numerabis dccccvii, ad adventum Abrahæ in terram promissionis, mccccxxvi, ad diluvium mmmccclx. Atque hæcenus temporum ratio certa, nixa literis Θεοπνεύστοις. De reliquis digerendis disceptant autores. Nos numeramus hinc ad initium Cyri Persæ in Persiâ annos circiter xxx, ad decretum eiusdem de solvenda captivitate Iudæorum post occupatam ab ipso ante decennium Babylonem annos lxx, ad reperitum idem decretum à Dario Persâ, & initium hebdomadam Danielis prophetæ, annos clxvii, ad annum vi ejusdem Darij, quo templum est instauratum, clxxi, ad mania urbis Hierosolymæ à Nehemiâ anno xx Artaxerxis Mnemonis refecta cciv, ad initium historiæ Macabæorum ccccx, ad regiam dignitatem post casum Sedekie, & Hierosolymam à Nabuchodonosore deletam, in hac gente primum resumptam ab Aristobulo è familiâ Asmonæorum, quæ erat sacerdotalis, cccclxxxv, ad caput æræ Christianæ vulgaris dlxxxix, denique ad urbem Hierosolymam denuò funditus excisam, & templum rursus eversum, & totam gentem penitus dissipatam à Romanis auspiciis Titi Vespasiani, qui finis est rerum Iudaicarum, dclix. Hic postremus casus distat à templi instauracione sub Dario Persarum rege annis dlxxxviii, à primâ ædificacione sub Salomone annis mlxxxvii, ab exitu ab Ægypto mdlxvi, ab adventu primo Abrahæ in terram ipsi & posteris ejus promissam, quod verum initium fuit rerum Hebræarum aut Iudaicarum, mxxxiv.

POSTREMA TEMPORA HEBRÆORVM PRIMVM
AB INITIO MATHATIE ASMONÆI, DE
indè à dignitate regiâ resumptâ ad excidium Hierosolymæ
alterum sub Vespasiano Imp. exposita latius.

MATHATIAS Asmonæus primus arma induit contra Antiochum Epiphanem in Iudæos sèvientem anno Græcorum, id est, æræ Alexandræ Syromacedonum cxlv, qui fuit periodi Iulianæ mm dxxxvi, Olympiadis cliii annus i, urbis Romæ conditæ dlxxxvi, qui fuit ante initium æræ Christianæ vulgaris clxviii, cum Romæ consules essent L. Æmilius Paulus, C. Licinius Crassus: quo eodem fluente eversum & captus est à consule Æmilio Perseus ultimus Macedoniae rex. Mathatiam anno sequente mortuum excepit filius ipsius Iudas Maccabæus, & Judam Jonathan frater, atque hunc Simeon frater alter: Simeonem verò filius Ioannes Hircanus. Quo defuncto Aristobulus filius ejus natu maximus succedens statim principatum mutavit in regnum, dictusque primus
suz

suae gentis rex post solutam captivitatem Babylonicam: quod factum anno
 periodi Iulianae quater millesimo sexcentesimo, decimo, post casum Sede-
 nis regis & Hierosolymae excidium cccclxxxvi, ante Christi natalē Dio-
 nylianum c. iv. Sed hic anno uno diutius patri superstes non fuit, succes-
 foremque habuit fratrem Iamnae Alexandrum regnantem annos quasi
 xxvii. A cuius morte administratio regni cum sceptro mansit penes con-
 jugem eius Alexandram per novennium ferè. Eam mortuam regnum qui-
 dem accepit Hyrcanus filius natu major, sed paulò post à fratre Aristo-
 bulo eodem exutus, & à sexennio per Cn. Pompejum imp. Romanum re-
 stitutus in integrum, cum Cicero Romae consulatum gereret. Deinde à
 fratris filii, ipsoque fratre vexatus, & à Parthis procul patriam in vin-
 cula abreptus, ibique adversa & secunda perpeffus, domum ab Herode jam
 regnante in Iudaea blandis sed fraudulentis promissis persuasus in patriam
 rediit, & cum eo vixit non expers honoris usque ad M. Antonium à
 C. Cesare Octaviano ad Actium victum: quo tempore ab Herode rege
 progenero suo sceleratè peremptus est grandis natu, anno xl post mor-
 tem matris & initium regni sui, post resumptum à patruo Aristobulo diade-
 ma lxxxvi, post arma à Matathia Asmonaeo sumpta contra Antiochum
 Epiphanem Syriae regem cxxxix, ultimus regum ejus prosapia. Cui su-
 perstitis fuere filia unica Alexandra nupta patrueli suo Alexandro Aristo-
 buli filio, & ex eo matrimonio genita Mariamne neptis Herodi nupta, ab
 eoq; perditè amata, verum haud multo tempore post avum ab eodem oc-
 cisa. Interea & Aristobulus Hyrcani frater, & filij ejus Alexander pater
 Mariamnes, & Antigonus à Romanis diversis locis & temporib. è medio
 sublati. Asmonaeam familiam excepit familia alia ex Antipatro Idumaeo
 amico Hyrcani descendens: cujus Antipatri filius Herodes Magnus
 cognomento Aescalonita vivo adhuc Hyrcano, sed apud Parthos jam ca-
 ptivo Romae à Cesare Octaviano & M. Antonio Iudaea rex declaratus est
 contra Antigonum ex Hyrcani fratre Aristobulo genitum, Cn. Domitio
 Calvino II, & C. Asinio Pollione Consulib. anno urbis Romae conditae
 dccxiv, quadriennio post eadem C. Caesaris, ante natalem Christi Dio-
 nylianum anno quasi xl alienigenam matre Arabissam: idemq; anno ab hinc
 tertio M. Agrippa, & L. Cantino Consulib. per C. Sossium Romanum oc-
 cupatam Hierosolymam, & Antigono rege everso in plenam regni possessio-
 nem immissus regnando vivendoque pervenit ad annum urbis Romae
 dcccliii, quo Cossus Cornelius Lentulus, & Lucius Calpurnius Piso con-
 sulatum gerebant, quique annus alter erat à vero natali Christi nata-
 lem autem ejus Dionysianum, quo nos vulgò utimur, proximè precede-
 bat, ex quo Rex à Romanis declaratus Herodes fuit, duodequadragesimus.
 Herodem fecutus est filius Archelaus permittente Cesare Augusto; sed
 dignitate & potentiam minor patre. Non enim rex, sed Ethnarcha Iu-
 daeae, Idumaeae, Samariae praefuit per annos ix. Deinde per praesides aut
 procuratores Caesarum regio haec administrata fuit usque ad initium
 Claudii Caesaris per annos circiter xxxii. Post quos Claudius impe-
 rio potitus Agrippam majorem, quem Herodem quoque Lucas in actis
 Apostolicis nominat, à Caligula jam antè ex carcere ad regnum minus eve-
 ctum Iudaeae & regionum aliquot vicinarum regem nuncupavit, cum flue-
 ret annus aerae Christianae vulgaris xli, & Olympiadis cciiii, governa-
 tio Iudaeae ex voluntate imperatoris Romani ad praesides rediit, quamvis
 Agrippa moriens filium Agrippam minorem, imperatori carum, supersti-
 tem reliquisset. Praesidum primus post regnum Agrippae fuit Cuspius Fa-
 dus: deinde alii, in quorum numero Felix & Festus, apud quos causam dixit
 M
 Apostolus

Apostolus Paulus; ultimus Gessius Florus, cuius tempore cæpit bellum Iudaicum, quo capta & funditus deleta est urbs Hierusalem, tota Iudæa vastata, Iudæi in servitutem redacti, & per orbem terrarum dispersi, politia omnis extincta. Res hæc acta anno æræ Christianæ vulgaris LXX, à Christi passione & resurrectione XXXVIII, post arma ab Asmonæis sumpta contra Antiochum Epiphanem Syriæ regem CCXXXVII, post diadema resumptum ab Aristobulo CLXXIII, post initium regni Herodis Magni CIX. Interea in Iudææ partib. & ejus vicinia florere principes alii ex familiâ Herodis Magni, quorum mentio fit in historiâ sacrâ novi testamenti, Herodes scilicet Antipas, qui Iohannem Baptistam occidit obsequens desiderio Herodiadis, quique nominatur in historiâ passione Christi, filius Herodis Magni, non rex propriè, quanquam eo nomine afficiatur ab Evangelistis, sed tetrarcha Galilææ: Philippus itidem Herodis Magni filius tetrarcha Trachonitidis, Auranitidis, Bathaneæ, uterque beneficio Cæsaris Augusti: Agrippa Iunior, majoris filius, rex primum Chalcididis designatus Cæsare à Claudio, deinde regno hoc adempto ab eodem Claudio tetrarchiâ Philippi patru sui magni cum Abilene donatus, denique ditione Tiberiadis & Iuliadis à Nerone auctus, coram quo & ipsius sorore Beronice apud Festum præsidem Apostolus causam dixit. Hic fuit admodum longævus, vixitque post excidium Hierosolymæ, ac desolationem Iudææ totos annos xxx. Plures alios memorat in historia sua Iosephus. Et hæc quidem prolixius quam instituti modus videtur requirere ob historiam sacrâ, præsertim testamenti novi.

TEMPORA ASSYRIORVM SECVN-
DVM EVSEBIUM.

Ninus primus Monarcha, rex Assyriorum cæpit post diluvium universale anno CCLII, ante vocationem Abrahamæ, ac initium rerum Iudaicarum CXVI, ante Troiæ excidium DCCCLIX, ante initium Olympiadum MCLXVI. Cujus regni anno XLI aut XLII natus est Abraham ex *Uro-
Dæi* Eusebij. Ei mortuo successit in sceptro conjux Semiramis inclyti nominis regina, quæ Babylonem munivit, multaque viriliter patravit. Quam Ninias filius, Zameis quoque dictus, excepit. Quo regnante, secundum Eusebium, Abraham relicta patriâ Dei iussa sequutus migravit in terram Canaan. Dein longâ serie reges alii post alios rerum potiti sunt in Assyriâ, solis ferè nominib. nobis noti usque ad ultimum Sardanapalum in ordine tricesimum octavum muliebri mollitie & vitii infamem apud posteros, soloque vitæ sine memorabilem: Periit post initium Nini anno MCLXIX, post excidium Troiæ CCCX, ante initium Olympiadum XCVII cum Ioas octavum annum regnaret in Iudæâ. A Sardanapali morte imperium scissum est in varias partes; quarum præcipuæ fuere regnum Medorum, quod Arbaces, & regnum Chaldaeorum, quod Belochus occuparunt, principes armorum contra Sardanapalum sumptorum: utrumque finitum per CYRUM Persarum regem.

MEDORVM TEMPORA.

IN Mediâ regnarunt post casum Sardanapali reges IX per annos CCC-
XXII: quorum primus Arbaces incipiens statim à casu Sardanapali: sextus Arfæos, quem Dejozem Herodotus nuncupat, à quo Medorum res idem Herodotus orditur, & deducit ad initia Cyri: septimus Phraortes, qui

qui Artynes quoq; est dictus, octavus Cyaxares, cui Astibaræ quoq; nomen, difficile bellum gessit cum Halyatte Lydorum rege: nonus Astyages Apandas etiam nuncupatus, maternus avus Cyri Persæ: à quo everfus desit Olympiadis LV anno 1111, cum jam quartum annum in Persiâ Cyrus regnaret, & vigesimum regni annum ageret Servius Tullius, annis circiter xxxiii post Hierosolymam à Nabuchodonosore Babylonio excisam.

CHALDAEORVM TEMPORA.

IN CHALDÆA post Sardanapali interitum dicitur imperium invasisse & tenuisse Belochus, sed dubiâ fide. Diodorus socium Arbaces in evertendo Sardanapalo vocat Belesem Babylonium, & eum præfecturam Babylonie ab Arbace obtinuisse scribit. Sed postea regnum illic peculiariter constitutum, regesque longo ordine dominati: quorum primus, ut Scaligero non sine magnâ ratione placet, sceptrum sumpsit NABONASSARVS annis post Sardanapali casum cxxv, Olympiadis VIII anno primo, sexennio circiter post urbem Romam conditam, & Romuli initia: cum quo novam aram exorfi sunt astronomi Chaldæi. Post eum quintus memoratur Mardokempadus, qui Merodach filius Beladem in historiâ sacrâ nuncupatur, à quo legati gratulatum missi sunt ad Ezechiam regem Iuda, coævus Sennacheribi regi Assyriorum. Deinde interjectis pluribus successoribus secutus in eodem regno fuit Nabopollasarus, pater magni Nabuchodonosoris, eumque excepit ipse NABUCHODONOSOR filius celebris in sacris literis, everfor Hierosolymæ, & totius regni Iuda. Post quem filius hujus Eüilmerodach: dein gener Neriglissorus cum filio Balsafare, quem sic Daniel propheta nuncupat, Laborsoarchodum Berofus appellat: Denique ultimus Nabonidus, Labinetus Herodoto, Darius Medus Danieli prophetae dictus: quem Cyrus Persa devicit, cum stetisset hoc regnum Chaldæorum ab initio Nabonassari annos circiter ccix.

Interea durante hoc regno Chaldæorum apud Assyrios quoque regnarunt, in sacrâ historiâ memorati, qui plerique Israëlitas & Iudæos affixerunt, Phul, Teglah-Phalasar, Iareb, Sargon, SALMANASAR, SENNACHERIB, Asar-Haddon: quorum duo ultimi desierunt sub Numâ Pompilio Romanorum rege.

TEMPORA SYRORVM VETERVM
ANTE CYRVM PERSAM.

IN Syriâ reges TYRI fuere XIII: quorum primus apud Iosephum Historiographum Iudæum ex Menandio Ephesio memoratur Abibalus Davidi regi coævus: alter *Ἰραμ*, vel Hiram Abibali fil. Davidis amicus: Tertius Baaleser filius Hiromi, amicus Salomonis: nonus *εὐδαλ* vel Ithbaal, focer Achabi regis Israël per filiam Iezabel, Tyri & Sidonis rex XII Pigmalion Didonis, quæ Carthaginem condidit, frater: XIII *εὐδαλ* secundus debellatus à Nabuchodonosore, Olympiadis XLVI anno primo: ultimus Baal, contemporaneus Sedekie postremi regis Iuda, finiit Olympiadis XLVIII anno secundo. Post quem iudices præfuerunt sibi mutuò succedentes, numero VII: quorum ante penultimus Abdelimus, penultimus Merbal, ultimus Hiromus desit Olympiadis LVI anno II aut III, Cyri in Persiâ regnantis anno VII, triennio post eversum Astyagē Medū. Ab initio Abibali, ad finē hujus Hiromi numerantur anni circiter

IN Lydiâ regnarunt reges longâ serie per annos quasi *DCLXXV* : quorum primi Heraclidæ numero *XXII* ex Alcæo Herculis filio descendentes, ultimusque hujus familiæ Caudales, à Gyge primo Mermnadarum everfus Olymp. *XVI* anno quarto, Numæ regis Romani anno tertio, Ezechia regis Iuda anno *XVI*. Deinde Mermnadæ quinque, Gyges, Ardys, Sadyattes, Alyattes, *CROESVS* à Cyro Persâ cum Sardibus captus Olympiadis *LIX* anno primo, post Cyri initium in Persia *XVII*, post urbem Romam conditam *CCXI*, regnante Romæ Servio Tullio. Atque hic finis regni Lydiæ : quod duravit ab initio Agronis primi ex Heraclidis ad Sardes à Cyro captas cum Cræso, annos, ut dixi, *DCLXXV*.

TEMPORA TROIANORVM.

PRIMUS Teucer, unde Teucrorum nomen ortum : sub quo Moses Israëlitas ex Ægypto eduxit. Post quem Dardanius, à quo Dardanij dicti: inde Erichtonius, tum *TROS*, unde Trojani nuncupati: hinc Ilius, à quo Ilium conditum, & nominatum: cujus filius Laomedon Herculi coævus, & demum Laomedontis filius Priamus regum Troianorum ultimus, quo sene *TROIA* à Græcis everfa annis *CCCCVII* ante initium Olympiadum : Duravit hoc regnum ab Exodo Israëlitarum ex Ægypto annos *CCCXIV*, ab initio Dardani *CCXCVI*.

TEMPORA PERSARVM.

Persæ Assyriis olim & Medis parvère usq; ad *CYRVM*. Is Persis in libertatem vindicatis regnum sibi cōstituit Olympiadis *LV* anno primo, urbis Romæ conditæ *CXCIV*, Nabonassari *CLXXXVIII*: qui Medis superatis avoq; materno Astyage debellato, dein Cræso Lydorum rege quoque subjugato, & Babylone occupatâ totum Orientem sibi subjecit. Eandemque potentiam reges successores tenuère ad finem Darij ultimi Codomanni, qui cepit regnare eodem anno cum Alexandro Magno Macedone: à quo Alexandro tribus magnis præliis victus regnum omne amisit Olympiadis *CXII* anno secundo, urbis Romæ *CCCCXIII*, Nabonassari *CCCCVII*. Hic regnandi finis *PERSIS* fuit, cum regnū stetisset ab initio Cyri *CCXXX* ferè: à quo cæpit monarchia Alexandri in Oriente. A cujus morte cum fluctuassent illic aliquandiu res, tandem anno *XII* Seleucus Nicator Macedo occupatâ Babylone totius Asiæ diadema sibi imposuit, & regni sedem in Syriâ constituit. Carueruntque Persæ imperii honore post casum Darij Codomanni per annos circiter *DIX*, parueruntq; primum Macedonib. Syriæ regibus Seleuco & Seleuci successoribus, deinde Parthis vicinis suis usq; ad eversum Artabanū ultimum Parthorum regem ab Artaxerxe Persâ, qui imperium Orientis genti suæ reddidit. Quod factum anno aræ Christianæ *CCXXX*, imperante Romanis Alexandro Severo, Olympiadis *CCLII* anno *II*, urbis Romæ *DCCCCLXXXIII*, Nabonassari *DCCCCLXXXVII*. A quo tempore Persæ rerum rursus potiti sunt in Oriente, clarique nominis reges multos habuère Romano imperio infestos per annos *CCCCII*: quorum regū ultimus Ormisda Iezdegird anno Christi *DXXXIII* à Saraceno Ben-Omar, qui alter post Mahomethē fuit, duce Abdallo, regno & vitâ exutus est, imperium Romanū tenente Heraclio. Hinc Saraceni Mahometani latè dominati sunt in Perside & toto Oriente, resq; administravit per

per Sultanos, & Caliphas sacrorum praefides per multa saecula, donec tandem Vfuncassanus ex Turcico genere, familiae Assambeae, loco natus humili, imperium illic invasit circiter annum Christi MCCCCLXVIII, magnisque rebus gestis, occupata Persia, Parthia, Media, Assyria, Armenia, Mesopotamia anno MCCCCLXXXVIII moriens filio Jacuppo id reliquit. A cujus morte, quae incidit in annum ejusdem aerae MCCCCLXXXV, fluctuarunt aliquandiu Orientis res, intraque paucos annos reges varios habuerunt, imperij omnes brevissimi excepto uno Rustano, tyranno potius immani quam rege, qui septennium regnando complevit. Postremo Hismael Sophy exstitit, gente Persa, stirpe nobilis, e vetusto genere regio, religione Mahometanus sectae ejus, quae Halis doctrinam profitebatur: quo duce Persae alas ceperunt rursus movere circiter annum aerae nostrae MCCCXCVIII, fortunaeque secundante Hismaelem regem creatum, subactis vicinis provinciis Orientis dominum constituerunt, pristinaeque maiorum potestatem ac gloriam recuperarunt. Hismaeli successit Tamafus filius, non sevens Turcarum hostis, qui vivendo & regnando ad annum MDLXXVI pervenit, filiosque potentiae suae haereditate reliquit. E quibus Hismael II secundo-genitus annum & menses sex regnum tenuit post patrem: ei que a suis occiso surrogatus primogenitus Mahomethes Hodabendes gravi & diuturno bello gesto cum Amurathe III Turcarum principe, paceque reparata obiit anno aerae nostrae MDLXXXVI, regnumque iniit hujus filius Abas Mirifes. Hodiè qui regnat, Exaltanus nuncupatur.

TEMPORA PARTHORVM.

Parthi, gens Scythica, ad orientem Mediae, & Septentrionem Persidis regionem tenentes, obscuri diu, & aliorum imperiis parere soliti anno XIV Antiochi Θεου, qui nepos fuit Seleuci Nicatoris, Syriae regis, ut notat Eusebius, post orientem ab Alexandro Magno occupatum anno LXXXIII duce Arsace a Macedonibus in Syria regni sedem tenentibus de fecere circiter Olympiadem CXXXIII, annis VII ante finem belli Punici primi, quod Romani contra Carthaginenses gesserunt: quanquam Iustici, qui pronepos fuit Nicatoris, filius Antiochi Θεου: quem ait ob gravia bella intestina, quae cum fratre germano Antiocho Hierace gessit, ulcisci defectores non potuisse: Ab hoc principio reges longo ordine habuere Arsacidas ab Arsace conditore familiae dictos: quorum potentia eas redigendo. Syria vero a Romanis subacta, quod a Cn. Pompeio factum, Parthi iidem Orientis domini, in Chaldea regni sede positae, graves Romanorum hostes fuere, usque dum regnum & opes cum Artabano regum Arsacidarum postremo amisere. Quod accidisse ostendi tempore Alexandri Severi imp. Rom. anno Christiano CCXXX, Olympiadis CCLII anno secundo, urbis Romae conditae DCCCCLXXXIII, Nabonassari DCCCCLXXXVII. Duravit ergo Arsacidarum regnum ab Arsacis initio ad Artabani hujus finem ab Artaxerxe Persae everfi annos quasi CCCCLXXXVIII. Nec post hunc casum gens Parthica imperij majestatem recuperare unquam potuit.

TEMPORA REGVM PERGAMENORVM, SIVE ASIAE.

Nobilissimum in Asia minore regnum fuit Pergamenum, quod & Asiae regnum & Attalicum vocatum est, Phrygiam & Lydiam primò complexum

plexum, deinde & latius prolatum, Cariâ, Lyciâ, Pamphiliâ aliisque ad Taurum montem adjectis. Initium fuit à Philetæro quodam Philetæri filio Paphlagone, ut vult Pausanias, Tyanensi, ut tradit Strabo, cui in hac re fides major, conditione Eunuchis: qui thesaurorum Lyfimachi in castro Pargameno custos, & ipsi Lyfimacho percharus oblatâ causâ ex diffidio domestico tandem defecit ab eo, & se suâque Seleuco Nicanori Syriæ regi hosti tum temporis Lyfimachi obtulit: sed & Lyfimacho & Seleuco paulò post è medio sublati, castrum idem cum thesauris in potestate suâ retinuit, & pecuniâ istâ fretus conductis militibus contra inimicos se defendit, denique principatum novum eâ in viciniâ sibi constituit. Fratres hic habuit duos, Eumenem natu majorem ante ipsum Philetærum è vivis sublatum, & Attalum, qui jam tum vivente adhuc fratre reip. partem pro eo gessit. Successit tamen defuncto Philetæro non Attalus hic, sed Eumenis filius, patri ἠμῶνυμ, qui Antiochum Σωτήρα Seleuci Nicanoris hæredem statim initio regminis sui apud Sardes gravi prælio superavit, atque opes à patruo acceptas multum auxit, regio verò nomine, si Straboni credimus, abstinuit. At liberis destitutus, cum principatum tenuisset annos xxii, patruem suum Attalum priore Attalo natum hæredem reliquit circiter Olympiadis lxxxiiii finem & sequentis initium, cum consules Romæ essent C. Claudius Centho, M. Sempronius Tuditanus, anno periodi Julianæ quater millesimo quadingentesimo septuagesimo quarto, proximo anno post finitum Romanis bellum Punicum primû. Hic Attalus præcipuam claritudinem dedit toti familiæ: Gallis ingenti prælio superatis, & in Paphlagonum regione sedem capere iussis, quæ ab ipsis Galatia deinceps nuncupata fuit, regium nomen cum diademate mox principatus sui initio sumpsit: occasione belli intestini inter duos fratres Syriæ reges Seleucum Callinicum & Antiochum ἱερακᾶ se mutuò afferentes regno suo incrementa hæud parva adjecit: fidus Romanorum socius contra Philippum Macedoniae regem, ac hostes alios: mortuus C. Cornelio Cethego, P. Minutio Rufo Romæ consulibus, anno urbis Romæ conditæ dlvii, periodi Julianæ quater millesimo dlvii, vitæ ipsius lxxii, regni xliiii, ut scribit Livius. In ejus locum venit Eumenes ii ex quatuor filiis natu maximus, & ipse conjunctissimus cum Romanis, bellicus socius contra Antiochum Magnum Syriæ, & Persea Macedoniae reges, amplissimisque præmiis propterea à Romanis ornatus. Decessit, cum regnasset annos xxxix: sic enim sine dubio legendum apud Strabonem, quanquam editiones vulgatæ aliter habeant, totosque annos x numero illi addant, vitio librariorum; non errore ipsius Strabonis. Incidit decessus ille in consulatum M. Æmilij Lepidi & C. Popilij Lænatis ii, qui congruit cum anno periodi Julianæ quater millesimo dlvi, urbis Romæ conditæ dxcvi ex mente Varronis, Olympiadis clv partim ii, partim iii. Eumeni unicus fuit filius ex Stratonice conjugè filiâ Ariarathis Cappadocum regis natus Attalus: cui, ut Strabo affirmat, ob ætatem adhuc infirmam, pater moriens tutorem dedit, & regni gubernatorem fratrem suum Attalum cognomento Φιλάδελφον; ut alij volunt, ob originem dubiam (mater enim femina salax marito suspecta fuerat) eundem Attalum fratrem in designando hærede & successore prætulit. Hoc verò constat, Attalum hunc regem se gessisse, & pro rege esse habitum, ejus nominis ii, ac Stratonicem fratris sui viduam matrimonio sibi junxisse. Hic & bella varia gessit feliciter in Syriâ, Bithyniâ, Thraciâ: in Macedonia quoque arma tulit pro Romanis contra Pseudophilippum, quorum in amicitiam perstitit exemplo patris fratrisque. Et cum liberis

liberis ex se natis destitueretur, jam grandi natu decedens regni anno xxi completo, filium fratris Eumenis eundem Attalum ante memoratum, ex conjugē suā Stratonice natum, successorem in regno reliquit, quem Attalum iii vocarunt, addito *Φιλομήτορος* cognomine. Impensē enim & amabat viventem matrem Stratonicam, & mortuę memoriā colebat. Sed moribus prorsus degener, & in omnia vitia effusus, cum vix quintum regni annum compleisset, moriturus populum Romanum testamento heredem nuncupavit. Quod factum P. Mutio Scævola, L. Calpurnio Pisone Frugi consulibus anno urbis Romę dcxli, periodi verò Iulianę quater millesimo clxxxii, Olympiadis clxvii anno iii aut iiii. Id enim incertum. Hic nobilissimi regni finis fuit. Nam Aristonicus hujus Attali postremi frater consanguineus, ignobili concubinā editus, qui regnum contra Romanos invadere conatus fuit, à Romanis victus & captus duce Perpenna consule, regis locum non tenuit. Ab hoc Attali iii fine ad Attali illius initium, qui primus diadema sumpsit, anni numerantur cvii (quę verā regni duratio est) ad initium autem Philetari, qui fundamenta principatus Pergameni jecit, circiter cxlix. A fine hoc regni Asia mansit in possessione populi Romani & imperatorum usque ad Turcarum dominatum illic constitutum. Hęc prolixiusculè ob regni celeberrimi inclytum nomen, regesque confusè à scriptoribus multis memoratos.

T E M P O R A R E G V M B I -
T H Y N I Æ.

Bithynia Asię regio à Bosphoro Thracio ac Propontide ad Paphlagonas secundum mare Euxinum porrecta, finitima fuit toto Austrino late- re regno Attalico. In eā regnatum ferunt ante Alexandri Macedonis tempora: A morte verò ejus, dimicantibus inter se ejusdē ducibus, Zipætes Thrax sive ille descendens è priorum regum sanguine, sive genere ab iis alienus, regnum illic sibi constituit. Cui filius successit Nicomedes cognomine Magnus ob res magnas, quas gessit, conditor Nicomedię urbis illustris. Ejus filij fuere duo, alter post alterum regnans, prior Zielas obscurus, secundus Prusias famę magis inclytę *κωηγός* dictus, Philippi ii Macedonię regis gener, populi Romani libertum nimio adulandi studio se professus, ad quem Hannibal exul Romanos metuens confugit, admodum longævus. Tandemque populo ob savitiam factus invisus à filio Nicomede ii regno exutus, & interemptus est. Hic Nicomedes *Επιφάνης* fuit dictus. Eum sequutus in regno Nicomedes iii *Φιλοπαύων* appellatus Epiphane genitus, à Mithridate Ponti rege regno ejectus, sed à Romanis restitutus in integrum, & multis beneficiis ab iisdem affectus: ex quo natus Nicomedes iv amasius C. Cęsaris, qui sine liberis cum decederet, memor beneficiorum in patrem collarorum populum Romanum testamento heredem instituit, L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta Coss. ut notat Eutropius, anno urbis Romę dcclxxx secundum Varronem, periodi Iulianę quater millesimo sexcentesimo, quadragesimo, Olymp. clxxvi anno ii aut iii. A quo tempore Bithynia in formam provincię redacta cum reliquā Asiā per multa sæcula Romanis paruit. Duravit regnum hoc à Zipæte primordiis ad mortem Nicomedis iv per annos plus minus ccx, si à morte Lyfimachi statueris Zipæten regnandi initium fecisse;

TEMPORA REGVM CAPPADOCIAE.

Post Bithynos & Sangarium anem Mariandeni & reliqui Paphla-
 gones quondam fuere ad idem mare Euxinum usq, in Halym fluvium
 Cræso fatalem. Quo terrarum spacio Galatia aut Gallogræcia, ac re-
 gnum Ponticum postea claruere. Post Halym secundum idem mare
 in Colchos usque, & interiora à mari longè latèque Cappadoces tenuère.
 Hujus amplissimæ regionis, quam Cappadocia nomine generali censuère
 veteres, antiquissimum fuit regnum. Primus regum / posteris notorum
 memoratur Pharnaces Cyri Persarum regis primiflorius & coætaneus.
 A quo stemma regum longissimo ordine, & quidem rectâ lineâ, in qua fi-
 lius semper patrem excepit, uno dempto Olopherne, qui Ariarathi I fra-
 tri successit, sed ita, ut regnum statim post eum ad Ariarathis ejusdem fili-
 um redierit, descendit per annos plus minus *cccc* ad tempora Mithri-
 datis Magni regis Pontici, qui vicinis suis omnibus cognatisque oppressis
 stemmati quoque huic finem dedit. Octavus regum fuit Ariarathes I in-
 clyti nominis coævus Artaxerxi Ocho Persarum regi: à quo omnes poste-
 ri ejus Cappadocia reges Ariarathes dici voluerunt, excepto pronpote,
 qui Ariamnes est vocatus. Ariarathes II, primi filius vixit cum Ale-
 xandro Magno Macedone Orientis domitore, & à Perdicca duce Alexan-
 dri post ejus mortem captus in prælio, atque in crucem actus cum agnatis.
 Evasisit tamen hanc familiae cladem filius Ariarathes III, apud Armenios
 exulans, & dum Macedones, qui Alexandro successerunt, inter se discor-
 des bella gerunt, regnum paternum recuperavit. Ex hoc Ariamnes ille
 quem dixi, ex Ariamne Ariarathes IV gener Antiochi I Syriae regis:
 ex eo Ariarathes V gener Antiochi Magni, qui soceri causâ prius hostis
 populi Romani, deinde socius fuit. Hic ex Antiochi Magni filia Antio-
 chide genuit Ariarathem VI cognomento Mithridatē, bello Asiatico con-
 tra Aristonicum, dum pro Romanis pugnat, cæsum; iste Ariarathem VII
 ex Laodice foeminâ crudeli, & regnandi libidine insaniente, ex sex fra-
 tribus solum lævitiae maternæ superstitem, sed à Mithridate uxoris suæ fra-
 tre Ponti rege, regni augendi causâ nihil sancti habente, interemptum.
 Ei filij fuère ex sorore Mithridatis Laodice duo, Ariarathes VIII, & Aria-
 rathes IX, uterque ab avunculo eodem Mithridate, cum adhuc adoles-
 centes essent, eversis, alter pessimâ fraude in colloquio secreto in conspectu
 exercitus trucidatus, alter regno ejectus, & paulò post mortuus. Cum
 quibus hoc regum Cappadocia stemma interiit, cum regnum tenuissent
 ab initio Pharnacis per annos plus minus *cccc*. Periére fratres hi po-
 stremi circiter annum urbis Romæ *dcxlvj*, periodi Iulianæ quatermil-
 lesimo sexcentesimo sexto, exeunte Olympiade *clxvii*. Post hos Mi-
 thridate submoto, ex voluntate populi Ariobarfanes rex à Romanis de-
 signatus, sed haud diu post ex consilio & rogatu Mithridatis à Tigra-
 nenio pulsus, à Pompejo verò restitutus: Cui successit filius ejusdem
 nominis tempore belli civilis inter Cæsarem & Pompejum florens, inter-
 emptus à fratre Ariarathē, quem post Antonius Triumvir occidit, eique
 Archelaum quendam Cappadocem Archelai illius, qui bellum nomine
 Mithridatis contra Romanos gessit, pronepotem surrogavit. Is Ro-
 mæ obiit à Tiberio evocatus anno regni sui *l*, ut docet Corn. Tacitus,
 C. Cælio Rufo, L. Pomponio Coss. anno urbis Romæ *dcclxx*, periodi
 Iulianæ quatermillesimo *dcclxxx*. Cum ejus morte regnari desit in
 Cappadocia, tunc in provinciarum Romanarum numerum & formam re-
 ductâ. Regnatum illic in universum post Cyri Persæ principia annos
 circiter *dlxxvi*.

TEMPORA

TEMPORA REGVM PONTI.

Inter Bithynos & Cappadoces medium fuit regnum Ponticum à Pontò Euxino, cui adjacet, sic nuncupatum: initio quidem angustum, sed cum tempore auctum. Cujus reges, ex regio sanguine Persarum se ortos jarunt: in quorum ordine complures fuerunt nomine Mithridatis: Pharnaces quoque tres. Claritudinem familiae dederunt Mithridates v, Pharnaces II, & amplius quam illi Mithridates sex *Ευεργέτης* appellatus: sumpra omnes verò & majores & posteriores Mithridates VII, *Ευεργέτης* filius quem *Ευπάτορα* & *Διόνυσον* vocarunt: qui totos XLVI annos gravissimo bello Romanos tot regum victores fatigavit, & Asiam Europamque armis suis turbavit. Q. Sertorium in Hispania, Tigranem Armeniae regem potentissimum generum in Oriente, in belli societatem traxit. De bellatus tandem à C. Pompeio & post omnia frustra ad reparandam fortunam tentata ad mortem ultroneam adactus, praesertim deficiente ab ipso Pharnace filio, cum diademâ tenuisset annos LVII, vixisset LXIX, Octavus à Mithridate II, qui post Alexandri Magni interitum à Macedonibus defecit, & sibi diadema imposuit, decimus sextus à primo familiae conditore Artabaze. Factum anno periodi Jul. quater MDCLI, urbis Romae DCXCI, M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coss. Olymp. CLXXIX anno I: Successit ei Pharnaces haud invito Pompejo, sed opib. accisis: idemque à C. Caesare post victum Pompejum everfus, anno urbis Romae DCCVII, qui consulatu Q. Fufij Caleni, & P. Vatiniij insignitur. Cujus filio Dario M. Antonius Triumvir post aliquot annos regnū tenue restituit: filiae verò marito tertio Polemoni regnum alterum Ponticum ad Bosporum Cimmerium cum Colchide donavit probante Caesare Augusto: eiq; successit Polemon II C. Caligulae beneficio. Demum Mithridates nepos ex filio Darij Bosporano regno supra mare Ponticum donatus fuit à Claudio imp. dein variâ fortunâ usus à Galba tandem est necatus. Sed hi reges post magnum Mithridatem clientes solummodò fuere eorum, qui rerum potiti sunt apud Romanos, ut plurimi quoque alij in Asia. Emicuit hoc regnum Ponticum & floruit cum Mithridate magno, & cum eo statim emarcuit.

TEMPORA REGVM ARMENIAE.

Eadem ferè fortuna fuit Armeniae regioni amplissimae & nobilissimae: quae repente effulfit cum Tigrae, Mithridatis Pontici genero, orto è posteris Artaxiae sub Antiocho Magno belli ducis: cui ob res feliciter gestas & acquisitam potentiam Magni cognomen tributum, ut terrori Parthis quoque & omnibus vicinis esset. Sed victus duobus maximis praeliis à L. Lucullo Romano, & aliis cladibus affectus fractusque, à Pompejo verò in regnum Armeniae accisus restitutus, aliisque provinciis spoliatus gloriam priorem potentiamque amisit. Filium Artuasdem heredem reliquit scelere Antonij, ut ait Tacitus, catenis vinctum, dein occisum. Post quem filius Artaxias propinquorum dolo interemptus. Artaxiae ab Augusto Caesare successor datus Tigranes patruus, & eo cum liberis extincto Artuasdes II, Artaxiae, ut plerique credunt, filius, ultimus hujus prosapiae, regno etiam paulò post rursus dejectus. Ab eodem Augusto per C. Caesarem Ariobarfanes genere Medus Armeniae impositus: quo è vivis sublato, Erato regina ab Armeniis designata: sed brevi ab iisdem rursus deserta. Deinde regnum vacuum à profugo Parthorum rege Vnone Arsacida occupatum, at paulò post metu belli Parthici relictum, quod

quod factum imperante jam Romæ Tiberio. A quo tempore fluctuavit Armenia sub regib. varijs, Romanorum aut Parthorum clientib. Quorum tempora contexere difficile.

Fuere & minori Armeniæ Cappadocib. finitimæ, & Syriæ Comagenæ, & vicinis Arabib. sui reges circiter eadem illa tempora, sed potentiæ non magnæ, ac obscuri nominis: quorum seriem & successiones recitare non est operæ pretium.

ÆGYPTIORVM VETERVM TEMPORA.

DE dynastijs Ægyptiorum, quæ ex tabulis Manethonis adferuntur, pura puta somnia sunt de rebus, quæ non solum diluuium universale, sed etiam creationem mundi, & hominum omnium primum Adamum finguntur antecessisse. Itaque de iis dicere, hoc fuerit meros fumos vendere. Nec digere tempora eorum, qui ante Sefostrem dominati in Ægypto feruntur, nec qui post eum usque ad Psammetichum, possumus. Sunt enim plus quam incerta, & vanitatis plena. Hoc solum certi habemus non ex Herodoto aut Diodoro, sed ex sacris literis, Ægyptû reges suos habuisse à temporibus Abrahæ ad excidium Hierosolymæ, & deportationem Babylonicam, quos Ægyptij Pharaones vocarunt; quorum postremus Pharaon Waphres aut Ophrea à prophetâ Jeremiâ nuncupatur. Sunt autem ab Abrahæ primo ingressu in Ægyptum, quo primus Pharaon in sacrâ paginâ memoratur, ad Sedekiaë interitum, & populum Babylonem abductum, quâ Pharaon Waphris regnavit, anni *MCCCXXXVI*. Sed à Psammeticho Herodoti & Diodori, qui tertius ante Waphrim fuit, & cum in initio Tullij Hostilij Romanorum regis regnare cepit sub Manasse rege Iuda, annis *XVII* post initium plenæ libertatis Atticæ ac præturæ Creontis, ad fluxere quasi *CXLVI*: ab Olympiadis nimirum *XXVII* anno *II* surgente ad Olymp. *LXIII* annum *III*.

Deinde Persæ rerum potiti sunt in Ægypto per annos continuos *XCIII*; ab anno quinto Cambyfis ad annum *XII* Darij Nothi currentem: quo anno Amyrtaeus Saites regnum invasit: regiaq; potestas penes Ægyptios indigenas ex eo tēpore mansit per annos circiter *LXIII* ad annû Artaxerxis Ochi *XIIII* fluentem, qui recuperatam Ægyptum Persis rursus subiecit. Atq; inde regio hæc denuò Persis paruit per annos *XVII*: quibus elapsis Alexander Magnus Maced. rex eam in suam potestatem redegit: Quod factum Olympiadis *XII* anno primo, urbis Romæ conditæ *CCCC, XXII*, Nabonassari *CCCCXVI*, ante caput æræ Christianæ vulgaris *CCCXXXII*. Mortuo verò Alexandro occupata est Ægyptus primû à Perdicca, mox à Ptolemæo Lagi filio Macedone: cujus posterî eam retinere ad finem Cleopatrarum postremæ unâ cum amasio suo M. Antonio everfæ à Cæsare Octavianio Augusto, annis *CCCCII* postquam eadem in Alexandri Magni potestatem venisset. Inde Romanis paruit usque ad tempora Constantis imperatoris, Heraclij filij, sub quo Omar Saracenus, alter ejus gentis princeps post Mahometem pseudopphetam eam invasit circiter annum æræ Christianæ *DCL*, cum sub Romano imperio fuisset annos circiter *DCLXXX*. Saraceni sub Caliphis ac Sultanis Ægyptum possederunt usq; ad annum Christi *MCCXLV*, quo imperium ejus servi Mamaluchi raperunt. Duravit imperium Saracenorum in Ægypto annos quasi *DXCIV*. Servorum imperio finem imposuit Selimus Turcarum imperator anno Christi *MDXVIII*, cum durasset annos *CCLXXIII*. Hinc ad præsens usque

usque tempus mansit Ægyptus in fide Turcarum Othmenidarum.

TEMPORA CARTHAGINENSIVM.

Carthago perantiqua Africę urbs maritima à Phœnicib. condita auspiciis Didonis patrię Tyro profugę ob tyrannidem fratris Pigmalionis, anno mundi secundum rationes Scaligeri ter millesimo sexagesimo septimo, periodi Iulianę ter millesimo octingentesimo tricesimo primo, regni Sardanapali x, cum Lycurgus Lacedæmone floreret, Athalia in Iudęã regnante, annis *CVII* ante initium Olympiadum ab Iphito instauratarum, *CXXX* ante Romam à Romulo extractam. Ea ut maturę libertatem, repudiato statu regio apprehendit, ita prolatis imperii sui finibus in continente, ob situm in litore opportunum, & portum longę commodissimum augendis opibus maritimis summo studio incubuit, magnosque in eo ipso successus habuit. Primum cum Romanis foedus iniit, ut tradit Polybius, anno urbis Romę *CCXLV*, qui primus erat post expulsos inde reges vindicatarumque libertatem L. Iunio Bruto, P. Valerio Publicolę Coss. ab initio vero sui *CCCLXXIV*: quo tempore Sicilia partem, ut verba foederis arguunt, Sardiniam verò totam jam possidebant, quanquam de Sicilia diversum sentire videatur Livius, qui anno demum *LXXVIII* post hoc tempus Carthaginenses in Siciliam primum venisse scribit libro historiae suę *IIII*, T. Quintio Cincinnato Pœno, & Cn. Iulio Mentono Coss. qui annus concurrit cum Olympiadis *LXXXVII* anno primo, quo cępit bellum Peloponnesiacum in Gręciã: Sed errore manifestissimo. Nam quę à Machæo Carthaginensium duce gesta in Sardinia & Sicilia scripsit Trogus Pompejus, multò sunt hoc tempore Liviano antiquiora, probęque cum Polybiano conveniunt. Et Herodotus illorum temporum propè æqualis scriptor fidus, & cum eo Diodorus rerum Sicularum peritissimus affirmant Amilcarem Hannonis filium, quem Iustinus Magone natum videtur dicere, cum ingenti exercitu Carthaginensium in Sicilia perisse eodem anno ac die, quo ad Salamina feliciter contra Xerxem Persarum regem dimicatum est à Gręcis. Eam verò pugnam Salaminiam constat incidisse in Olympiadis *LXXV* annum primum, qui congruit cum urbis Romę annis partim *CCLXXIV*, partim *CCLXXV*, & initium belli Peloponnesiaci antecessit annos circiter L, totidemque ferè annos tempus illud à Livio notatum antevertit. Post hunc casum pacata diu à Carthaginensibus Sicilia fuit per annos plus minus *LXXIV*. Quibus exactis vergente jam bello Peloponnesiaco ac durante adhuc cum Romanis pace, foederęque cum iis pluries renovato Carthaginenses iidem, cum res in Africã bono loco positas haberent, Siciliam denuò invasere, maximasque in eã res gessere Annibale & Himilcone ducibus; urbes nobilissimas insulę ceperunt evertere. Et jam Syracusis imminentes Dionysio Hermocratis filio occasionem præbuere occupandę apud suos tyrannidis: cujus industriã ac virtute militari compressi, & in arctum compulsi istic fuere. Sed cum quiescere non possent, qui ad imperium majus adspirabant, post destructos in Sicilia à Timoleonte Corinthio tyrannorum dominatus, rursus insulam eandem proposito suo valdè oportunam bello petivere, totosque annos *XXVI* afflixere vehementer ad initia Agathoclis tyranni Syracusani. A quo fortiter repressi in ipsa Africã, in quam Agatocles bellum transtulit de rerum penè summã decertare necessum habuere. Quo extincto (cæperat Olympiadis *CXV* anno *IV*, urbis Romę conditę *CCCCXXXVII*: finiit Olympiadis *CCXXIII* anno *II* urbis Romę *CCCLXVIII*) summis viribus conatum priorem subjugandę insulę Carthaginenses instaurarunt, partemque

partemque ejus non exiguam sibi subdiderunt. Sed remora iis tum à Pyrrho primum Epirotarum rege idem insulæ imperium affectante, deinde à Pyrrhi discessu, qui majora alia sequebatur, ab Hierone Syracusano ad urbis suæ principatū evecto, objecta fuit. Paulò post violato, quod cum Romanis habebant, fœdere ob Mamertinos, longè difficilimum ac diuturnum inter ipsos & Romanos bellū enatum est, anno urbis Romę conditę cccēxc Ap. Claudio Caudice, M. Fulvio Flacco consulibus, ab exordio structę in continenti Carthaginis dēcxix, Olympiadis cxxviii quarto: finitum idem anno Romę dēii, C. Lutatio Catulo, & Postumio Albino Coss. Carthaginis dēcxli, Olymp. cxxxiiii tertio surgente, cum classis Punica felici prælio ad Ægates insulas à consule C. Catulo esset deleta. Tum rebus cum civitate Romanā compositis pacem quidem cum eā coluere Carthaginenses per annos xxiiii, quot bellum prius duraverat, sed bello gravissimo cum finitimis Afris, & milite peregrino tumultuante impliciti per triennium & quadrimestre, ut ait Polybius, in summo rerum omnium discrimine fuere. Deinde reparatis viribus cum Romanis bellum instauratum Annibale duce anno urbis Romę dēxxxvi, Carthaginis dēclxvi, Olympiadis cxi secundo, P. Cornelio Scipione. T. Sempronio Longo consulibus. Cui impositus finis cons. lib. Tib. Claudio Nerone, M. Servilio Gemino, anno urbis Romę dēliii, Carthaginis dēlxxxvi, Olympiadis cxliiii secundo, cum durasset annos circiter xvii. Victores Romani fuere, victorięque gloriam tulit P. Scipio, qui Africanus inde nominatus, quod Afros Carthaginenses in ordinem redegisset. Ab hoc tempore pax utriusque mansit per annos totos lii. Anno autem dēlv, L. Martio Censorino, M. Manilio Nepote Coss. qui fuit urbis Romę dēcv, bellum iis renatum est: cujus anno quarto Carthago capta & excisa est auspiciis P. Scipionis Africani junioris, sic jubente senatu populoque Romano. Hic Carthaginis à Didone & Phœnicib. in Africa orā constructę, urbis potentissimę & clarissimę finis fuit, cum steteret annos à primordio suo dēcxxxvii, post conditam Romam dēviii, ab initio Olympiadum ab Iphito instauratarum dēcxxx. Incidit enim excidium ejus in Olympiadis clviii annum ii, cum consules Romę essent C. Corn. Lentulus, L. Mummius, qui Mummius eodem illo anno Corinthum quoque delevit, Achaia caput, & flueret annus in periodo Julianā quater millesimus, quingentesimus sexagesimus octavus. Quanquam non ignorem de ætate urbis Carthaginis varias esse autorum diversorum sententias. Florus enim ex Livio libro li deletam ait anno dēcc postquam erat condita: quam sententiam Eutropius quoque & Orosius sequuntur. Solinus vero steterisse eam incolamem ab ortu ad hunc occasum annos dēcxxxvii, nisi vitio librariorum error in numero obrepserit, & scribendum forte sit dēcxxxvii. Iustinus qui conditam scribit annos lxxii ante Romam, durationem tribuere ei videtur annorum dēclxxx. Eusebius in Canone Chronico duas recitat sententias, priorem de annis dēclxviii, posteriorem de dēcxlvi. Appianus Alexand. in Lybicis extractam censens annos L, ante captam annos Trojam tribuit mlxxxvii. Quę varietas inde existit, quod de initio ejus inter autores sit dissensus. Mihi vero simillima videtur sententia, quę est supra à me expressa. Intelligo tempus extractę urbis in continenti, quod antecessit extractio prima in insulā Cothone vicinā toto octennio.

Ab hoc excidio desolata jacuit Carthago annos xxii. Anno autem desolationis xxiii, consulibus in urbe Romā Q. Cæcilio Metello Balearico, & T. Quintio Flaminio coloniā istuc deductā autore ipso C. Graccho tribuno

tribuno pl. instaurari cepit, sed omine haud felici, nomenque ei datum Iunonia. Verum cum fortuna ejus maneret humilis & perexigua, anno demum post desolationem *cii*, quo C. Cæsar Romæ in curiâ cæsus occubuit, autore ipso Cæsare, majori mole & copiâ missis magno numero colonis novis instaurata est felicius, cum Roma numeraret annum, ex mente Varronis, *dccx*, qui concurret cum anno periodi Iulianæ quater millesimo sexcentesimo septuagesimo, Nabonassareo *dcciiii* à Calend. Ianuarii ad diem *iiii* Septemb. Olympiadis autem *clxxxiiii* primo ab æstate media. A qua instaurazione Carthago, (hoc enim ei nomen ex voluntate Cæsaris redditum) caput rursus extulit supra omnes cæteras Africæ urbes, supplemento etiam addito à Cæsare Augusto, tantaque incrementa cepit, ut de urbium primatu cum Alexandria Ægypti post urbem Romam in toto Romano imperio, ut optimus autor Herodianus testatur, certaverit. Occupata deinde à Vandalis post eandem instauracionem anno *ccccclxxxii*, qui fuit urbis Romæ *mcxcii*, periodi Iulianæ quinquies millesimus centesimus quinquagesimus secundus, Nabonassareus *mcclxxxvii*: recepta à Romanis duce Belisario post annos *xciiii*, fluentum anno Romano *mcclxxxvi*, periodi Iul. quinquies *mcclxxxvi*, Nabonassareo *mcclxxx*, imperii Iustiniani Magni *vii*, æræ Christianæ vulgaris *dxxxiii*. Mansitque deinceps sub imperio Romano, & sedes prætorpiter deserta à Romanis, qui eam cum Afris habitabant, & à Gothis præfidiariis segniter propugnata in potestatem Saracenorum Africam pervastantium venit, totaque penè diruta concidit imperante tum apud Constantinopolitanos Constantino Pogonato Constantis filio, Heraclii nepote, anno æræ Christianæ vulgaris *dclxxxv*, periodi Iulianæ quinquies millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, Iphiteo *mcclclxi*, Urbis Romæ conditæ *mcclxxxviii*, Nabonassareo *mcclxxxiii*, Hegiræ Mahumeticæ *lxv*. Ab hoc casu, qui verè *πανάληθρον* ei fuit, nunquam Carthago resurrexit, sed in ruderib. jacens permanfit usque ad nos. Nam licet pontifex quidam Saracenus post desolationem hanc elapsis annis compluribus colonos novos illic collocarit, ut Ioannes Leo Afer scriptum reliquit, tamen totum id quod extructum fuit, exile fuit, vix vigesimam veteris ambitus partem occupans, domosque complexum vilissimas, numeroque non magno, & in his perpauculas mercatorum officinas, ut est apud scriptorem eundem: oppidulum sanè non dignum, cui Carthaginis nomen tribuatur. Quod oppidulum in expeditione Africanâ contra Saracenos levi operâ cepit Ludovicus *ix* Gallia rex circiter annum Christi *mcclxx*, sed nullo Christianorum bono. Nam paulò post in Tunetanâ obsidione, cum pestis atrocissima exercitum ejus depopularetur, eadem ipse quoque correptus periit. Ita obsidio illa deserta, exercitus re infectâ abductus, omnia, quæ occupata erant, Saracenis rursus relicta. Ex ruinâ verò Carthaginis crevit Tunetum oppidum vicinum, sed tum temporis tenue & obscurum, tantumque incrementum cepit, ut tota regio circumjacens Tunetani regni nomen ex eo invenerit: quod etiam nunc durat. Carthago verò in Carthaginis solo jam quæritur. Stetit ab instauracione Cæsariana ad excidium hoc Saracenicum per annos circiter *dccxxvii*. Ab initio autem conditæ quondam à Didone, ad hanc eandem à Saracenis profectam desolationem anni fluxere *mdlxxvii*. Cui durationi si exemeris intervallum ab excidio priore ad instauracionem, ejus autor C. Cæsar fuit, manebunt anni, quibus floruit Carthago, *mcclclxv*.

Plutarchus in vita Cæsaris videtur hanc Carthaginis instauracionem esse in annis proximè præcedentem: at Dion Cassius in hunc locum notatus est, uti & Appianus.

POST regionem hanc, cujus caput Carthago fuit, in eodem Africæ tractu maritimo versus occidentem, Numidia quondam erat, cum flo-
 rerent res Punicæ & Romanæ: habitabaturque à duobus potissimum po-
 pulis, Massylis & Masafylis, utroque latè patente, & communi Numida-
 rum nomine comprehenso. Illis orientior, Carthagenensium ditioni vi-
 cina, his occidentior, Mauris finitima sedes fuit. Uterq; populus, cum bel-
 lum Punicum inter Romanos & Carthagenenses ferueret, regem suum
 habuit, Masafuli Syphacem, Massyli Masinissam. Huic pater fuit Gala,
 patruus Defalces, patruelis Capusa, qui omnes regnum hoc ordine tenen-
 tes brevi tempore, durante eodem illo bello è vivis sublatis sunt. Ipse
 adolescens pro Carthagenensibus primùm contra Romanos in Hispania
 militavit: deinde virtute Scipionis, qui post Africanus dictus est, com-
 motus, relicto Carthagenensibus, Romanorum societati se dedit, ac ho-
 rum subsidio, cum arma in Africam translata essent, Syphacem æmulum
 Carthagenensium partes secutum, evertit, ejusque regnum belli jure &
 Romanorum beneficio suum quoque fecit, Ita potentiâ supra omnes ma-
 jores suos auctus, omnibusque Afris formidabilis, in amicitia cum Ro-
 manis constans perstitit quoad vixit, & cum tandem ætate gravis dece-
 deret, regnum filio Micipsæ reliquit. Micipsa filios genuit, Adherbalem
 & Hiempsalem regni hæredes: & his addidit Iugurtham ex fratre Ma-
 nastabale, & concubinâ, toro scilicet illegitimo natum, adoptatum à
 sese. Sed hic interemptis per scelus legitimis cohæredibus solus regnum
 in se vertit. Et propterea à Romanis longo bello petitus, à C. Mario
 tandem fractus & regno ejectus, atque à Boccho Maurorum rege, ad quem
 confugerat, L. Syllæ Marij legato traditus est, P. Rutilio Rufo, Cn. Mal-
 lio Romæ consulib. anno Romæ conditæ DCXLIX, periodi Jul. quater mil-
 lesimo, DCIX: & anno proximo ineunte ipsis Kalendis Ianuarij C. Mario
 II, C. Flavio Fimbriâ Coss. Romæ in triumpho Consul ductus, atque in
 carcerem datus est, in quo interiit. Numidiæ pars, quæ Masafylorum fuit,
 finitima Mauritaniæ, in præmium traditi Iugurthæ, Boccho Maurorum
 regi donata, atque ita duplex facta Mauritania: altera pars Carthagini &
 Africæ minori vicinior, quam Massyli, è quibus Masinissâ ortus, tenebant,
 principi è domo Masinissæ sive nepoti sive pronepoti relicta, quem Plutar-
 chus in vitâ Marii Iampsam vocat. In hujus locum venit Hiarbas à Plu-
 tarcho nominatus in vita Pompeij, partium Marianarum studio sus, atque
 idè à Pompejo pro Syllanis partibus bellum gerente oppugnatus & ca-
 ptus, ac Hiempsal ei surrogatus, quem & Plutarchus eodem loco nomi-
 nat, & M. Cicero memorat in oratione Agrariâ secundâ. Hiempsali suc-
 cessit filius Iuba bello civili C. Cæsaris hostis, à Cæsare victus cum Sci-
 pione, Catone, Labieno, Petreio, ac non regno solum, sed vitâ quoque
 expulsus. Tum Numidia omnis à Cæsare Romanorum provincia facta,
 primusque præses ei datus C. Crispus Salustius historiæ scriptor. Factum
 C. Cæsare III & M. Æmilio Lepido Coss. anno urbis Romæ DCCVIII,
 periodi Jul. quater millesimo, sexcentesimo, sexagesimo, octavo, qui an-
 nus erat confusionis proximè antecedens primum annum Iulianum refor-
 matum. Hujus Iubæ filius fuit, Iuba junior, à Cæsare adhuc puer Ro-
 mam abductus, ibique curâ Augusti optimis literis imbutus, eruditione
 doctissimisq; libris editis celebrior factus quam regio genere, aut regno.
 Nam idem Augustus post debellatum atq; eversum Antonium occupatq;
 Ægyptum, collocatâ, ei in matrimonium Cleopatram Antonii & Cleopatram
 filiâ regnum quoque eidem paternum restituit, ut affirmat Dion Cassius,
 ac

ac post aliquot annos se IX & M. Silano Coss, qui erat urbis Romæ DCC-
 XXIX, periodi Iul. quater millesimus DCLXXXIX, pro patrio hoc regno,
 ex quo provinciam rursus facere constituerat, utramque Mauritaniam,
 quæ Bogudis & Bocchi quondam fuerat, cum parte Getuliæ Romano im-
 perio tunc parente donavit. Ex eò & Cleopatrá genitus est Ptolemæus,
 qui Mauritaniam à morte patris possedit imperante Romæ Tiberio, ut do-
 cet nos Strabo geographus, istius ævi scriptor fidissimus, & astipulatur
 Dion Cassius, qui ait evocatum à C. Caligula III Cōsule ob opes magnas,
 quas possidebat, Romæ esse necatum. Regnatum in Numidia ab initio
 Masinissæ ad interitum Iubæ majoris per annos CLXVI, diutius si à Ga-
 la Masinissæ patre, aut ab avo ejusdem Nerva, quorum incerta nobis tempo-
 ra sunt, principium sumatur. Et crescet temporis modus si etiam annos
 Iubæ minoris, quib. patrio regno præfuit, adjeceris. Post Iubam hunc aliò
 translatum mansit Numidia in potestate Romanorum ad adventum Van-
 dalorum per annos circiter CCCCLIII: atque inde eandem ferè fortunam
 tulit, quam Africa ei finitima: quæ ante, cum de Carthagine ageremus, est
 à nobis exposita.

TEMPORA REGVM MAVRITANIAE.

PER antiquus populus in Africa fuit ad occidentem Solem & fretum Her-
 culis, Mauri aut Maurusij: utroque enim modo nominantur. Mosque
 regnandi apud eos fuit vetus. Sed primus regum, qui ex historia nobis
 innouère, Bocchar est æqualis temporum belli Punici II à Romanis ge-
 sti, à quo Masinissa ex bello Hispanico audito morte patris, patris, pa-
 truelis in Africam reversus, commodatis aliquot equitum millibus contra
 inimicos est adjutus. Post eum Mauritaniam ex intervallo devēnit ad Boe-
 chum, qui Iugurtham Numidam ad se in extremo periculo confugientem
 & supplicem Romanis tradidit, atq; ob id meritum velut præmii loco ab iis
 Numidiæ partem regna suo finitimam accepit, quæ tum Mauritaniam nova
 cepit appellari, à Malucha fl. in Ampsagam extensa: post verò à Cæsareâ
 urbe in litore Cæsariensis est nuncupata, cum altera vetus ac Tingitana fre-
 to vicina diceretur. Post hunc Bocchi alij, quorum ultimus cum fratre
 Bogude à C. Cæsare, cujus partes secuti erant tempore belli civilis Pompe-
 jani, ac Iubam Numidam Cæsaris hostem oppugnaverant, rex est appella-
 tus: tenuitq; divisum cum fratre regnum, ita ut ipse Mauritaniam novam,
 Bogud veterem possiderent. At mortuo C. Cæsare Octavianus Augustus
 ob Antonium contra se adjutum Bogudi regnum ademit, & Boccho fratri
 contribuit, ut jam Bocchus utriusque Mauritanie rex esset & censeretur.
 Quo è vivis exempto ab eodem Augusto Mauritaniam tota formam provin-
 ciæ accepit, anno urbis Romæ DCCXXI, periodi Iulianæ quater millesimo
 DCLXXXI ipso Augusto II & L. Vulcatio Tullo consulib. Verù post octen-
 nium placuit eidem Augusto, à minore Iubâ receptâ Numidiâ, atq; in pro-
 vincia formâ redactâ, velut permutatione factâ, Mauritaniam cum Getuliæ
 parte, ut jam antè in Numidicis dictum, ei reddere, cum ipse nonùm consul
 esset, & collegam M. Junium Silanum haberet. Ita regnatum rursus in Mau-
 ritaniâ usque ad Iubæ filium Ptolemæum à C. Caligulâ imp. opib. ejus in-
 hiantem occisum anno urbis Romæ DCCXCIV, periodi Iul. quater millesimo
 DCCCLIV. A quo tēpore Mauritaniam utraq; à præsidib. Romanis administra-
 ta fuit ad res à Vandalis primū anno grę Christianę CCCCXXVII, quæ tēpe-
 stas duravit non diu, deinde post annos CC à Saracenis, qui totâ Africę lon-
 gitudinē secundū mare mediterraneū porrectâ fœdè affixerūt & religionē
 Christianam

Christianam oppressam in impiam superstitionem Mahumetanam commutarunt illic turbata. A medio tempore belli Punici II, quo Bocchar regnabat in Mauritania ad occisum à Caligulâ Ptolemæum Iubæ junioris filium anni fluxere quasi ccl. Inde ad primum influxum Vandalorum, qui ultra biennium ibi non substitere, cccclxxxvi; ad Saracenorum autem primas incursiones, & sordes ab ipsis invecas, plus minus dcx. In his fordibus cum reliquâ Africâ maritimâ Mauritania etiam nunc hæret.

TEMPORA CYRENAEORVM ANTIQVISSIMA.

Maxima & clarissima post Carthaginem totius Africæ ab Ægypto in Oceanum secundum mare mediterraneum porrecte urbs est Cyrene, origine Græca, inter Ægyptum & Carthaginem sita. Condidere eam Theraei Lacedæmoniorum coloni principe Aristotele Batto Polymnesti filio, in quo omnes autores consentiunt. Sed de tempore ejus extractæ variant sententiæ. Nam Eusebius ter diversis locis, & quidem satis longo intervallo disjunctis Cyrenen cõditâ notat, primò anno repromissionis dclxxxix, qui est ei ante initium Olympiadum ccx, iterum Olympiadis v anno III, tertio Olympiadis xxxvii anno II: Pindarus in Pithiis Ode IV conditum urbis confert in generationem xvii à Medeâ quod tempus ultimâ notâ Eusebianâ sine dubio est posterius. Plinius autem lib. xix cap. III affirmat initium Cyrenes congruere cum anno urbis Romæ cxliiii. At Solinus cap. xl conditam à Batto ait Olympiade xli, annis dlxviii post Troiæ excidium (sic enim utrumq; hunc numerum ob gravissimas rationes scribendum arbitror,) Anco Marcio Romæ regnante. Quam diffensionem ego non solum ad diversos autores, unde Eusebius, Plinius, Solinus sua sumpserunt, sed etiam ad diversa principia, quibus vel prima urbis fundamenta jacta, vel urbs novis colonis & ampliatis pomæriis aucta est. Constat quippe ex Herodoto, initia sub primo Batto, & ejus filio Arcesilao admodum tenuia fuisse; maxima autem incrementa coloniam cepisse sub Batto IIII novis colonis ex universâ Græciâ magno numero Apollinis oraculo excitâ assiduò istuc affluentibus. Placuisse verò colonis ab initio statim regimen regium ex eodem Herodoto discimus, regesque omninò regnum tenuisse VIII familiæ ejusdem: Battum III, qui in ordine quintus fuit, cum Aprye rege Ægyptio vixisse & regnasse: ejus ex filio Arcesilao nepotem Battum IV opera hominis Mantinei Demonacis civitatem in tres classes bono publico divisisse, atque hujus filium Arcesilaum regem VIII, Cambydis Persæ amicum, ordini illi se objicientem cives graviter offendisse, & post varias fortunæ vices, cum secundo ex civitate fugisset, apud Barcæos vicinos à suis pariter & Barcæis unâ cum socero qui Barcæis præerat, ob sævitiam, quam exercuerat, esse interemptum, similemque pœnam matrem quoque ejus Pheretiam pessimorum consiliorum autorem, ope Persarum ex Ægypto evocatorum Barcæos crudeliter persequentem pependisse: facta hæc Dario Hystaspis apud Persas imperâte, & Ariande Darij ministro Ægypto præidente. Is regni finis fuit apud Cyrenæos, quod durasse annos quasi cc Scholiastes Pindari docet. Hinc jam liberâ & sui juris Cyrene crevit plurimum & proximos quoque imperio suo subjecit. Atque hæc libertas stetit ei integra ad mortem Alexandri Magni. Quo extincto, à Thimbrone quodam, qui Harpalum peculatorem thesaurorum Alexandri in Cretâ occidit, & pecuniâ ejus exercituq; potitus, quærendi novi imperii causâ in Africam trajecit, bello periti Cyrenæi, & jam virib. fracti, in potestatem Ptolemæi Ægypto præfecti, qui

qui auxilia laborantibus duce Ophello contra Thimbrōnem mittebat, concesserunt, anno eodem, si Diodoro credimus, quo mortuus est Alexander. Ita duravit apud eos libertatis status circiter annos CLXXXV. Exin Ptolemæis Ægypti regibus cum vicinâ regione usque ad aras Philenorum, & Syrti confinia paruerunt. Regio dicta est Cyrenaica à metropoli, & *πεντάπολις* à numero urbium illustrium, quas ea comprehendit: quarum prima ad occasum ac Syrti vicina Beronice, altera Arsinoe Tenchira quondam nuncupata, tertia Ptolemæis olim Barce appellata, quarta ipsa Cyrene à mari recedens ad stadia circiter LXXX, in patenti atque edito campo sita, quinta Apollonias Marmaricæ & Catabathmō finitima cum portu Cyrenensium valde commodo. Hanc Ptolemæus Ptolemæus, qui septimus in Ægypto regnavit, à patre Epiphane accepit, cum regni titulo, & fratre Philometore sine liberis maribus defuncto, cum Ægypti rex esset factus, eandem testamento legavit filio ex concubinâ nato Ptolemæo Apioni, adiectâ quoque Lybiâ aridâ, quæ Ægypto solebat coherere, Mareotidi finitima, Catabathmo, valle divexâ & profundâ, à Cyrenaicâ diremptâ, ut latius regnaret. Apion cum diu in eâ Africæ parte sceptrum tenuisset, moriturus anno urbis Romæ DCLVIII, qui erat periodi Jul. quater millesimus sexcentessimus decimus octavus, cum consules Romæ essent Cn. Domitius Ahenobarbus & C. Cassius Longinus in regno Cyrenaico populum Romanum testamentarium hæredem scripsit. Populus R. hæreditate aditâ Cyrenen & cæteras regni ejus civitates libertate donavit. Sed cum tyranni statum earum turbarent, ac tyrannide affigerent, L. Lucullus aliam ob causam in Africam & Ægyptum à Syllâ bellum Mithridaticum gerente missus tyrannos compressit & Cyrenæis libertatem, quam acceperant, à Romanis, restituit, & ordinem cum quiete Reip. dedit. Sed videntur quietem & libertatem conservare diu non potuisse. Nam M. Cicerone consule, quod satis constat, provinciæ formam jam acceperant, & ut plurimum cum Cretensibus ab uno præside eâ atate ac deinceps regebantur. At verò annis XXXI post legatam Romanis Cyrenaicam Lybia quoque arida, in qua templum illud famosum Iovis Ammonis situm fuit, inter Catabathmum & Mareotim Ægypti regionem clausa, ab altero Ptolemæo Apione, sive filio prioris, sive fratre aut agnato (hoc enim in obscuro est) similiter populo Romano per tabulas testamenti donata fuit, cum consules Romæ essent C. Calp. Piso Frugi, & M. Acilius Glabrio, fluente anno urbis Romæ DCLXXXVII, quadriennio ante consulatum M. Ciceronis: adscripta, uti reor, provinciæ priori. Post quæ tempora tota hæc Africæ pars à Philenorum aris usque in Ægyptum sub imperio Romano conquievit ad Arabum Saracenorum in Africam irruptiones sub Heraclio imperatore & liberis ejus. Nec enim à Vandalis Numidiâ & Carthagine potitis aliquid passam à bonis scriptorib. memoriæ proditum est. Ab Arabibus verò ex Ægypto in Africam influentibus Cyrene quoque capta ac deleta est, & tota regione pessundata. Et ab eo tempore Cyrenorum nomen quoque cum fortuna est extinctum. Regio tota ab Arabib. infessa. Regnatum, ut dixi, apud Cyrenæos à regibus VIII per annos plus minus CC. Dein libertas usurpata annis circiter CLXXXV. Ptolemæis urbs cum regione paruit per annos CCXXVII, sub Romanis mansit incolumis annis quasi MCCCXLII. Sic stetit Cyrene in universum annos plus minus MCCCXLII. Arabes posteris temporibus in regione Cyrenaicâ urbem novam condidit, præ reliquis illustrem Carvani nomine, atque ibi Caliphatus Africanæ in plagâ sedem collocarunt.

VBBONIS EMMII

De temporibus GRÆCORVM.

TEMPORA ARGIVORVM
VETVSTISSIMA.

ARgivorum rex primus **INACHVS**, ut traditur, regnare cepit anno periodi Iulianæ bis millesimo, octingentesimo, quinquagesimo, septimo, mundi bis millesimo, nonagesimo, tertio, diluvij **CCCCXXXVII**; post Abrahæ vocationem **LXX**, ante exitum Hebræorum ex Ægypto **CCCLX**, ante Cecropem primum regem Atheniensium **CCCI**, ante excidium Troiæ **DCLXXIV**, ante initium Olympiadum ab Iphito instauratarum **MLXXXI**, ante conditam Romam **MCCIV**, ante natalem Christi Dionysianum **MDCCCLVII**. Post Inachum regnarunt Phoronæus, Apis, Argus, Criafus, Phorbas, Triopas, Crotopus, Sthenelas, Danaus, Lynceus, Abas, Prætus, Acrisius ultimus. Hic fuit filius Abantis, frater Præti, pater Danaës, ex qua natus fuit Perseus proavus Herculis: regnavit annos **XXXI**: periit ab imprudente Perseo nepote disco percussus post Inachi principium annis **DXLIV**. Hæc duratio regni Argivi.

TEMPORA REGVM MYCENAEORVM.

Mortuo Acrisio regnum translatum est Mycenæ. Illic regnarunt ordine reges **VII**, per annos **CLXXXIX**: quorum regum **I** Sthenelus, **II** Eurystheus Herculis persecutor, **III** Atreus cum fratre Thyeste, Pelope natus, **IV** Agamemnon, **V** Ægistus, **VI** Orestes, **VII** Penthilus, qui desit anno periodi Iulianæ ter millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, post initium Inachi **DCCXXXIII**, post captam Troiam **XXXIX**, cum Atheniensib. præflet penultimus rex Melanthus,

TEMPORA ATHENIENSIVM.

Atheniensium rex primus Cecrops *διφυή* cepit regnare anno periodi Iul. ter millesimo centesimo, quinquagesimo, octavo, mundi, secundum Scaligerum, bis millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, post diluvium **DCCXXXVIII**, post vocationem Abrahæ **CCCLXXI**, a nativitate Mosis **XX**, ante exitum Hebræorum ex Ægypto **LIX**: post initium Inachi regis Argivi **CCCI**, ante excidium Troiæ **CCCLXXIII**, ante initium Olympiadum Iphitearum **DCCCLXXX**; ante Romam conditam **DCCCLIII**, ante natalem Christi Dionysianum **MDLVI**. Regnarunt Athenis reges **XVII** per annos **CCCCLXXXVII**. Quorum regum **II** fuit Cranaeus, **III** Amphyction, **IV** Erichonius, **V** Pandion, **VI** Erachteus, **VII** Cecrops alter, **VIII** Pandion alter, **IX** Ægeus, **X** **THESSEVS**, **XI** Mnèstheus, **XII** Demophon, **XIII** Oxyntes, **XIV** Aphidas, qui uno tantum anno sceptrum tenuit, **XV** Tirætes, **XVI** Melanthus, **XVII** & ultimus Codrus, qui pro patria cum se devovisset, periit anno periodi Iul. ter millesimo **DCXLV**, Saulis apud Hebræos regnantis tertio, annis **VII** ante initium regni Davidis. Post reges & finem Codri imperarunt Athenis archontes perpetui **XIII** per annos **CCCXV**: quorum primus fuit Medon Codri filius, penultimus Æschylus, cujus anno secundo, cœpère Olympiades ab Iphito instauratæ: postremus Alcmaeon non totis annis duob. præfuit: Decessit anno periodi Iul. ter millesimo nongentesimo sexagesimo, qui proximè antecessit annum natalem urbis Romæ secundum rationes Varronis. Hos excepère archontes decennales numero **VII** per

vii per annos lxx; quorum primus Charops Æschyli filius, postremus Eryxias: cuius finis incidit in annum periodi Iulianæ quater millesimum vigesimum sextum, Olympiadis xx annum iv exeuntem, Numæ Pompilij regis Romani xxvii, Gygis Lydi xxv, Dejocis Medi vi, Manassis Iudæi xii, à Cecropis primi initio dcccclxviii.

Eodem tempore mutata Reip. gubernandæ ratione creati sunt loco unus archontis decennalis archontes ix annui: quorum unus propriè ἀρχων, qui nomine suo annum signabat, alter rex, tertius polemerchus, reliqui sex thesmotheræ dicebantur. Atque hoc fuit pr incipium plenæ libertatis, veræque democratix Atticæ, primusque in eâ ἀρχων ἐπιώνυμος designatus est CRIBON. Et hic status duravit diutissimè, cui leges tulit Dracon Olympiadis xxxix anno primo, ab initio hujus status lxxiii; idemque postea quoque fecit, & simul Remp. totam ordinavit SOLON. Et quanquam turbatus pressusve sæpe sit, ut à Pisistrato & Pisistratidis, à factione Pisandri ardente bello Peloponnesiaco, à Lacedæmoniis & xxx tyrannis in belli ejusdem fine, à Macedonibus, ab Archelao Mitridatis Pontici regis præfecto, & Aristione dominatum usurpante bello Mitridatico; tamen semper instauratus ad postrema civitatis ejusce tempora pervenit sub imperatoribus Romanis. Quorum temporum terminum si staveris in initio Caroli Magni imperii titulū sumentis in Occidente (quavis dubium non sit quin multò longius procurrerint) numeraveris annos ab exordio libertatis popularis & ἀρχόντων annuorum non pauciores quam mccccclxxxviii. Quibus si adjeceris tempora priora à Cecropis primi principio, confeceris annos civitatis Atticæ, quib. ipsa stetit, mmccclvi. Floruit verò maximè à temporib. Solonis ad dominatum Demetrii Phalerei, qui captà à Cassandro Macedone urbe circiter mediam Olympiada c xv, sexto post Alexandri Magni mortem, septimo ante caput æræ Alexandræ Syromacedonum anno ab eodem Cassandro cum valido præsidio peregrino Reip. impositus fuit. Nam eo fluente intervallo non solum ipsa optimarum disciplinarum atque artium omnium, imprimis sapientiæ & eloquentiæ domicilium, totiusque Græciæ παιδευσις fuit, sed gravissimæ quoque bella Medica aut Persica contra Darium Hystaspis, Xerxem, Artaxerxem, item Æginaum, Euboicum, Samium, Peloponnesiacum, Siculum, Ægyptiacum, Macedonicum, & alia ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro, Plutarcho, Justino autoribusque pluribus descripta gesit, magnumque sibi nomen & magnam gloriā peperit.

TEMPORA LACONVM.

Lacedæmone olim regnarunt ordine sibi mutuo succedentes reges xii ante reditum Heraclidarum in Peloponnesum & initium filiorum Aristodemi: sed quandiu regnarint tum singuli tum universi, est incertum. Regnarunt verò hoc ordine. Eurotas primus, qui fluvio nomen dedit: Lacedæmon Eurotæ frater uterinus, à quo Lacones ac Lacedæmonii dicti, & regio ipsa cum civitate appellationem sortita: Amyclas Lacedæmonis filius conditor Amyclarum: Argalus Amyclâ genitus: Cynortas filius Argali, coævus Persei ab eodem Lacedæmone ortus: Cynortæ patri successit Oebalus: huic filius Hippocoön pulso fratre suo Tyndareo: tum Tyndareus Oebali quoque filius ejecto vicissim fratre Hippocoonte: & post hunc Castor & Pollux Tyndareo nati: post hos Menelaus Atrides maritus Helenæ sororis Castoris & Pollucis: quo mortuo Orestes Agamemnonis filius ductâ uxore Hermione Tyndarei nepte: de-

nique ex his conjugibus natus Tifamēnus. Eo regnante Heraclidē in
 Peloponnesum rediēre, & ex his Aristodemi duo filij Eurysthēnes & Pro-
 cles regnum Lacedaemone inierunt anno Periodi Iul. ter millesimo, sex-
 centesimo duodecimo, post excidium Troiæ LXXX absoluto, qui fuit
 CCCXXVII ante initium Olympiadum ab Iphito instauratarum, CCCXL
 ante Romam conditam, post quem anno proximè sequente apud He-
 bræos cæpit Samuel propheta munus iudicis obire. Atque ex hoc
 tempore Lacedaemonij duos semper reges habuerunt simul regnantes, al-
 terum ex Eurysthene, alterum ex Proclis profapiâ: quibus Lycurgus ad-
 nepos Proclis, Eunomi regis filius, Polydectæ frater, Charilli aut Charil-
 lai impuberis, Polydectæ geniti patruus ac tutor, cum Remp. ordinaret,
 & leges civitati ferret, senatum XXVIII virorum adunxit, sine cuius vo-
 luntate & consilio ipsis agere in rep. nihil licuit. Quod factum post re-
 gnum ab Eurysthene ac Procle initum annis circiter CCCXXII, post facta
 in continente Carthaginis fundamenta XIII, quadriennio ferè post in-
 teritum Sardanapali, cum Ioas rex rerum potiretur in Iudæa. Deinde
 post annos circiter CXXXI, ab exordio regni Eurysthēnis & Proclis CCC-
 LXIII, cum flueret Olympiadis IX annus primus, & regnum administra-
 rent Polydorus Alcamenis filius, Eurysthēnides, & Theopompus Nican-
 dri fil. Proclides, surgente tum bello contra Messenios primo, autore
 ipso Theopompo, regibus & senatui appositi sunt Ephori quinque velut
 plebis patroni, absentiumque regum vicem gesturi: quibus data potestas
 annua; quæ cum temporis progressu crevit supra modum, ut etiam regib.
 & senatorib. & aliis civitatis primoribus esset formidini, similima tribuni-
 tiæ in civitate Romanâ. In primis sub Theopompo creatis fuit Elatus,
 teste Plutarcho. Rursum post annos circiter CLXXXVII ab hoc Ephoro-
 rum primordio; post leges verò Lycurgi admissas, senatumque regibus
 additum CCCXI, post initium regni Heraclidarum in Eurysthene & Pro-
 cle DCLIV, institutum, ut è numero quinque Ephorum, qui quotannis
 designabantur, unus anno suo nomen daret, quem ex eo ἐπώνυμον dice-
 bant, quemadmodum apud Athenienses ἀρχων, & apud Romanos con-
 sules. Factusque est primus ἐπώνυμος ephorus Cleon, inter septem
 Græciæ sapientes numeratus: qui honorem illum gessit, si Eusebio cre-
 dimus, Olympiadis LV anno tertio, cum ante triennium ferè in Persia
 regnum auspiciatus esset Cyrus. Ab hoc autem tempore multi clarue-
 re in eâ civitate reges ac principes virtute & gloriâ insignes, ab iis, qui
 historias scripsere, celebrati. Desiit tandem hoc Heraclidarum regnum
 apud Spartanos cum Cleomene Eurysthēnide regum illorum ultimo, qui
 cum Ephoros anno regni sui sexto occidisset, & ex Rep. Spartanâ sustulisset,
 potestatemque legitimam in tyrannidem vertisset, demum Olympia-
 dis CXXXIX anno secundo, regni anno XVI, commissa infelici pugna ad
 Sellasiam contra Antigonom Macedonia regem, Philippi II tutorem, &
 Aratum Sycionium Achæorum prætorem regno pariter & patriâ excidit:
 exulque in Ægyptum cum concessisset ad Ptolomæum Evergeten, triennio
 post sub Philopatro cum omnibus suis illic miserè periiit. Annus se-
 cundus Olympiadis CCCXXXIX concurrat priore sui parte cum anno pe-
 riodi Iulianæ quater millesimo quadringentesimo nonagesimo primo,
 mundi secundum rationes Scaligeri ter millesimo septingentesimo vige-
 simo octavo, urbis Romæ conditæ secundum Varronem DXXXII, ante
 belli Punicæ II principium v. Duravit itaque hoc regnum Heraclida-
 rum apud Spartanos ab initio sui per annos DCCCLXXX, post acceptas à
 Lycurgo leges DCLVIII, post Ephoros primos sub Theopompo creatos
 DXVII,

CXXXIX.

DXVII, post ἐφορείαν Chilonis CCCXXXVI. Ephorum magistratus ab Elato primo ad ultimos à Cleomene interemptos incolomis stetit annos CCCLXXIII. At Cleomene in exilium pulso Antigonus victor libertatem & αὐτονομίαν Spartanis restituit. Tum Ephori rursus creati: ab his, volente populo, cum nuncium de morte Cleomenis allatum esset, duo reges rursus electi Agesipolis ex genere regio Heraclidarum, & Lycurgus à sanguine regio alienus. Sed post annos non multos omnia rursus confusa: ephori iterum trucidati: regia potestas sublata; Respub. à Tyranno Machanidâ primùm, dein Nabide oppressa; demum civitas à Philopæmone Achæorum imperio subiecta, Lycurgique instituta in totum abrogata. Postremò cum Achæis bello Achaico in potestatem Romanorum eadem civitas redactâ: sub quorum imperio quiescens cum reliquis Græcis, sed ingloria, & potentia omnis expers egit per multa sæcula: donec reliquæ tenues à Mahomethe II Turcarum imperatore, cum cæteris Peloponnesi urbibus, circiter annum Christi MCCCCIX oppressæ, Misithræ hodie nuncupata.

Ab everso Cleomene ad Achæorum imperium finitum anni fluxere LXXVII. Hinc ad Peloponnesum à Mahomethe subactam, & Lacedæmona occupatam anni lapsi sunt quasi MDCV. Ita à principio regni Heraclidarum apud Spartanos ad hanc servitutem Turcicam numerantur anni bis mille DLXI.

TEMPORA MACEDONVM.

Quemadmodum ex Aristedemo abnepote Herculis per filios ejus duos Eurysthenem & Proctem propagatae sunt duæ familiae regum Spartanorum, ita ex Temeno ejus fratre descenderunt reges, qui longo ordine rerum potiti sunt in Macedonia. Quorum primus Caranus domicilium illie constituit, & regnum sibi paravit per angustis finibus circumscriptum circiter annum periodi Julianæ ter millesimum nongentesimum primum, mundi millesimum centesimum tricesimum septimum, ante initium Olympiadum Iphitearum XXXVI, ante Romam conditam LIX, paulò ante finem Amasæ regis Iuda. Mansitque regnum obscurum & tenue per tempora successorum Carani numero VII, Cæni, Tyrime, Perdicæ, Argæi, Philippi, Aropi, Alcetæ, usque ad Amyntam I Alcetæ filium, ad quem senè venere legati Darij regis Persici Hyftaspis filii postulatam terram & aquam, qui primum supra majores suos inclaruit, cepitque regnare anno periodi Julianæ quater millesimo centesimo sexagesimo primo, Olympiadis LVI anno quarto, Cyri in Persiâ regnantis anno septimo, Servii Tullii apud Romanos XXIV aut XXV: regnumque tenuit per annos totos L. Cui successit Alexander filius cognomento dives Olympiadis LXIX anno primo paulò post exituro, clarior etiam patre: qui Nobiles Persas Darij regis legatos lascivius apud patrem in convivio agentes adhuc juvenis occidit. quo regnante pugnatum à Græcis contra Persas ad Marathonem sub Dario, ad Thermopylas, Salaminem, Plataas sub Xerxe. Quem excepit filius Perdiccas Thucydidi memoratus in historia belli Peloponnesiaci: & hunc Archelaus ex concubina natus, qui cede fratris legitimi, item patris Alcetæ, & filij ejus regnum sibi paravit. Inde per varias mutationes tandem diadema pervenit ad Amyntam ejus nominis secundum, patrem Philippi II; qui Philippus post fratres tres regno potitus id ipsum plurimum auxit multis nationibus vicinis subactis, & totâ Græciâ in ordinem propè redactâ: successoremque reliquit ALEXANDRVM Magnum Asiæ Orientisque domito-

rem,

rem, tandem Babylone mortuum Olympiadis cxiiv anno primo, periodo Iulianæ quater millesimo, trecentesimo, nonagesimo primo, mundi ter millesimo & dcxxvii, urbis Romæ ccccxvii, Nabonassari ccccxv. A cuius morte regis nomen in Macedonia tenuit Aridaeus, ejusdem frater nothus, per septennium non integrum, ultimus hujus familiae Heraclideæ à Temeno propagatæ. Duravit itaque regnum in hac familia à principio Carani ad finem Aridæi per annos quasi cccxcvi, à principio verò Amyntæ i, cum quo regnum inclauit, ad eundem Aridæi finem ccxxxiv. Mortuo Aridæo Macedoniam occupavit Cassander Antipatri filius, tenuitque annos xix: & post eum filii ejusdem duo Antipater & Alexander annos circiter iv, & à morte horum Demetrius Antigoni filius annos v. Post hunc verò Pyrrhus Epiri rex dies cx: post Pyrrhum Lyfimachus annos v. Tum Ptolemæus Ceraunus Philadelphii frater menses ix, Meleager menses ii, Antipater dies xlv, Sosthenes annum unum, possessione regni tam nobilis fluctuante. Hinc rediit regnum ad Antigonum Gonatam Demetrii filium: cui successit Demetrius filius: huic Antigonus δώρων, qui Cleomenem Spartanum evertit, Antigono Philippus iii Demetrio natus, Romanorum hostis, Philippoque demum PERSVS, regum Macedoniae postremus, à Romanis victus, captus, regno exutus. Cujus finis pertinet ad annum periodi Iulianæ ter millesimum, quingentesimū, quadragesimum sextum, mundi m dccc lxxxii, Olympiadis cliv quartum exeuntem, urbis Romæ dlxxxvi, Nabonassari dlxxx. Sic à fine Aridæi & principio Cassandri ad finem Persei occasumque regni Macedonici effluxere anni cxlviii. Vniuersa verò duratio regni ab initio Carani ad finem Persei fuit annorum dcxlv. Debellato Perseo Macedonia libertate donata est à Romanis: deinde ob rebellionem duce Pseudophilippo in provinciæ formam redacta.

TEMPORA SYROMACEDONVM
IN ASIA.

Seleucus Nicator, cum fluctuassent aliquandiu post mortem Alexandri Magni res Syriæ, & totius Orientis, anno demum à morte Alexandri xii occupatâ Babylone, ejusdem Syriæ & totius Orientis imperium sibi vendicavit anno periodi Iulianæ quater millesimo, quadragesimo secundo, Olympiadis cxvii anno primo, urbis Romæ ccccxlii, Nabonass. ccccxvii, sedemque regni constituit in Syriâ. Cujus posterius Seleucidæ dicti & Syromacedones, regnum illud paulatim accisum diminitutumque retinere: donec ipsi in partes variè scissi, perpetuisque bellis intestinis se mutuò miserum in modum affligentes Tigrani Armenio occasionem dederunt occupandæ Syriæ. Sed hoc à L. Lucullo proconsule Romano inde rursus ejecto, & regno Seleucidis reddito, at malè ab iis contra Tigranem defenso, Cn. Pompejus tandem & Tigrani & Seleucidis, ut regno inutilibus ac indignis pariter totam Syriam ademit, & Romanis subiecit anno periodi Iulianæ quater millesimo, sexcentesimo, quadragesimo nono, Olympiadis clxxviii anno iii, urbis Romæ dc lxxxviii, Nabonass. dclxxxii, post initium verò Seleuci Nicatoris in Syriâ & Babylone annis exactis ccxvi. A quo tempore Syriâ mansit in fide Romanorum usque ad tempora Heraclii imperatoris per annos propè dcc quanquam interea sepe à Parthis & Persis appetita & afflictâ: tum verò à Saracenis occupata & possessâ usque dum sub imperium Turcarum devenit: quibus etiam nunc patet.

TEMPORA

TEMPORA THEBANORVM
IN BOEOTIA.

PRimi hominum, quorum memoria ad nos pervenit agrum Thebanum in Bœotia Asopo flumine ab agro Plataensi divisum habitasse feruntur Ectenæ, quorum rex Ogygus indigenâ, ut docet nos Pausanias. Ogygus verò tempore paulò inferior fuit, secundum rationes Iulij Africani optimi Chronographi, Inacho primo rege Argivorum. Eleusinis in terra Attica conditor, quam sic ex nomine filiae suae dicitur appellasse: multò autem antiquior Cecrope Diphye primo Atheniensium rege: coævus Esavo & Iacobo Isaaci filius, Abrahami nepotibus. Quo in Bœotia regnante diluvium ingens oppressit plerasque Græciæ regiones, maximè verò agrum Atticum, id quod antecessisse tradit idem Africanus Chronographus primam Olympiada Iphiteam annis MXX: quo modo pertinuerit ad annum periodi Iulianæ bis millesimum nongentesimum decimum nonum, mundi autem, secundum rationes Scaligeri, bis millesimum ducentesimum quinquagesimum quintum. Hoc est illud diluvium, quo terminat M. Varro tempus suum ἀθλον, & inchoat μυθικόν, quamvis is ponat hoc multò antiquius quam Africanus. Ab Ogygo hoc pœtæ Thebas tum nondum conditas cognominarunt Ogygias, quia in solo fuere conditæ, cui imperavit olim Ogygus. Post Ectenas regionem tenuisse perhibentur Hyantes & Aones, ut est apud eundem Pausaniam: Ad quos Cadmus Agenore natus Europæ frater ex Phœnicia cum gentilibus suis Phœnicibus venit, decimâ ut tradunt generatione antequam Herculem, quod ex posteris Beli, qui frater Agenoris fuit, usque ad ipsum Herculem colligunt. Is prælio victos Hyantas & Aonas fugientesque revocasse dicitur, & iussisse ut pariter cum Phœnicibus habitarent, terramque colerent: idque factum ab iis, atque ab ipso Cadmo urbem locam locato illuc conditam, appellatamque ex ipsius nomine Cadmeam: eam verò auctam à posteris, & in subjacentem planiciem longè extensam Thebas nominatam in memoriam Thebes Asopi Bœotii filiae: Cadmeam verò ἀκρόπολιν urbis Thebanæ mansisse. Ab hoc Cadmo Phœnicæ literarum usum Græcis primum traditum esse, & primas Græcorum literas Phœnicæ ob consensum bonorum autorum credimus. Cadmo in Illyriis profecto ferunt apud Thebanos filium ejus Polydorum successisse: ex Polydoro genitum Labdacum Thebarum regem, & ex Labdaco Laium, ex Laio ac Iocastâ Oedipum hominum infelicissimum, qui nescius & patrem interemit & è matre Iocastâ liberos genuit Eteoclem & Polynicem, quorum causâ toti Græciæ calamitosum bellum ad Thebas est gestum, cum Eteocles soli sibi regnum Thebanum vendicaret, alter autem ope Adrastri loceri sui principis Argivi & aliorum Græciæ procerum partem ejus armis repeteret. Quo bello germani fratres mutuis se vulneribus confecere, & mater, eademque avia illorum immenso dolore percita, ut placet quibusdam, semet interemit, quanquam nec Diodorus nec Pausanias hoc memorent. Bellum gestum sæculo Herculis & Thesei annis quasi cccclvii ante primam Olympiadem ab Iphito instauratam, & ante Ilii excidium, anno periodi Iul. ter millesimo cccclxxxii, mundi bis millesimo dccxvii, inter vetusta, quæ Olympiadum initium antecessere, excepto Troiano, maximè celebre, & scriptoribus plurimis decantatum. Ex Eteocle Laodamas fuit ejusdem successor. Quo per Argivos superato, & fugâ ad Illyrios elapso regnum Thebanum datum est Therfandro Polynicis filio, qui bello Troiano in Mysiâ occubuit à Telepho cæsus. Ex Therfandro genitus Tisamenus, cujus nomine Thebana

res aliquandiu administrata fuit à Peneleo tutore, & ab hujus morte ab ipso Tifameno: cui filius successit Autefion: quem oraculum jussit regno relicto ad Dorienses se conferre. Tum regnum à Thebanis tributum Damascioni Penelei nepoti: qui moriens id filio Ptolemæo, & hic à morte sua filio Xantho reliquit. Hic est Xanthus, qui in monomachia per fraudem victus & peremptus scribitur ab Andropompi filio Melantho, quem eam ob causam quamvis exterum Piliensem ex Posteris Nestoris Athenienses regem suum designasse prodit Strabo libro IX. Xantho extincto regnum Thebis est abrogatum, & πολυαρχία libertati convenientior instituta, ut scribit Paulanias. Melanthus autem Andropompi filius Arhenarum rex factus est secundum Iulium Africanum, atque Eusebium post captam & excisam Troiam anno LVI, ante Olympiadum initium CCLII. Iuxta quas rationes principium πολυαρχίας Thebanæ antecesserit Heraclioarum reditum in Peloponnesum ac initium regni eorum apud Spartanos, annos XXIV, & finem regnandi apud Athenienses, annos LVII. Codrus namque ultimus Atheniensium rex Melanthi hujus filius in prælio contra Dorienses periit anno CCXCIII ante Olympiadem primam Iphiteam, atque ita ante Romam à Romulo conditam CCCXVI. Ab hac conversione status civitatis Thebæ, quæ incidit in annum periodi Jul. ter millesimū. DLXXXVII, crevit populi frequentia & opibus & potentia eadem civitas & feliciter egit, quam sub regibus: ausaque est cum civitate Atticâ bello contendere, victa tamen sapius quam victrix. Bello autem Xerxeo finito, propterea quod cum Xerxe fecisset à paucis seducta, qui plurimum tum in civitate poterant, magna est ignominia à victoribus Graecis affecta. Dein bello Peloponnesiaco post annos L. commoto gravis admodum Atheniensibus fuit, & Plataeis Atheniensium sociis in Bœotiâ funditus everfis, anno ejusdem belli octavo ingenti clade ad Delium in agro Tanagræo eisdem Athenienses affecit. Et jam eò pervenerat, ut tota penè Bœotiâ uteretur tanquam suâ. Sed confecto bello Peloponnesiaco, & Athenis in ordinem coactis Thebani ex amicis & locis hostes facti sunt Spartanorum ob eorum insolentiam, ac victi ab iis primum ad Corinthum cum ipsis Corinthiis, deinde ad Chæroneam Bœotiae, post ad Leuctra latissimè eos vicerunt, ac robur juventutis Laconicæ cum ipso rege Cleombroto occisione occiderunt, virtute Epaminondæ & Pelopidæ iterumq; magno eos prælio vicere ad Mantineam, in quo tamen victor occubuit Epaminondas: atq; ita principatum Græciæ in se verterunt. Leuctricum prælium commissum est Olymp. CII anno III surgente, periodi Jul. anno quater millesimo CCCXLIV, post captas à Lyfandro Athenas XXXIV jam absoluto: ad Mantineam pugnatum octennio post, Olymp. CIV anno II, periodi Jul. quater mill. CCLII vergente, anno uno ante mortem Artaxerxis Memoris, triennio ferè ante initium Philippi Maced. ἀρχῆ imperii Thebani florentibus in civitate Pelopidæ & Epaminondæ, post quam vigor statim capit declinare: perinde ac si cum duorum illorum morte, quam uterque pro patria fortiter agendo oppetiit, virtus totius civitatis elanguerit. Quod sanè bello sacro post aliquot annos securo, cui etiam Thebani se miscuere, non obscure apparuit. Illustri verò victoria illâ Philippi Macedonis ad Chæroneam ita perculsi sunt iidem Thebani Atheniensium tunc temporis socii, ut à victore præsidium in urbem receperint, civitate Atticâ, contra quam bellum potissimè gerebatur, ab onere hujusmodi manente immuni. Hoc autem præsidio statim à morte Philippi, quem metuebant, ejecto, Alexandrum filium ejus, quem, ut juvenem

juvenem imperitum contemnebant, offenderunt gravissimè. A quo mox post initum regnum urbs eorum obsessa & demum expugnata funditus est deleta. Quod accidit Olymp. cxi anno ii, periodi Iul. quater millesimo cclxxix, post inclytam victoriam ad Mantineam, & mortem Epaminondæ xxviii, post regnum abrogatum, & πολυαρχίαν institutam dccxcii, post bellum Thebanum inter Eteoclem & Polynicem fratres gestum dcccxcviii, post Cadmi adventum in Bœotiam ex mente Scaligeri mcccxxvii. Sed post hoc excidium Thebæ in odium Alexandri à Cassandro Antipatri filio, rerum potiunte in Macedonia, instaurata anno xix, periodi Iul. quater mill. cccxcviii, Olympiadis cxv anno iv exeunte. Steteruntq; deinceps incolumes fortunam modiocri ad bellum Mithridaticum: in quo Thebani secuti primum partes Mithridatis & Atheniensium, dein veniente in Græciam cum exercitu L. Syllæ Romanorum duce, velut penitentia priorum consiliorum tacti Romanis accedentes nihilominus à Syllâ malè multati sunt, & agrorum parte mediâ exuti, sed non diu post à senatu populòq; Romano, ad agros quod attinebat, restituti in integrum. Castigati à Syllâ sunt periodi Iul. anno quater millesimo dcccxxix, urbis Romæ conditæ dclxix, post instauratam urbem à Cassandro cccxxxi, post dirutam ab Alexandro ccl Olymp. clxxiii anno ii vergente. Exinde Thebarum fortuna sub Romanis tenuior, & fama obscurior fuit, ut Strabo tempore suo sub Augusto & Tiberio imperatoribus, affirmet vix mediocris viciniam illas inclytas quondam Thebas tenuisse, & Pausanias, qui cum Antoninis imperatoribus, vixit ac floruit, scribat, ætate suâ totam urbem inferiorem, (ea lōgè maxima & cultissima pars Thebarum veterum solet esse) everfam jacuisse, solam verò ἀκρόπολιν, amissò Cadmeæ nomine, fuisse reliquam. Ad quam earum fortunam alludens Ovidius Metamorphoseon lib. ultimo cecinit, Oedipodionis quid sunt nisi nomina Thebæ? Et tamen reliquiarum fortunæ istius tenuis aliquid cum nomine prisco retinere sub imperio Romano usque ad provincias imperii Orientalis occupatas & distractas ab occidentalibus, adeoque ad Græciam ab Amurathe Turcâ, & filio ejus Mahomethe Magno, qui præcipuè Atheniensibus & Thebanis infensus fuit, vastatam ac denique post eos ad tempus hoc nostrum.

TEMPORA CORINTHIORVM.

Corinthiorum ager ab occidente Achæiæ conjungitur, à parte alterâ agro Argivo est finitimus. Urbs ipsa ad radices ardui montis sita haud procul Isthmo, quo Peloponnesus cum reliquâ Græciâ cohæret, Ephyra primitus dicta fuit, ab Oceani filiâ eodem nomine nuncupatâ, quam primum isto loco confedisse ferunt. Paruit antiquissimis temporibus ante & post Troianum bellum regibus Argivis ac Mycænis. Primus, qui famâ claruit, Corinthi memoratur Sisyphus Glauci, & Ornytionis parens. Quorum Glaucus Bellerophontem Chimæræ interemptorē, in Lyciâ regno potitum, Bellerophontes Hippolochim, hic Glaucum, qui bello Troiano cum Diomede arma permutavit, genuit, ut ex Homero cognoscimus. Vnde patet quartâ ante bellum Troianum ætate Sisyphum fuisse. At ex Ornythione nati sunt Phocus Phocensium gentis origo, & Thoas, qui in patriâ manens Demophontem, Demophon Propodum, & is Doridam & Hyantidam procreavit, omnes in civitate sua principatum tenentes. Postremis verò ad clavum sedentibus venit Corinthum Aletes Herculis abnepos cum Doriensibus & oppressis illis rem occupavit, posterisque suis reliquit in generationem usque quintam.

Post

Post quam Bacchiadæ à Bacchide Primnidis filio orti dominatū oligarchicum Corinthi invasere, & ad Telesten Aristodemo genitum familiæ istius caput per ætates totidem tenuere: quod tempus annis quasi ccc metitur Strabo Geographus. Teleste autem ab inimicis percipito dominatui huic quoque finis datus est, & Prytanibus ejusdem Bacchiadici generis annuis resp. commissa. Prytanes hos evertit Cypselus Ectionis filius, Echecratis nepos, potestatemque universæ Reipub. in se vertit. Totum verò tempus à Bacchidarum initio ad dominatum Cypseli Strabo Geographus metitur annis circiter ccc. E Cypselo genitus est Periander ex septem Græciæ sapientibus unus, tyrannus patriæ plus satis asper, hospes & amicus Halyattæ Lydiæ regis: nec Corinthi solum, sed & Corcyræ Corinthiorum Colonia dominus: qui ex consilio Thrasyluli Milesii stabiliendæ tyrannidis ergò primores civitatis sustulit è medio, atque insuper ccc nobilissimorum Corcyræorum filios Sardiis castrandos ad Halyattem misit, quamvis id, quod voluit, impediens Samiis, non potuerit efficere. Periandro mortuo circiter Cyri Perfarum regis initia tyrannis excussa, recuperatâque à populo libertas: eaque conservata quoad civitas stetit incolumis. Interea floruit opibus publicis & privatis, plurimumque reb. maritimis valuit, negotiationib. supra omnes in Græciâ civitates dedita, quibus situs ipse subserviit importandis & exportandis mercibus quaquaversum æquè commodus. Colonia mirè foelix, in quibus Syracusæ & Corcyra, utraque potens, eminuere. Res sæpe magnas gessit, nunquam verò majores, quam cum Timoleonte duce debellato Dionysio juniore tyrannidem Syracusis & in multis Siciliae oppidis aliis delevit, libertatemque populis reddidit. Quemadmodum autem Timoleonte cive fuit fortunatissima, ita Critolao ultimo Achæorum prætorum in extremam incidit miseriam. Nam hujus pravis consiliis acta cum ceteris Achæis, quorum erat ipsa pars, arma Romanorum in se ac socios provocavit, sibi que viam struxit ad interitum. Bello enim commoto, Romanisque insolentiâ hostium exacerbatis duce L. Mummio Corinthus, belli arx, capta, ac funditus excisa est: viri omnes in eâ trucidati, foeminae & pueri sub corona venditi: aliarum quoque civitatum, quæ contra Romanos eo bello steterant, muri dejecti, arma civitatibus adempta, popularis status passim per totam Achaiam, Bœotiam, Phocidem sublatus, Græcia tributo subjecta; quæ hætenus Romanorum beneficio fuerat ab eo immunis. Id precium ob stultitiam Corinthiorum & Achæorum Græci ferè universi tulere. Hoc Corinthi excidium accidit anno urbis Romæ DCVIII secundum Varronem Cn. Corn. Lentulo, & L. Mummio Consulibus, periodi Jul. quater millesimo DLXVIII, Olympiadis CLVIII tertio: quo anno eodem Carthago quoque in Africâ ductu P. Corn. Scipionis Africani junioris capta & deleta est, duoque oculi maris mediterranei, ut ait Cicero, simul extincti. Et utraque urbs in ruderibus jacuit desolata ab hoc tempore usque ad consulatum primum C. Cæsaris per annos LXXXVII. Tum Cæsare autore coloniæ illuc deductæ; urbesque instauratæ feliciter rursus crevere, ut inter fortunatissimas imperio Romano parentes haberentur. Et Corinthus quidem quiete usâ fuit, quandiu Orientis imperium sub imperatoribus Græcis vigorem tenuit suum. Eo labente à Latinis cum aliis ple-risque civitatibus Græciæ à Latinis occupata & possessâ ad tempus, quo Turcæ Græciam invaserunt ac vastarunt.

T E M P O .

TEMPORA ACHAEORVM.

Merentur Achæi ob virtutem & libertatis studium, ac maximas res gestas, ut heic quoque memorentur. Regionem eam, quæ in Peloponneso juxta sinum Corinthiacum, & mare Ionium à Sicyone usque in Elidenfium fines porrigitur antiquissimis temporibus sive ab Ægialeo Sicyonis rege, sive quod vero similis, à litore Ægialum nuncuparunt. Deinde eadem, cum florentissimæ res Græcorum essent, priusquam Romani reb. Græciæ se miscerent, proprio nomine Achaia fuit dicta. Comprehendit olim urbes ^{xii}, Helicen, Olenum, Cerauniam, Buram, Agium, Pellenen, Ægiram, Leontium, Tritæam, Pharas, Dymam, Patras. Præfuisse huic regioni post reditum Heraclidarum in Peloponnesum reges affirmat Polybius laudatissimus scriptor, & eorum primum fuisse ait Tisamenum Orestis filium, Agamemnonis nepotem. Pausanias verò altius seriem eorum reperit à Xutho Hellenis Thessali filio, Erechthei Atheniensium regis genero, cujus filii memorantur, Achæus & Ion: à quibus orti Achæi, & Iones nomina traxerunt. Et Iones quidem magno numero ab Achæis cognatis Tisameni tempore exortâ inter eos discordiâ domo pulsi Athenas cum se recepissent, autore Melantheo rege Attico civitati Attici sunt adscripti. Postea quum Codri liberi de principatu Athenarum inter se contenderent, & ab oraculo Delphico secundum Medontem pronunciatum esset, Neleus æmulus & frater ejus coloniam Atheniensium in Asiam minorem deduxit: quæ propterea quod colonorum istorum plurimi ex Ionib. novis civibus essent scripti **IONIA** est appellata. Ad quam à vetere patria Ionum discernendam ista Ægialensis Ionia quondam, deinde usitatus Achaia fuit dicta. Colonia hæc Asiatica deducta putatur anno ^{cxli} post Troiæ exitium, ^{lix} post Ionas Achaiâ ejectos, & Atheniensium civitate donatos. Verum in Achaiâ reges post Tisamenum ex eo perpetuâ serie descendentes regnarunt ad finem Gygis ultimi istius profapia. Qui cum insolentius in regno se gessisset, & Achæis non ut rex legitimus, sed ut herus aut dominus esset usus, filiis ejus ob parentis invidiam solio depulsis, Achæi mutatâ Rep. regnum in libertatem popularem converterunt. Ea duraverit ferè ad Alexandri Magni imperium. Circiter quod tempus distracti inter se astu Macedonum & sibi seorsim consulentes partim etiam aut à tyrannis domesticis aut præfidiis Macedonicis oppressi fuere, in eoque statu turbato, & infelici manserunt ad fluentem Olympidem ^{cxliiii}, quæ postremos Alexandri duces Seleucum Nicatorum & Lysimachum absumpsit. Hujus autem Olympiadis anno ^{lii}, ut censet eruditissimus Isaacus Causabonus in Chronologia Polybiana, cum jam regnum apud Macedonas iniisset Antigonus Gonatas, & Pyrrhus Epirota in Italiam transiisset, annusque urbis Romæ conditæ fueret ^{cccclxxiii} ex mente Varronis, velut respicientes primi omnium Patrenses, Dymæi, Pharæenses, Tritæenses societatem rursus inter se junxere, & velut in unam civitatem coivere. Quibus post quadriennium Ægienses, ejecto Macedonico præfidio, & horum exemplo Buriij & Carynenses pulsos aut in ordinem redactis tyrannis suis se addiderunt. Omnes hi usi uno scribâ comuni, & prætorib. duobus in orbem à civitatibus electis per annos ^{xxv}: deinde uno prætorum contenti socialem remp. administrarunt: quorum primus Marcus Carynensis cum quartum annum in præturâ ageret, Aratus Sicyonius admodum juvenis patriam suam Sicyonem Reip. Achæicæ quoq; adjecit, & ob id meritum, virtutemq; singularem prætor Achæorum designatus est: & post eum alii: ipseque postea sæpe relictus tandem in septima decimâ præturâ à Philippo ⁱⁱ Macedoniae rege veneno enectus fuit

anno urbis Romæ conditæ **DXL**, **Q. Fabio Maximo** ^{III}, **M. Claudio Marcello** ^{III} Coss. Olympiadis **CXLI** anno **III**, biennio post cladem Romanorum ad Cannas. Verum annis **XIV** ante hunc Arati casum **Sp. Caruila Max. II**, & **Q. Fabio Max. II** Coss. prima Romanorum legatio amica finito bello Illyrico cum Teuta ad Achæos, & Ætolos, qui & ipsi Achæorum exemplo in unam Remp. coaluerât, missa fuit, annoq; sequente ab Ætolis & Antigono Maced. & Cleomene Laconum regib. in perniciem Achæorum, quorum potentia, aliis atq; aliis civitatib. ac populis sibi junctis, plurimum tum creverat, ac regibus formidabilis erat, est conspiratum. Quod demum post quinquennium verso consiliorum orbe in exitium Cleomeni ab Antigono & Achæis gravissimâ pugná ad Sellasiam superato vertit. Post hæc Olymp. **CXLI** anno **IIII**, urbis Romæ **DXXXVII** **Cn. Servilio Gemino**, **C. Flaminio** Coss. altero scil. anno belli Punici secundi, quo clades ad Trasimenum lacum ab Annibale illata Romanis est, regnante jam in Macedonia Philippo Demetrii filio, Romani se reb. Græciæ miscere cæperunt, triennio ante Aratum peremptum. Cujus face inter Achæos extinctâ novum iis lumen ortum in Philopæmene, qui jam antea virtute clarus, anno quarto post Arati ejusdem occasum Prætor factus, deinde proximis aliquot annis & cum Romanis, & sine iis multa præclare gessit, à Nabide Lacedæmoniorum tyranno per Ætolos everso Lacedæmonë Reip. Achæorum adjecit Olymp. **CXLVI** anno **IV**, urbis Romæ **DLXII**, **L. Quintio Flaminio**, **Cn. Domitio Ahenobarbi** Coss. Tandem ejusdem urbis Romæ anno **DLXXI**, **Q. Fabio Labeone**, **M. Claudio Marcello** Coss. cum octavû prætor esset, jam septuagenarius à Messeniis per insidias captus, & in carcere necatus est. Cum cujus occubitu lux virtutis ac gloriæ Achaicæ sensim capit languescere: quanquam superessent adhuc viri haud pauci, qui & sapientiâ virtuteq; pollerent & patriam unicè amarent, quorum in numero erat Polybii Historiographi pater Lycortas, qui & proximo ante Philopæmenis mortem anno prætor fuerat, & à morte ejusdem statim præturę redditus tum Messenios insigniter ultus fuit, tum Lacedæmonios, qui pridem defecerant, redire ad societatem Reip. Achaicæ coëgit. Verum quod eo tempore etiam alii in eâdem rep. viverent, qui Romanorû desiderio potius, quam honori & commodo patriæ consiliâ sua accommodabant, minus illi in usum patriæ explicare virtutem suam poterunt. Inter istos verò, qui gratiæ Romanorum caritatem patriæ postponebant, princeps memoratur Callicrates, ad quem prætura devenit anno Romæ conditæ **DLXXIV**, **A. Posthumio Albino**, **C. Calp. Pisone** Coss. Olympiadis **CXLIX** anno **IV**. Is occasionem nactus bello Macedonico contra Persea regem plurimos suorum traduxit apud Romanos tanquam Macedonicarum partium potius quam Romanorum studiosos se tulissent, eosque à Romanis in Italiam evocatos exulum in modum per multos annos patriâ carere coëgit. At Romani Macedonicis reb. ordinatis, cum viderent, eo fastigii conscendisse res Achaicas, ut suæ quoque gloriæ, suæ cupidini officere, & suo incremento posse obstaculo esse existimarent, (nam Arati & Philopæmenis virtute Sicyonii, Corinthii, Argivi, Messenii, Elei, Arcades, & demum ipsa Lacedæmon Achæis accreverant, ac tota Peloponnesus, ut tuta contra oppressores libertatis reges & tyrannos esse posset, institutis veteribus relictis, ac Achaicis admisis velut in unam magnam civitatem coaluerunt) id astu egerunt, ut membra quædam valida, imprimis Spartam, Argos, Corinthum, Orchomenios sub juris specie à corpore illo separarent: sed sine vi, velut amici bono publico omnium consulturi. Quamobrem femine dissensionum jam dudum subjecto, & disceptatione aliquo.

aliquoties institutâ iteratâque, cum aliâ ex aliis lites inter Peloponnesios nascerentur, demum amplissimâ legatione in Græciam missâ ad audiendas partes dissentientes, ac lites finiendas, evocatis Corinthum, quæ tum velut caput Achaïæ habebatur, civitatum omnium legatis, omnibusq; auditis, per legatos tandem pronunciarunt hoc, quod Romæ jam ante erat conceptum. Quod indignissimè ferentes quidam Achæi, incensi à Diæo & Critolao nequissimis hominibus, qui bellandi cupidine ardebant, ut Lacedæmonios præsentis, velut injuriæ hujus autores, confestim male multarunt, ita legatorum quoque Romanorum honorem læserunt graviter. Vnde bellum natum, quod cepit Metellus Macedonicus proconsul, confecit L. Mummius Consul, hujus rei causâ in Græciam missus: quo bello Corinthus excisa, & tota Græcia à Romanis, amissa vetere libertate, in formam provinciæ redacta: cui Achaïæ nomen tributum ex eo, quod prævalentibus in Græciâ Achæis, & iis debellatis provincia esset constituta. Corinthus ipsa capta & excidio data fuit, ut antè ostendi, anno urbis Romæ DCVIII periodi Jul. quater millesimo, DLXVIII Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio, qui ex ea victoria Achaicus est cognominatus, coff. cum annus fuisset tertius Olympidis CLVIII. Bello universo in Græcia finis impositus, & novæ provinciæ Achaicæ ordo datus, deq; Achæis devictis triumphus à Mummio ductus, ut pleriq; volunt, anno sequente; quanquam Appianus & Pausanias hæc referre videantur ad exitum Olympiadis, CLIX aut initium CLX. Distat hic casus Corinthi, & finis Reip. Achaicæ ab eo tempore, quo instaurata est societas à Patrensibus Dymæis, Pharsensibus, Tritænsibus, annos circiter CXXXVI. Priora tēpora tum distracti afflictiq; status, tum antecedentis libertatis post finitum regnum imperium accuratè dici non possunt, nec in eorū ignorance aliquid est momenti. A Tisameno verò regnum apud Achæos auspicante numerantur anni circiter DECCCLVII. Post Corinthum autem everfam Achaia in potestate Romanorū quanquam procellis sæpe agitata permansit ad id usq; tempus, quo Græcia universa, labante imperio Orientis, à Latinis distracta, & variis modis afflictâ, tandem à Turcis est occupata: quibus etiam nunc parat.

ÆTOLORVM TEMPORA.

Hic Achæorum Reip. simillima fuit societas Ætolorum in eadem Græciâ, eodē quoq; tempore florens, in eundemq; finem instituta, conflata ex civitatib. quæ Ætoliâ comprehendebantur: sed ortus hujus temporis paulò erat Achaico inferior. Exemplum enim Achæorum Ætoli cum similib. periculis premerentur, finitimi Macedonib. Epirotis, Illyriis, Athamanib. sunt secuti. Vsi sunt uno concilio communi Panætolio nuncupato, in quod omnium civitatum Ætolicarum primores potestate instructi, aut authoritate atque opib. in gente valentes coibant quotannis statim post æquinoctium vernum creandi prætoris annui causâ, quem unum, ut & Achæi, habebant ornatum potestate ac honore summo, reliquaque ad totam Rempub. pertinentia constituendi, aut quando ac quoties res poscendæ legibus, de mittendis legationibus deliberabant ac statuebant. Viribus satis valebant, & manu satis prompti erant: sed consilio ac constantiâ Achæis erant inferiores: æquitate verò & justitiâ ac virtutis studio plurimum iisdem cedebant: quietem etiam cum liceret pati bene non poterant. Et tamen propter robur in armis ad amicitiam ac fœdera à regibus, principibus, populis aliis, adeoque ab ipsis Romanis ambiebant.

ambiebantur : fueruntque jam cum Asiæ regib. jam cum Macedonib. cum Epirotis, cum Bœotis, cum Phocensib. cum Atheniensib. cum Spartanis, cum Elidensib. cū Achæis, cum Romanis quoque societate conjuncti : jam contra eosdem bella gerebant : & quo se omnino inclinabant, eò non parum momenti in bellis afferebant. Tandem Achæorum casus ille supremus imperium quoque statum & fortunam in ruinam secum traxit, hoc est, dimissâ libertate majorum provinciæ Romanæ conditionem cum vicinis alijs Ætolos subire coëgit. Cætera deinceps Ætolis sub Romanorum imperio, & quæ porrò secuta sunt, eadem ferè cum reliquis Græcis bona malaque fuerunt.

M E S S E N I O R U M T E M P O R A .

M E S S E N I A regio Peloponnesi lateri Laconicæ adjacet versus occidentem Laconicâ fertilior : In eâ primus regnum tenuit Polycaon Legis filius, qui eam ex conjugè suâ Messenæ Argivâ, Triopæ filiâ, Phorbantis nepte, eo nomine affecit, liberisque in quintam generationem regnum reliquit. Postquam regionem occupavit Pericles Æoli filius : ex quo geniti Aphareus & Iolas sine prole decesserant. Iis successit Nestor Pylus, cujus parens Neleus è fratre Perieris natus fuerat : Nestoris posteros Cresphontes Heraclides, frater Aristodemi genitoris primorum regum hujus familiæ apud Lacedæmonios ejecit, & parte agri Messenios Doribus secum in Peloponnesum reversis coëgit cedere. Sextus ex Cresphonte descendens fuit Phyntas, cujus tempore semina proveniunt odiorum & bellorum inter Messenios & Spartanos. Bellorum primum ob violatas à Messenijs in communi sacro virgines Laconicas, & interemptum ibidem Teleclum Lacedæmoniorum regem, caput Olympiadis IX anno primo, urbis Romæ conditæ X, æræ Nabonassaree IIII : gestum præcipuè à parte Messeniorum duce ac rege Euphæe Phyntæ ex filio Antiocho nepote, à parte Lacedæmoniorum auspicijs Polydori & Theopompi regum. Finitum extincto iam Euphæe, locumque ejus tenente Aristodemo, cum iniisset jam Olympias XIIII, quâ stadium vicit Damon Corinthius, ut est apud Pausaniam, bellum autem durasset annos XX, desertâ à Messenijs ob famem Ithome, præcipuo Messeniæ propugnaculo, ac regionis arce, occupatâ verò à Lacedæmoniis, qui eam obsederant, & funditus deletâ, cæteris quoque Messeniæ oppidis à victoribus deditio captis, durisque conditionibus, universo populo victo irrogatis. Eæ toleratæ à victis annis circiter XXXVIII. Quibus elapsis, fluente jam XXXIX, qui quartus erat Olympiadis XXIII, iidem victi impatientes diuturnioris jugi arma resumpserunt principe Aristomene, cujus penè prodigiosa fortitudo & corporis robur velut novi Herculis toto eo bello prolixè à Pausania describitur. Continuatum bellum hoc alterum annos circiter XVII. Confectum n. ut notat idem Pausanias, Olympiadis XXVIII anno primo, archonte Athenis Autothene, Olympionicâ Chionide Spartano, cum diffugiente præsidio capta & solo æquata esset à Lacedæmoniis altera Messeniæ arx Ira, & tota Messeniâ debellata. Tum qui contumeliæ impatientes erant Messenij à fortunâ destituti, in exilia iverunt : parsque eorum ab Anaxilâ Reginorum Tyranno vocati Zanclam in Sicilia occuparunt, & è patriæ suæ nomine Messenien appellarunt. Reliquis in patria manentibus servitus publica, qualis Heiolarum erat, irrogata : totus ager possessioni Lacedæmoniorum ascriptus, & novis servis, qui eum labore suo exercerent, assignatus. Facta hæc cum reges Sparta haberet Anaxandrum Eurycratis filium Polydori nepotem, Eurysthe-

Eurysthenidem, & Anaxidamum Zeuxidami fil. Theopompi pronepotem, Proclidem. Et sic quidem quies Spartanis in posterum à Messeniis fuit per annos circiter cccxiii. Nam posterum horum, qui cum servienti conditione in solo natali manserant, ex calamitate Laconum, quorum urbs terræ motu graviter quasata penitus corruebat, occasione raptâ, ad depellendam servitutem armati Ithomen montem rursus occuparunt circiter Olympiadem lxxviii anno eo, qui proximè securus est illustrem victoriam Cimonis Atheniensis ad Eurymedontem fl. in Pamphiliæ orâ, Persis, uno die prælio duplici mari terræque cæsis. Isto bello Athenienses amici ad ferendam opem à Spartanis evocati, cum in obsidione Ithomedum suspectos se esse focijs viderent, indignabundi, Cimone eodem duce, domum redierunt. Spartani continuato nihilominus bello, anno x postquam id erat inchoatum, Ithomæos ad dedendi necessitatem adegerunt. In deditiois conditionib. etiam hæc fuit, ut qui rebellionis hujus confortes fuissent, armis depositis incolumi vitâ totâ Peloponneso excederent, sua omnia Laconib. relinquerent. Hoc velut ultimum exterminium Messeniorum fuit: quod incidit in Olympiadis lxxx annum primum, quo quintum jam annum in regno Persidis Artaxerxes *Μαγρόχρη* agebat. At Athenienses Spartanis irati, atque exulum miserti sedem eis dederunt Naupacti, unde ipsi non ita nuper Locros Ozolas expulerant. A quo tempore Messenij Naupactum habitantes fidi Atheniensium amici in omni fortunâ esse perseverarunt durante potissimum bello Peloponnesiaco. Quo cum calamitate Atheniensium finito, Messenij iidem prælio navali superati à Lacedæmoniis victorib. hostib. Naupacto sunt ejecti. Atque inde in diversas regiones dispersi, quâ quisque poterat, se contulerunt: maximo verò numero in Siciliam ad cognatos suos, & in Aphricam ad Evesperitas habitatum concesserunt. Post hanc novam Messeniorum calamitatem Thebani victis ad Leuctra Spartanis, & exercitum inde in Peloponnesum ducto principe Epaminondâ, ut hostes suos urerent ac debilitarent, Messenios omnes, quotquot in patriam redeundi cupidi erant, ab exilio revocarunt, & novam iis urbem juxta montem Ithomen condiderunt, cui nomen Messene datum ex totâ regione, quæ deinceps metropolis regionis per multa sæcula mansit. Intervallum ab amissâ Naupacto ad novam hanc urbem Messenen structam annorum fuit xxxvi; ab Irâ deletâ ccc, ab everâ Ithome cccclvi: quanquam turbet hic aliquid Pausanias non quidem in Olympiade, quam rectè signavit, (scribit n. Olympiadis cii anno iii urbem esse excitatam archonte apud Athenienses Discineto) sed in annorum numero, quod tamen ego magis oscitantia librarium quam hallucinationi autoris tribuo. Post hunc Messeniorum reditum in patriam, & postliminio recuperatas res populus dudum dispersus non coaluit solum rursus, sed feliciter crevit, ac fortunam priorem recepit: Spartanos ex vetere odio sapius hostes & inimicos quam socios & amicos habens: cum Achæis eorumque sociis, Arcadib. Egeis, Argivis ut plurimum non pacem tantum colens, sed fæderibus quoque junctus, interdum etiam armis turbatus: donec tandem Achaico bello contra Romanos tanquam diluvio communi involutus cum Achæis & reliquis Peloponnesiis aliisque Græciæ populis in potestatem populi Romani devenit: ac deinceps eadem fortunâ cum totâ Græciâ est usus.

ELERI inter Messenios & Achæos ad mare Ionium in Peloponneso habitantes originem suam Ætolis debuere. Primum eorum regem fuisse Æthlium Iove natum perhibent: ex eo genitum Endymionem à Lunâ, ut veteres fabulæ habent, adamatum: hujus filium Epeum post patrem principatum accepisse, & ejus tempore Oenomaum apud Pisæos vicinos imperantem à Pelope ex Lydiâ adveniente esse eversum, & agro Pisæo occupato Olympium quoque, cujus princeps Epeus erat, sui juris fecisse: in cætera Epei Eleum successisse, è sorore Epei natum, & sibi parentes, qui ab Epeo prius nomen tulerant, Eleos nuncupasse, idque apud posteros durasse: Elci filium fuisse Augeam, cujus stabulum Herculem purgasse fabulæ ferunt, & ob denegatam mercedem bellum Eleis intulisse: Augeæ ex filio nepotem Agasthenem Troicæ expeditionis socium fuisse cum Anthimacho & Thalpio cognatis suis: tempore Elci alterius Amphimacho geniti, Heraclidas & Dorientes in Peloponnesum revertisse: hos consilio suo duxisse Oxylum quendam Hæmonis filium, Thoantis Ætoli, qui ad Trojam Agamemnonem comitatus est, nepotem, & operæ precium ab iis accepisse agrum Elidensem: atque ex hujus posteris Iphitum Praximidæ filium apud Eleos regnantem ludos Olympicos in honorem Iovis ad Olympiam in agro Pisæo olim à Pelope, deinde ab Hercule institutos, sed desuetudine intermortuos instaurasse. Sed hæc pleraque hæud satis certa, idè obque diversimodè à diversis autorib. veterib. exposita. Id verò certum ab istâ Iphiteâ instaurazione morem illum celebrandi ludos hos Olympicos singulis quadrienniis continuatum esse, nec unquam interruptum etiam post extinctam veterem Græciæ libertatem ad tempora usque labentis imperij Romani, ludorumque acta in tabulas publicâ cura ab Elidensibus esse relata, tabulasque publicè conservatas apud posteros incolumes mansisse. Testis ejus rei optimus Pausanias, qui sibi visas & evolutas tempore Antonini imperatoris hic illic, maximè in exponendis Eliacis indicat: ut de ipsius Adriani in p. opere, quod sub nomine liberti sui Phlegontis in publicum emisit fertur, non addam. Et fuerunt quidem ludi hi communes omnibus Græcis, quibus certare illic licuit, & honorum præmia referre: sed præfederunt iis, & arbitri certaminum fuerunt soli Elci. Præsidium autem illud mansisse penes posteros Oxylæ, è quo descendit Iphitus, usque ad Olympiadem quinquagesimam, quæ Cyri initia in Perside annis xx antecessit, Pausanias nos docet. Quæ si vera sunt, (turbare enim hic aliquid Strabo videtur, qui ad Olympiadem xxxi & templo & ludis præfuisse Eleos asserit) colligere hinc possumus verisimiliter, ad istud usque tempus regnum apud Eleos durasse, & hæsisse in familiâ illâ: deinde regio dominatu excusso libertatem esse ab iis sumptam. Nam Olympiade l. Duum-viros ex civitate Elidensi sorte ductos præfedissee idem Pausanias affirmat: idq; non variatum mansisse ait per longam annorum seriem. Olympiade verò lxxv designatos esse in eam rem scribit ἑξαποδίκων, id est, iudices ix, quorum tres præessent certaminib. equestrib. tres quinquercii, tres cæteris, de quibus iis judicarent. At Olympiade lxxvii additum esse decimum. Deinde Olympiade ciii. (ut ab eodem Pausania traditur) cum populus Elidensis distributus esset in tribus xii, placuit quamlibet tribum unum ex se dare ἑξαποδίκων, sed ob detrimentum bello Arcadico paulò post eadem iustâ Olympiade fluente acceptum, amissâ magnâ agri parte, ut tribuum, ita ἑξαποδικῶν numerus ex duodenario contractus est in octonarium, Olympiade scil. cviii, pristinus numerus denarius est restitutus: eumque mansisse ad ætatem usque suam

suam Pausanias ostendit. Idem Elei cum nullis frequentius quam cum vicinis Pisæis, qui eadem in regione fuere, quorumque in agro templum Olympiæ stetit antiquitus, cui lucus adhaeret cum stadio, in quo certamina fiebant, cum laxius fines Pisæi possiderent, & cum Arcadibus Pisæorum finitimis atque amicis, odia exercuere & armis contenderunt. Aëgris enim oculis Pisæi intuebantur, Eleos ludis præesse tam celebribus, qui ab universa Græcorum natione frequentabantur, præsertim eò loci, quem jure suum esse rebantur & dicebant. Itaque adscito in auxilium Phidone Argivorum tyranno præpotente circiter Olympiadem VIIII jam instantem locum ipsi occuparunt & ludos commiserunt. Et rursus cum ab Eleis paulò post possessione istâ vicissim dejecti essent, autore & duce rege suo Pantaleonte, vocatis etiam in subsidium finitimis & sociis, templum & stadium potestatis suæ fecerunt Olympiade XXXIV, & solennia ludorum repulsis Eleis ipsi denuò obiverunt: sed nequiequam. Nam possessio etiam tunc ad Eleos rediit: bellumq; inde enatum cum maximo detrimento, & penè exterminio Pisæorum, & eorum, qui his opem ferebant, tum fuit finitum. Atque in arcum redacti iidem Pisæi, quanquam animis ex invidia atque odio ægrescerent, tamen ad Olympiadis CIII postremum tempus, initurâ propediem centesimâ quartâ, quievêre. Eo verò tempore freti amicitia Arcadum, quib. tum bellum fortè cum Eleis erat, rursus se commoverunt, & cum Arcadibus loco per vim potiti tumultuariè ludis commissis Olympiadem CIV celebrarunt: quod fuit quadriennio ante Philippi Macedonis Amyntæ filii, Alexandri M. patris initia. Et Pisæi quidem quondam clarissimæ, post ista tempora ita disperiere, ut Strabo dicat ætate suâ non solum nullas fuisse, sed etiam an ullæ unquam fuerint, esse dubitatum. Elei autem non tantum incolumi libertate Græcorum incolumes mansêre, verum quoque post Græciam omnem Romanis parere coactam, ut fortuna provinciæ ferebat, florêre. Labente verò Romanorum imperio passim eadem sunt, quæ Græci cæteri.

TEMPORA ARCADVM.

Arcadia ita posita fuit in Peloponnesi medio, ut cæteris ejus regionibus Argolicâ, Laconicâ, Messeniâ, Elide, Achaiâ, (cui & Sicyonios & Corinthios accensemus,) quæ omnes mari longo tractu alluebantur, unde quaque cingeretur, ipsa vero mare nusquam attingeret. Ejus populos ante omnes alios totius Græciæ vetustate antecellere Strabo tradit, sed oppida ejus quondam celebria jam tum sæculo suo bellorum injuriis deleta esse, & totam regionem in vastam solitudinem penè abiisse queritur, ut de ipsâ Megalæpoli, quæ ex decrementis & ruinis aliorum nata in ingentem magnitudinem excreverat, iure Comicum illud dici posset, *ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἢ Μεγαλήπολις*: Mantineam, Orchomenium, Eream, Stymphalum, cæteraq; evanuisse, vix ut vestigia eorum cõpareant; solam verò Tegeam me-diocri fortunâ superesse. Primus mortalium, quorum fama ad posteros venit, si Pausania credimus, regnum illuc tenuit Pelasgus, & ex eo regio Pelasgia nûcupata fuit: cujus filius & successor Lycaon Lupercos & Lupercalia sacra instituit, Cecropi primo Atheniensium regi coævus. Lycaoni numerosam quidem sobolem masculam fuisse perhibent, eamque regioni præfuisse, sed ex solâ filiâ Callisthò à Iove compressâ nepotem Arcada perennasse in posteris, & ex se regioni nomen novum dedisse. Posterius ejus præcipuè ex Aphidante filio secundo genito variâ rerum vicissitudine per complura sæcula regnarunt. Ex quibus Echemus Aphidantis abnepos Hyllum

Hyllum Herculis filium nitentem cum suis in Peloponnesum reverti in Isthmo Corinthiaco in monomachiâ occidit: Agapenor verò, alter ab Echemo ex eâdem domo ad Troiam cum Agamemnone militavit. Post hunc per intervallum aliquot ætatum tandem principatus pervenit ad Aristocratem, qui insigni perfidiâ sub societatis specie fortunam Messeniorum Spartanis belli 11 anno 111 prodidit, ac propterea ad suos reversus convictusque pœnas dedit. Deinde regnum solutum, singulæ urbes sibi seorsim consulentes jam societate junctæ inter se, & propè in unam Rempublicam contractæ, jam discordiâ separatæ, ac socialibus armis distractæ fuere. Cum vicinis autem populis modò pacem & amicitiam, modò bellum habuere: Laconib. & Eleis sæpius adversæ, Messeniis, Achæis, Argivis sæpius amicæ sociæque: Græcæ libertatis tuendæ contra hostes externos semper studiosæ, ac ei laboranti opem ferre solitæ. Postremò cum Achæis, quib. adhærebant, in provinciæ formam à Romanis duce L. Mummio reductæ, ac paulatim collapsæ desolatæq; ut ex Strabone jam antè ostendimus: Arcadiæ quoque ager sensim à cultorib. desertus, & nomen ipsum extinctum.

PHOCENSIUM TEMPORA.

Phocenses à duob. Phocis, ut vult Pausanias, priore Ornythionis Corinthii, posteriore Æaci Æginetæ filio, qui quondam primores illie fuere, nomen acceperunt. Regionem tenuerunt ad sinum Corinthiacum porrectam in orâ ejus boreâ, sed longius quam sinus patet à Locris Ozolis in occidente ad Locros Epicnemidas, qui in litore Ægæi maris sunt inter Thessalos & Bœotos, procurrentem. In eâ Parnassus mons est vertice duplici Musis sacer, supra sinum Corinthiacum, sed modicè à sinu in interiora recedens. Inter urbes ejus multas Delphi claritudine primum locum habuere ob oraculum maxime inclytum, & templum amplissimum, splendidissimum, ditissimum, innumeris donariis magni pretii refertum, dicatum Apollini; itemque ob Amphictyonas, qui istic, & in Thermopylis conventus suos agebant, & de maximis Græciæ negociis judicabant. Fuere celebres Phocenses etiam tum, cum ad Trojam bellum est gestum, quò & ipsi copias suas miserunt. Deinde, teste Pausaniâ, ante Persica tempora grave bellum habuere contra Thessalos confines suos, eosque magnis detrimentis affectos vicere arte magis quam viribus. Bello Xerxeo ambigua fide primum fuisse putantur: quo tempore templum Delphicum divinitus contra vim Persarum defensum esse traditur. Sed bello vergente ad Platæas pro Græcis steterunt. Postea ob violatum agrum sacrum ab Amphictyonibus studio præcipuo Thebanorum damnati, & cum multam judicio definitam non solverent, templumq; etiam Delphicum, quod commune totius Græciæ censebatur, in suam potestatem redegerunt armis Locrensi primum petiti, & quia, ut alendis militib. pecuniam haberent, in donaria templi manus etiam injecerant, summis virib. à Thebanis & Thessalis, eorumque sociis sunt oppugnati. Bellum per varias vices gestum extractumque in annos x, & omnib. jam utrinque exhaustis ac fractis, à Macedoniæ rege Philippo, Amyntæ filio, quem Thebani ac Thessali in auxilium vocarunt, finis tandem ei impositus fuit, Phocensib. Philippo sedentib. duræ conditiones irrogatæ: ut judicatis Amphictyonibus parerent: ut jus confessus Amphictyonici imposterum non haberent; Philippus verò in eorum locum succederet: urbes Phocidis manibus nudarentur, & in uicos haud magnos, ac non minus stadio uno inter se disjunctos spargerentur.

spargerentur: nec equos, nec arma habere iisdem Phocensibus liceret, donec templo erepta pecunia omnis ab iis esset restituta: interea ipsi agrum suum vectigalem exercerent: profugi sacrilegiorum consortes, infames & proscripsi haberentur. Hæc sententia ab Amphictyonibus statim in eos lata archonte Athenis Archiâ, Olympiadis CVIII anno tertio secundum Diodorum, aut ejusdem Olympiadis anno primo, archonte Theophilo, ut vult Pausanias, qui initium quoque belli pari tempore anticipat. Sed auxilio Atheniensium & Thebanorum vivente adhuc Philippo, & Græciæ libertati imminente, urbes pleræque in Phocide instauratæ: jus verò Amphictyonicum post multos demum annos, circiter Olympiadem CXXIV, cum Gallos templum Delphicum spoliare paratos fortiter repressissent, atque in receptu magnam eorum stragem edidissent, honoris causâ iisdem redditum. Post quod tempus incolûmi fortunâ, sed mediocri durarunt Phocenses ad bellum Achæis à populo Romano illatum, quo ipsi quoque exuti libertate prisca cum cæteris Græcis provinciæ conditionem subierunt. Dein eadem etiam illorum, quæ reliquorum Græcorum fortuna.

THESSALORVM TEMPORA.

Thessalia latissima quondam Græciæ regio, Macedonia finitima, quam sequitur versus meridiem, antiquitus in plures regiones minores divisâ, ac pluribus regulis aut principibus subiecta tum ante tum post Troiana tempora. Hæc olim vetustissimorum Pelasgorum sedes: hæc Deucalionis filio, quod postea toti Græciæ communicatum. Urbes in eâ nobilissimas plurimæ, clarissime verò Larissa, Phthia, Thebæ Phthioticæ, Pharsalus, Methone Thessalica, Metropolis, Argos Pelasgicum, & multo his omnibus recentior Thessalonica. Post regulorum dominatum excussum libertatem Thessali maximâ parte apprehenderunt, sociatiq; inter se in unam quasi civitatem coâluerunt, unum totius gentis concilium habuerunt, in quod pro re natâ congregientes civitatum primores de maximis rebus deliberabant ac statuebant. Quamquam etiam regium nomen ac jus alicubi apud Thessalos hæserit ad tempora proxima bello Peloponnesiaco, ut ex Thucydide discimus. Qui verò libertate utebantur, magis paucorum potestate quam populari delectabantur, licet vulgò in Atheniensium quam Spartanorum amicitiam essent procliviores. Libertatis statum, cum durasset diu, Iason Pheræus, princeps cæteroqui laudatissimus, occupato primùm apud suos dominatu, labefactavit paucis annis ante cladem Lacedæmoniorum ad Leuctra. Occisus à conjuratis Olympiadis CII anno III successores habuit fratres: quorum Polydorus à fratre Lycophrone, hic ab altero fratre Alexandro velut continuatis parricidiis sunt interempti. Alexander Polyphroni similis, Iasoni dissimilissimus principatum vertit in crudelem tyrannidem: contra quem Thessalis auxilio missus à Thebanis Pelopidas victor in prælio cecidit. At Alexandro infidiis conjugis & fratrum ejus necato, & his vicissim cum conati essent eundem dominatum vertere in sese, ope Philippi Macedonia regis, Amyntæ filii oppressis, Thessali pristinae libertati sunt redditi Olympiadis CV anno IV. Sed hanc idem callidissimus Philippus, qui oraculum memor non minus auro quam ferro dimicare solet, corruptis pecuniâ civitatum Thessalicarum primoribus, & discordiæ facibus ubique subjectis, nonnullis etiam, qui potentiâ graves esse populo videbantur, in populi gratiam submotis, circiter Olympiadem CIX rursus evertit, totamque Thessaliam

Theſſaliam arte potius quàm Marte poteſtatis ſuæ factam regno Macedoniæ adjecit. Ita duplicatum regni Macedonici robur. Quo fretus Philippus reliquæ Græciæ ſub ducis nomine propemodum dominum ſe impoſuit, & Alexander Magnus patris cæpta pertexens univerſum Orientem domuit. Dehinc eadem Theſſalorum, quæ reliquorum Macedonum fortuna fuit.

TEMPORA EPIROTARVM ET
MOLOSSORVM.

EPirotæ cum Moloffis, qui, Illyriis, Macedonibus, Græcis finitimi ſunt, regum ſuorum genus antiquiſſimum ad Pyrrhum Achillis filium referunt. In eorum ſerie Admetus poſteris ex hiftoriâ notus fuit, Alcone natus, ad quem Themiftocles patriâ profugus ſupplex venit. Cui filius fuit Tharymbas, & Tharymbæ Alcetas 1. Ex quo geniti Neoptolemus Molofforum dynaſta, & Arybba Epiri Rex. Ex Neoptolemo fuere Alexander, avunculus Alexandri Magni Macedonis, qui in Italia periit, & Olympias ejuſdem Alexandri mater. Ex Arybba Alcetas 11 Epiri rex, & Æacides PYRRHI regis inclyti, Romanis, Siculis, Macedonibus, Græcis notiſſimi pater. Pyrrho ſucceſſit Alexander 11 filius: huic Ptolemæus, Ptolemæo Pyrrhus 11 obſcuræ famæ, rectâ linea descendentes. Hic familiæ hujus terminus & regni finis. Cui gloria ferè omnis à Pyrrho Æacidæ filio, ut lumen emicans.

THRACVM TEMPORA.

Threcia gens antiquitatis ultimæ, ac latè admodum diſfuſa, ac in varios populos & regna multa diſviſa, regionem tenens ſupra Macedoniam verſus boream ortumque ſe porrigentem, ſui generis & proſus diſverſa à Græcis, cognata verò Dacis & Gethis vel Gotthis: quippe quam cum his ἐμύλοισιν ac ἐμόφυλον eſſe optimus & fidiffimus autor Strabo affirmat, nec obſcurè ſignificat iisdem finitimam quoque fuiſſe. Vnde & conjunctionem ejus cum veteribus Germanis etiam licet colligere. Daci enim & Gotthi Germanorum cognati fuere. Sed fuit Thracia olim, quæ Macedoniæ propinquavit, & ſecundum mare Ægæum, Helleſpontum, Propontidem, Boſporum, Pontum Euxinum ſe extendit, tam frequentibus Græcorum coloniis obſita, & aſſiduis commerciis maritimis cum iis connexa, ut propemodum in eorum mores & inſtituta abierit. Eadem gens belli ſtudiis ſemper claruit, vix ut ullum ſeculum dari poſſit, quo non reges ejus, & populi manu aliquid memorentur patraſſe. Sed pleraque non connexa inter ſe, verùm hic illic diſperſa aut diſtracta narrantur, ut eorum tempora contexi non facilè queant. Quapropter nos quoq; in eo non laborabimus. Plurima verò cum Græcis, Macedonicis & Romanis comparari poſſunt. Nam propter colonias, & vicinitatem, commerciaque pacata & armata Thracibus ea fuere cum Græcis & Macedonibus communia, & Byzantium, quæ Græcorum colonia ac civitas Græca erat commodiſſimo loco in Thraciâ ſita, cum in ruderibus jaceret, à Conſtantino Magno Rom. imp. inſtauratum atque auctum, ac Conſtantinopolis novæque Romæ nomine donatum, altera ſedes Romani imperii fuit per annos MCCCXIII, ipſique adèò Thraciæ nomen Romaniæ dedit, quod adhuc ſub Turcis, quibus nunc paret, in eâ haret.

CRETEN.

CRETENSIVM TEMPORA.

CRETÆ insula *ἐκατόμπολις* quondam diu antè Troiæ excidium Græcia accensa fuit. Venisse in eam dicitur Deucalionis pronepos Teetamus cum Pelasgis & Æolibus, ejusque filium Asterium perhibent privignis suis ex Europâ conjuge & Iove natis Minœi, Rhadamanto, Sarpedoni regnum Cretæ reliquisse: ex Minœe nepotem fuisse Minœem secundum, maris & insularum imperio potitum: ex eo genitum Androgeum Athenis occisum, Ariadnen, & Deucalionem ac Molum: ex Deucalione natu maximo Idomeneum, ex Molo Merionem fuisse, qui cum reliquis Græcis ad Trojam militarunt: Idomenei quoque sororem Phædræm Theseo Atheniensium regi nupsisse adamatam à privigno Hippolyto. Post Merionem, qui Idomeneo successit, & ejus filium, qui regnum in Cretâ tenuerint, non est traditum. Hoc verò non uno ex autore cognoscimus, longissimo tempore Cretenses sine regibus vixisse liberos, & supremis magistratibus, quos *κόσμοις* vocabant, usos esse annuis numero denis, ex certis tantum familiis eligi solitis, sine fortunarum discrimine, cujusmodi apud Spartanos fuere Ephori quini: ex Cosmis magistratu functis electos porro esse senatores perpetuos, reddendis rationibus non obnoxios, nec eos secundum leges scriptas, sed ex arbitrio suo de rebus controversis statuere consuevisse; atque ita Remp. Cretensium in manu paucorum fuisse: populum promiscuum solius concionis fuisse participem ad confirmanda suffragiis suis, quæ à Cosmis & senatu jam erant probata. De quâ Reip. Creticæ formâ summoperè aliis laudatâ sic censet Aristoteles, multis quidem vitiis per se eam scaterè, sed diuturnam tamen fuisse ob hanc causam, quod esset insularia, ideòque à commerciis & corruptelis finitimorum se-mota ac tuta. Hæc verò ita exposita sunt à veteribus ut intelligere non satis possis, an hujusmodi in totâ insulâ respública fuerit una, an eadem illa in singulis fuerit civitatibus separatim. Fuere verò in insulâ urbes quondam plurimæ, ut dixi antè: sed eminuere septem, Cnossus maxima & antiquissima à Minœe structa, ejusq; sedes regia, Gortyn, Cydon, Lyctus, Rhithymna, Dicte, Phæstus, pleraq; à mari recedentia, quædam maritima. Autores legum suarum Cretenses ferebant Rhadamantum & Minœem, utrumque justitiæ famâ celeberrimum. Fuere iidem etiam post regum suorum tempora, cum liberi degerent, mari potentes, & plerumq; insularum circumjacentium domini, in quibus colonias quoque suas collocarant: antiquitus tenui victu contenti, & laboribus à pueritiâ indurati, ideoque militiæ apti, denique Laconibus similes in multis, qui ab his leges sumpserunt. Cætera felices, nisi quòd prædonum in mari graffantium injuriis sæpè essent obnoxii, ut Strabo nos docet. Demum postremis libertatis suæ temporibus bello Mithridatico à Cilicibus piratis, quos Mithridates excitaverat, occupata fuit: iisque paucos post annos inde ejectis duce Q. Metello Cretico, accessio facta est imperii Romani: mansitque in obsequio imperatorum orientalium Græci generis, quanquam sæpè à Saracenis vexata, ad id tempus, quo Alexius Angelus potestatem raptam in apertam tyrannidem vertit. Cujus è manib. elapsus Alexius alter, prioris ex Isaacio fratre nepos impetrato occidentalium auxilio, qui se contra Turcas tum fortè accingebant, Cretam sponte sibi deditam Bonifacio Montisferratensi principi, ut eum alacriorem redderet, donavit. Bonifacius verò captâ jam ab occidentalibus Constantinopoli, cum à sociis ingens auri pondus Venetis deberetur, petente Balduino novo imperatore, & cæteris idem contendentibus Reipub. Venetæ eam in solutû dedit Henrico Dandulo reip. principe anno Christi

MCCIV. Veneti ægrè parentem, & aliquoties rebellem domuere tandem, & coloniis suis istuc missis reddiderunt obsequio paratiorem & pacatiorem. Coloniæ præcipua fuit CANDIA, eo loci posita, ubi quondam Matium oppidum erat in mediâ ferè longitudine oræ borealis: in quâ Prætor Venetus cum magistratibus aliis toti insulæ præfectis sedem etiam nunc habet. Nam ad hodiernum diem ab isto tempore insula in ejusdem Venetæ reipub. potestate manet pluribus penè Italis quàm Græcis habitata, præsertim in oppidis, mutatoque nomine pro Cretâ Candia ex vocabulo maximæ urbis proximis sæculis est vocitata. Ex oppidis majoribus quæ quondam floruere, Cydon, quæ Canea, Rhithymna, quæ Rhetinum hodie dicuntur, reliqua nunc sunt, sed fortunâ quàm olim minore. Cætera aut extenuata admodum sunt, aut interiëre. Tempus à principio Teſtami ad regum Cretensium finem nobis incertum est. Et duratio libertatis definiri accuratè non potest, cum de principio ejus certò non constet. Dubium tamen non est quin annos mille excedat. Sub Romanorum imperio Creta fuit annis M C C L X X. Venetis nunc paruit annis C C C X I I I.

C Y P R I O R V M T E M P O R A.

Cyprum antiquitus barbari Asiæ tenuere. Deinde Græci colonias Cillic constituerunt, quarum princeps & nobilissima fuit Salamis à Teucro Salaminio, Ajacis Telamonii fratre Æaci nepote, ut ferunt, condita aliquot annis post Trojæ excidium. Altera Paphus structa eodem ævo paulò ante Salamina, ab Agapenore Arcadæ à Bello Trojano revertente, & tempestate in Cyprum abrepto, Veneri dicata. Paruit Cyprus quondam regulis suis; præcipuè iis, qui ex Teucro descenderunt. At invalescente Medorum primùm, postea Persarum potentiâ, in eorum obsequio fuit, licet nonnunquam permissu eorundem reges aut principes proprios, sed à superiorum arbitrio pendentes, haberet: in quibus Evagoras & Nicocles Salaminii è Teucris posteris, ab oratore Isocrate celebrati, fuere. Persarum imperio destructo ab Alexandro Magno, Macedonum in Oriente dominantium post Alexandrum, imprimis in Ægypto regnantium imperium agnovit. Demum Ptolemæo, Auletæ Ægyptii fratre, ob ingrætitudinis crimen in Romanos ab iisdem Romanis everso in Romanorum potestatem venit L. Pisone A. Gabinio Coss. anno urbis Romæ D C X C V I. secundum Varronè, periodi Jul. quater millesimo D C L V I, quo anno M. Cicero à P. Clodio tribuno pl. pulsus est in exilium, fluente Olympiade C L X X X. In fide verò Romanorum mansit usque dum à Saracenis tempore Heraclii imp. est occupata circiter annum Christi D C X X V I. Nec hujus Saracenicæ servitutis finis fuit antequam Europæi Christiani insulâ ceperint principe Richardo Angliæ rege anno Christi M C X C I I. Ab Anglo verò eam accepit anno sequente Guido Lusignanus Gallus idem ille, qui regis Hierosolymitani quoque titulum erat adeptus. Et hujus posterum regnum in insulâ retinere per annos propemodum C C C variis fortunæ casibus agitati. Ex quibus Petrus Saracenorū hostis spoliata Alexandriâ, cum prædâ domum reversus à fratre germano est interemptus. Parricida regno potitus ob sævitiam in Genuenses, quos crudelibus suppliciis affecerat, à civitate Genuensi bello petitus, captusque cum conjugè gravidâ Genuam in triumphum est avectus: nec ante dimissus, quàm se vectigalem civitati futurum deinceps spondisset, & Famagustam regni emporium præcipuum, quæ Salamis olim dicta fuit, in fidei pignus ei reliquisset.

reliquisset. Filius autem ejus, qui Genuæ in captivitate natus patri successerat, prælio navali cum Ægyptiis commisso in potestatem hostium venit: à quibus Nicosia quoque, caput regni, occupata & direpta, incendioque data fuit. Denique rex ut ex Soldani vinculis se redimeret, tum ingens *λύτρον* pecuniarium solvere, tum tributi pensionem annuam promittere necesse habuit. Iano huic (id enim ei nomen) filius erat Iohannes; qui ex Helenâ Palæologâ filiam unicam legitimam suscepit Carlottam, & ex concubinâ filium Iacobum. Hic à morte patris cum regnum invasisset, à sorore & sororio principe Sabauda pulsus ope Soldani Ægyptii in regnum rediit, uxoremque duxit Catharinam Corneliam, patritii civis Veneti filiam, Georgii Cornelii viri illustris germanam sororem; ac brevi deinde mortuus regnum prægnanti conjugi sub tutelâ reipub. Venetæ reliquit. Illa extincto filiolo infante idem regnum eidem reipub. Venetæ tradidit anno Christi *MCCCLXXXVIII*, periodi *Iul. sexies millesimo cci.* Veneti ex insulâ demùm ejecti sunt à Selimo *II* Turcarum imp. anno æræ Christianæ *MDLXX*, cum eam possedissent annis circiter *LXXXII*, postquam eadem à Richardo Anglo è manibus Saracenorum esset recepta, quasi *CCCLXXXVIII*. Turcæ etiam nunc eam possident.

TEMPORA RHODIORVM.

Rhodus insula in mari Lycio exiguo freto à Cariâ dirempta, vetustissimis temporibus *τελχινίς* primùm ab habitatoribus, deinde Ophiussâ à serpentibus, à quibus infestabatur, pluribusque aliis nominibus diu ante Troianum bellum vocata, à Tlepolemo Herculis filio ob inconsultam cædem Licymnii cognati sui Argis profugo, atque istuc cum comitatu non parvo adveniente non invitis incolis possessa, qui jam grandior natu cum classe Agemnonem secutus est ad Trojam. Quo tempore jam tum Rhodus fuit dicta, & tribus urbibus habitata Lindo, Ialyso, & Camiro, quarum de conditoribus non idem sentiunt scriptores veteres. Addita postea est quarta insulæ toti *ἰμάνυμ*, cæteris multò celebrior, Ialyso vicina, in quam commigratum esse frequenter ex cæteris, & ab eodem illo architecto, operis rectore, eam esse structam, qui Piræo portu Attico struendo præfuit (quod aliquot annis post Xerxis è Græciâ discessum accidisse constat) autor est Strabo. Urbis universæ descriptio fuit pulcherrima, munitionum structurâ firmissima, portus cum navalibus longè optimus. Rebus maritimis Rhodus plurimum valuit & ante novam urbem structam (mari enim dominata longè latèque diu ante Persica tempora perhibetur) & multò magis eâ jam florente. Excelluit imprimis disciplinâ navali, studioque artium & philosophiæ, æmula civitatis Atticæ: fuitque quasi alterum domicilium Musarum. Et quantum originis Doricæ ipsa esset ex Peloponneso, & à democratiâ abhorreret, sapius tamen in bellis pro Atheniensibus ob studiorum similitudinem, quam contra eos pro Doribus fecit: adeoque vix legas hostem eis gravem fuisse excepto bello sociali Olympiade *CV* vergente, anno Philippi Macedonis Amyntæ filii quarto. Inter opera ejus nobilia per multa celeberrimus fuit colossus æneus, statua scilicet Solis, *LXX* cubitis altus, artificiosissimè factus ab architecto & statuario Charete Lindio, Lysippi discipulo labore annorum *XII*, impendio publico talentorum *CCC*, inter septem mundi miracula numeratus, consummatus circiter Olympiadis *CXXV* annum primum, urbis Romæ *CCCLXXV*, periodi

Iul. quater mill. ccccxxxv. Nam annis lvi postquam absolutus fuerat, consulibus apud Romanos C. Flaminio, P. Furio Philo, qui in consulatu fuere anno urbis conditæ dxxxii, periodi Iul. quater mill. ccccxcii, terræ motu concussus corruit: & post ruinam tiratus jacuit, & admirationi spectantibus fuit per annos dcccclxxvii, materia integrâ. Porro labantibus Græciæ rebus Rhodus magis ac magis opibus ac potentiâ crevit, bellôque Romanos iuvit contra Antiochum Magnum Syriæ Asiæque regem, operæque præstitæ ab iisdem præmiis ornata est eximiis. Deinde bello Mithridatico pro iisdem gravissimam obfidionem forriter pertulit, & regem omnibus tentatis tandem infectâ re frementem atque indignantem cum dedecore decedere, ac de fortunâ maritimâ desperare coëgit: rursusque magnis beneficiis à civitate Romanâ affecta fuit. Bello item piratico difficili constans in societate eadem perstitit: fuitque deinceps durante Romanorum libertate, etiam tum cum totâ Asiâ usque in Euphratem ii ipsi potirentur, non tam imperio eorum subjecta, quàm sociâ atque amica conditionis liberrimæ. Et sub Cæsaribus libertas eadem ei constitit ad annum vi Vespasiani, qui cum cæteris ejus maris insulis, aliisque civitatibus Græci generis liberis in formam provinciæ eam redegit. Honorata tamen mansit & felix: stetitque incolumis ad annum usque æræ Christianæ dcccxxv, quo Muavia Ægypti Soldanus Saracenus cum popularibus suis turbinis instar eam invasit, occupavitque, & colossum Solis hæctenus in solo isthic jacentem mercatori Arabi venundedit. Is æs in fragmina divisum camelis dcccc imposuit, & avexit. Rhodus per annos dclxxiii in potestate Saracenorum, qui copiis classariis pollebant, mansit: quibus exactis anno æræ Christianæ mcccviii ab Europæis Christianis recuperata, militibus ordinis Ioannitarum sub magistro velut principe suo agentibus tradita est. Hi contra Turcarum vim non sine summo discrimine fortissimè eam sapientem Magnum summis viribus terrâ marique ipsam toto trimestri oppugnantem. Tandem verò armis Solimanni superati anno mdxxvii relinquere eandem, & in Melitam se recipere necessum habuerunt. Fuit Rhodus in illorum potestate per annos ccxiii. Nunc annum xcvi sub imperio Turcarum agit.

TEMPORA VETVSTISSIMORVM
LATINORVM.

PRImus rerum potitus in Latio Ianus capit anno periodi Iul. ter millesimo cccxc, ante Romam conditam dclxxiii: post quem Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, qui decessit anno Periodi Iul. ter millesimo dcl, ante conditam Romam ccccxxiii, post initium Iani cl.

TEMPORA AENEADARVM
IN LATIO.

AENæas Trojanus coepit regnare in Latio decedente socero Latino anno jam dicto. Cui post vii annos successit Iulus Ascanius, & cæteri ejus posterii omnes numero xv: quorum ultimus Numitor, Romuli avus maternus, decessit anno periodi Iulianæ ter millesimo nongentesimo sexagesimo tertio, ab initio Aenæ ccccxxiv, post Iani primordia dclxxiv.

TEMPO.

TEMPORA ROMANORVM.

Roma condita à Romulo secundum Varronem anno periodi Iul. ter millesimo nongentesimo sexagesimo primo, mundi ter millesimo trecentesimo nonagesimo septimo, Olympiadis VI anno III, (secundum Caetonem anno sequente) post expugnatam excisamq; Troiam ccccxxix aut ccccxxx. Hoc principium Romuli primi Rom. regis, concurrens cum anno VII aut VIII Ioathan regis Iuda. Regnatum Romæ à regib. septē per annos cxxlii. Regnandi finis anno periodi Iulianæ quater millesimo, ducentesimo quinto, Olympiadis LXVII anno III, regnante tum in Persia Dario Hystaspide, anno regni ejus XII, cum Hippas tyrannus Pisistrati fil. ante aliquot menses Athenis pulsus esset. Id initium libertatis Romanæ creatis consulibus duob. annuis: quæ libertas per varias rerum vices duravit usque ad dominatum C. Iulii Cæsaris annos cccclxii.

In hac rep. liberâ secessione plebis factâ primi tribuni pl. creati sunt anno urbis conditæ cclx, anno libertatis xvi, ante pugnam Marathonianam in Atticâ contra Persas quarto. Deinde X-viri scribendarum legum loco consulum creati anno urbis cond. secundum Dionysium Halicarnass. ccciii, secundum Livium cccii, Olympiadis LXXX anno primo secundū eundem Dionysium: duravitque Decemviratus biennium & paulò amplius, imperiumque civitatis rediit ad consules. Post anno urbis cond. cccx, primi tribuni mil. conf. potestate designati: & rursus anno urbis cccxvi, atque iterum cccxxi: deinde jam consules, jam tribuni hujusmodi, sæpius tamen tribuni, usque ad annum cccclxxx; quo soli tribuni pl. summum imperium in civitate habuerunt, & retinere per quinquennium. Tum rursus tribuni mil. conf. pot. per annos aliquot. Tandem posthabito magistratu hoc, post longas contentiones plebe quæ ad honorem consularem capeffendum admittâ, quod hætenus negatum ei à patitiis fuerat, anno urbis cccclxxxix consulum creandorum quasi novum factum initium: creatiq; deinceps bini & bini quotannis promiscuè tam ex plebe quam ex sanguine patritio. Eodemq; illo anno cccclxxxix primus Prætor creatus, qui jus diceret, quod consules, & tribuni consulari potestate soliti erāt facere, & duo ædiles curules, qui ludos curarent: uterq; magistratus patritius & annuus: quemadmodū ante annos circiter LXXVII, anno nimirū urbis cond. cccxi, qui proximè secutus fuit primos tribunos mil. conf. pot. & nonus post X-virorū initium, primi censes ex eadem gente patitiâ erant editi, qui pro consulib. singulis quinquenniis populum censent, & in annos quinq; honorem eum tenerent. Prætori verò uni post annos, ni fallor, cxxv, alter additus est, qui, ut prior inter cives, ita inter peregrinos jurisdictionem haberet. Et his postea adjecti etiam fuere alii, qui quæstiones perpetuas exercerent, id est, criminibus cognoscendis & judicandis præessent, primū quatuor, deinde sex, ut essent omnes numero VIII: quem numerū C. Cæsar insuper auxit ad denarium, & majorē quoq; fecere ipsius in dominatu successores. Omitto Questores & ædiles plebis, quorum illi tempore regum, hi cum tribunis plebis orti: item magistratus extraordinarios in rep. liberâ, Dictatores, magistrōs equitum, interreges.

Interea post ejectos reges bella longo ordine gesta contra Latinos, Equos, Volscos, Hernicos, Sabinos, Hetruscos, Gallos, (à quibus urbs Roma anno ejus cccclxv capta & vastata) Samnites, Tarentinos & Pyrrhum, Punicum primum contra Carthagenenses, iterum cum Gallis, Illyricum, Punicum secundum, Macedonicū primum contra Philippum regem, Ætolicum, Antiochenū contra Antiochum Magnum Syriæ regem, Macedonicū

*Hi magi-
stratus novus
cum primo
consule ex
plebe creati
eo anno sunt,
qui hic in te-
xto est nota-
tus nimirum
ccclxxxix:
sed anno proxi-
mè sequenti
cccxc ho-
norē inire
& gessere.*

II contra Persea Macedoniae regem ultimum, Punicum III, quo Carthago delata, Achaicum in Graecia, & contra Graecos, Hispanica varia contra Celtiberos, Lusitanos aliosque, item Gallica trans Alpes contra Allobroges & vicinos, Iugurthinum in Africa, Cimbricum Teutonicumque, sociale vel Italicum, Mithridaticum, civile Marianum, Gallicum recentissimum, civile Pompejanum; cum quo finito finita est populi libertas, capitiq; Monarchia Caesarum C. Iulio Caesare II, P. Servilio Consulibus anno urbis conditae DCCVI, post expulsos reges & initam libertatem CCCCLXII, post X-viros creatos CCCCIV, post urbem a Gallis captam CCCXLI, post consulatum cum plebe communicatum CCCXVII, periodi Iulianae ter millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.

Verum sub Caesaribus nihilominus mansit series binorum consulum, qua tempora notata fuere, & quidem ad initia Constantini Magni constans & continua, deinde ter quaterve annis *ἀνωτάτοις* interrupta: Et postmodum a temporibus Honorii & Theodosii II usque ad annum XV Iustiniani primi aliquoties pro consulibus duob. uno solum sustentata. Cum isto vero anno, quo solus Basilius consul fuit, qui annus erat urbis Romae MCCCXCIV, monarchiae Caesarum DLXXXIX, aerae Christianae vulgaris DXXI, periodi Iul. quinquies millesimus, ducentessimus trigessimus quartus, eadem series desit. Post hunc autem annum viginti quinque proximè sequentes sic notati fuere post consulatum Basili anno I, II, III, IV, V, VI, atque hoc modo ceteri. Deinceps tempora in rebus Romanis signata sunt annis imperatorum, & postea annis Christi

Porro, quod notandum quoque diligenter, ab initio Monarchiae Caesarum ad initium imperii Constantini Magni, qui erat annus aerae Christianae CCCVI, & urbis Romae MLIX, periodi Iulianae quinquies millesimus decimus nonus, Olympiadis CCLXXI annus II surgens, lapsi sunt anni CCCLIII: qui Constantinus post sexennium, victo oppressoque Maxentio tyranno & urbe Romae occupata publice professus est Christianismum. Unde ductum est principium indictionum Constantinianarum fluente anno aerae Christianae nostrae CCCXII, cum quibus novus quasi status obmutatam religionem & instituta alia in orbe Romano est exortus. Idem Constantinus instaurato Byzantio, quod in rudibus jacebat, alteram sedem imperii Romani orientem versus exstruxit, nuncupavitque Constantinopolim: ejusque encenia celebravit anno veteris Romae MLXXXII, aerae Christianae vulgaris CCCXXX, imperii sui XXIV, Olympiadis CCLXXVII anno primo vergente, periodi Iul. VMLXIII. Atque haec Constantinopolis mansit Romani imperii sedes in Oriente per annos totos MCCCXXIII, ad annum scilicet aerae Christianae MCCCCLIII, quo a Mahomete II Turcarum imperatore est occupata. Cujus haeredes etiam nunc eam habent, & habitant. At vetus Roma mansit sedes imperii in Occidente cum continuâ imperatorum serie usque ad finem Momylli Augustuli imperatoris in hac parte ultimi, qui pertinet ad annum Periodi Iul. quinquies millesimum centesimum octuagesimum nonum, mundi MCCCXXV senescentem, Olympiadis CCCXIII quartum, urbis Romae conditae MCCCXXIX, ab initio Monarchiae Caesarum DXXIII, aerae Christianae CCCCLXXXVI, enceniorum Constantinopolis CXLVI. A quo tempore carit occidens honore imperii & imperatore per annos totos CCCXXIV & menses quatuor, ad id nimirum tempus, quo Carolus Magnus Francorum & Italiae rex, imperator Augustus a populo Romano Romae salutatus, & ab ejusdem urbis episcopo Leone III coronatus est: quod factum fuit anno aerae Christianae nostrae DCCC exituro, die scilicet XXV Decembri, qui

nativitas

nativitati Christi habetur fieri. Sic imperii Romani *ἀρχαία* in occidente ad Germanos fuit translatum, penes quos hodie quoque manet. A translatione istâ ad tempus præsens, quo hæc scribimus, anno nimirum Christiano MDCXVII, exactè sunt anni DCCXVI, & menses aliquot.

TEMPORA VETUSTIORA SYRACUSANORVM
IN SICILIA, VSQVE AD INSVLAM
in potestatem Normannorum redactam.

Sicilia insularum in mari mediterraneo longè maxima & mediâ longitudine commodè admodum sita, urbibus multis & magnis quondam abundans, tyrannorum ante alias omnes regiones ferax, quorum velut seges quædam illic assiduò proveniebat. Tyrannos voco non qui cædibus aliisque injuriis in suos seviebant, sed qui oppressâ libertate, contra jus patrium, regnum & imperium in civitatibus tenebant, & plus omninò quam leges poterant. Primi insulæ habitatores Sicani dicuntur fuisse, origine Hispani inde in Italiam, & post aliquot sæculâ ex Italiâ pulsi à Liguribus in insulam hanc transgressi. Post eos Siculi originis Italicæ è Latio profecti, Sicani in insulæ latus meridionale & occidentale submoti, secedes quoque illic posuere annis circiter CCC ante primum adventum Græcorum. Græci denique, rejectis sensim in interiora Siculis & Sicanis, oras totius insulæ coloniis suis occuparunt, & totam penè insulam Græcificare coegerunt. E præcipuis urbibus Gela, Agrigentum, Segesta, Drepanum, Lilybæum fuere in littore Austrino, Panormus, Himera, Mylæ in littore boreo, Zancle vel Messana prope Pelorum, Tauromenium, Naxos, Catania, Megara, Syracusæ ad litus ortivum, Leontium, Enna, Hybla in Mediterraneis. Sed supra omnes caput extulere Syracusæ: quarum primi conditores feruntur fuisse Ætoli, & nomen loco imposuisse Ortygiæ. Hos ajunt à Siculis inde ejectos diu ante Troiæ excidium, annis circiter DCC ante Romam conditam, si verax heic est Eusebius. Demum Archias Corinthius, genere Heraclides, expulsis Siculis, Doricam Coloniâ ibi constituit, & urbem multò reddidit ampliorem. Id factum notat Eusebius in Canone Chronico Olympiadis XI anno 1111, post initia urbis Romæ anno quasi XX. A quo tempore affluentibus identidem pluribus è Peloponneso coloniis genere Doribus urbs maxima cepit incrementa, ut non solum Siciliæ, sed totius Europæ urbium facta sit amplissima, distincta in partes seu urbes minores quatuor, Insulam, Acradinam, Tyrrhen, Neapolim. Forma reip. ei data fuit à Coloniæ conditore Aristocratica, quæ Doribus erat usitata, accedens ad confinia Democratia. Atque ipsa multitudine populi laborans varias etiam colonias temporibus posterioribus in Siciliâ condidit, Acras, Casmenam, Camerinam, Ennam. Deinde ut fit, cum opibus afflueret, ac lasciviret, factionibus agitata fuit, per quas plebeij primores ejectos possessionibus exuerunt. Hi patriâ exules opem rogarunt Gelensium tyrannum Gelonem Dinomenis filium Oecetoris nepotem Rhodo oriundum. Gela urbs à Lindiis, qui in Rhodo Syracusis ab Archiâ positam, ducibus Antiphemo Lindio, & Entimo Crete, cum secundâ fortunâ crevisset, anno CVIII coloniam sui generis emisit, quam Agrigentum dixere, in eodem Sicilia latere austrino sitam, cui libera tyrannum se postea imposuit Phalaris, crudelitate præcipuâ magnâ sed infame nomen adeptus. Apud Gelæos primus tyrannidem occupavit Cleander Patareus multo tempore post occisum ab Agrigentinis Phalaris.

laridem; eoque post annos VII interempto, Hippocrates ejusdem frater dominatum invasit, tenuitque annos totidem, multaque feliciter in Sicilia contra Zanclæos, Naxios, Leontinos, Syracusanos gessit, etate suatyranorum in insula potentissimus, usus præcipuo belli duce Gelone: cælus tandem in prælio ad Hyblam. Ab hujus Hippocraris filiis duobus Eurycle & Cleandro cum Geloi deficerent, Gelon susceptâ eorum defensione, victis prælio Gelois, tyrannidem non illis, sed sibi asseruit. Hic, ut ante dixi, à primoribus Syracusanis in exilio degentibus rogatus, confecto exercitu Syracusas eos reduxit, ac tantâ moderatione hac in re usus est, ut non minus à plebe quàm ab ipsis primoribus totius civitatis regendâ potestatem sibi delatam acceperit. Quod factum, ut vult Pausanias in Eliacis, Olympiadis LXXII anno II, Hybrilide Athenis prætorè ἐπαυρωμα, urbis Romæ conditæ ex mente Varronis anno CCLXIII, periodi Iulianæ quater-millesimo CCXXIII, quo eodem anno feliciter ab Atheniensibus pugnatum contra Persas ad Marathonem duce Miltiade. Hac fortunâ auctus Gelon, relicta fratri Hieroni gubernatione ac imperio Gelenis, totum se dedit ad muniendam, armandam, augendam urbem Syracusanam, imperiumque proferendum longius, multisque victoriis passim partis, atque oppidis in Sicilia occupatis, pluribusque hinc inde civibus Syracusis traductis eò potentiæ pervenit, ut res insulæ totius pro nutu penè suo moderaretur. Ad quem cum Athenienses & Spartani nomine Græcorum omnium legatos misissent auxilia petitum contra Xerxem in Græciam adventantem, pollicitus est se præstiturum CC navium armatarum classem cum ingenti exercitu, si sibi imperium vel terrâ vel mari contra hostem permitteretur. Recusatâ verò ab Atheniensibus pariter & Spartanis conditione nihil opis tulit.

At cum eodem illo tempore, quo Xerxes Græciam invasit, Amilcar Pœnus Hannonis filius matre Syracusanâ natus, rei militaris peritissimus, ex pacto, ut creditum fuit, cum Xerxe, (nam fœdus Carthaginensibus cum Xerxe coierat) aut ab Anaxilâ Zanclæo in auxilium focieri Himeræ tyranni, quem Theron Agrigentinus Gelonis focer Himerâ ejecerat, cum classe longarum navium CC, onerariarum CCC, exercitu autem CCC milium Carthagine solvisset, & in mari tempestate jactatus onerariarum navium, atque equorum magno numero amisso in Siciliam cum cæteris appulisset, ad Himeram binis castris positus sive strategemate à Gelone Theronis genero circumventus, ut Diodorus memorat, seu aperto Marte oppugnatus vitam & exercitum amisit. In eo certamine diuturno & difficili feruntur CL millia Carthaginensium occubuisse, totidè ferè hosti se dedisse, eos per civitates focias à Gelone distributos duris laboribus servorum more fuisse exercitos, operibusque publicis faciendis Syracusis, Agrigentis, Gelæ atque alibi mancipatos: classem quoque incensam atque exustam, paucas naves è clade elapsas cum domum repeterent, tempestate sævâ maris periisse, scapham verò unam servatam, & Carthaginem reversam totam civitatem mærore & planctu nunciatâ clade tam atroci replevisse. Ajunt accidisse hæc ad Himeram in Sicilia eodem anno & die, quo in Græciâ pugnatum ad Thermopylas, aut quod affirmat Herodotus, quo ad Salaminem clades classi Xerxeæ irrogata archonte Athenis Calliade, Olympiadis LXXV anno I, urbis Romæ conditæ CCLXXIV, periodi Iul. quater-millesimo CCXXXIV, Gelon re feliciter gestâ æquasse gloriam Themistoelis, & reliquorum Græciæ ducum, aut superasse est visus, ab omnibus tam Syracusanis quàm universis Siculis conservator patriæ lætus vocibus celebratus. Nec bello melior habitus quàm gerendâ domi rep. benignus, æquus, munificus,

munificus, clemens, sapiens, carus toti populo. denique nomine potius quam re tyrannus. Decessit tandem, cum dominatum Syracusis tenuisset annis XIII. Ei successit ex defuncti voluntate frater Hieron, haecenus Gelensium rerum potitus, initio in novo imperio moribus fratri dissimilimus, sed cum progressu temporis eruditorum & sapientum virorum studio, quos circum se habebat, quorum in numero Simonides Cæus, Pindarus Thebanus, Bacchilides Iulites erant non minus sapientiâ quam pangendorum carminum facultate valentes, ex pessimo factus est optimus, & civibus carissimus: cujus vitam, ingenium, mores peculiari libro descripsit Xenophon Atheniensis, laudes verò aliquot Odis celebravit Pindarus, quas ei inscripsit: res multas & memorabiles gessit, Syracusas amplas ampliorem fratri Trasylulo, præterito filio Denomene, id tradidit Olympiadis LXXVIII anno II. Is sævitiâ in cives odium omnium bonorum meritus cum mensibus decem imperasset, civitate pulsus in exilio apud Locrenses Thrasyluli annos circiter XXV cum dimidio. Syracusani libertati populi se restituerunt, & reliquis plerisque Siciliae civitatibus ut idem facerent, persuaserunt, & ubi opus fuit, auxiliis quoque præstò fuerunt. Ste-teruntq; in reparatâ hac libertate per annos circiter LXXI. Sed tempus id haud semper qui etiam ipsis fuit. Nam statim à triennio cum flueret Olympiadis LXXIX annus II, factio exarsit in civitate inter originarios cives, & ascriptitios, quos Gelon civitate donaverat. Causa ejus erat, quod originarii honoribus nonnullis ascriptitios excluderent. Unde tumultus, & bellum intestinû intra ipsam urbem commotû, multumq; sanguinis civilis fufum. Præterea cum merus à civibus nonnullis opulentiâ & gratiâ plebis validis, velut ad tyrannidem adspirantibus, esset, exemplo ostracismi Atheniensium ad pellendos è civitate potentiores cives petalimum instituerunt: sed cum parum inde fructus consequi animadverterent, institutum hoc brevi rursus abrogarunt. Simul Ducetius veterum Siculorum princeps potens pacem iis turbavit: idem post aliquot annos bello fractus tradere se Syracusanis, & iussu eorum in exilium ire Corinthum coactus fuit. Quod factum Diodorus Siculus notat Olympiadis LXXXII anno II. Sed Ducetius fide neglectâ in Siciliam rediit, & occasione fuit, ut Syracusani & Agrigentini in simultatem & discordiam acti totam insulam in partes exitiales scinderent. Eo verò igne sopito bellum inter Syracusanos & Leontinos ortum Atheniensium auxilia in Siciliam contra Syracusanos attraxit Olymp. LXXXVIII anno II, ardente tum Graciâ bello Peloponnesiaco. Verum decennio post multò gravior expeditio ab Atheniensibus in auxilium vocatis ab Ægestanis in Siciliam decreta fuit contra Syracusanos Selinuntiorum socios, bellumque totis viribus concurrat ad ipsas Syracusas à Spartanis & Corinthiis adjutas, tandemque magna cedes Atheniensium terrâ marique facta, & Syracusæ velut è faucibus exitii eruptæ, Olympiados XCI anno IV, urbis Romæ anno CCC XLII, periodi Iulianæ quatermillesimo CCCI, archonte Athenis Cleocrito. Deinde vergente jam in Graciâ bello Peloponnesiaco Peni Annibale duce ad subigendam totam Siciliam classem & arma pararunt, atque insulam invadentes insulanorum stragem ingentem fecere, Selinuntem & Himeram oppido capto exciderunt. Et à biennio, remissis istucodem Annibale, & Himilcone ducibus. Agrigentum post longam obsidionem desertum tandem ob famem à civibus ceperunt urbem longè maximam & ditissimam totius Siciliae post Syracusas, eodemque victoriae cursu Gelam & Camerinam

Dissentunt scriptores de initio & duratione dominatus Gelonis. Nam Diodorus tantum annos VII ei attribuit & obitum Gelonis conferit in Olymp. LXXV annu III. Ita principium cœcurrent cum Olymp. LXXIII anno III.

rinam invaserunt, occupatasque cum Agrigento excidio dederunt. Quo tempore Dionysius Hermocratis filius ex numero praefectorum militiae Syracusanæ contra Pænos, qui jam ipsis Syracusis minitabantur, usus artibus, quibus solent ii, qui ad tyrannidem adspirant, calumniando collegas, sese & fidem commendando apud populum, tandem ex voto *αὐτοκρατορὰ* se constituit, qui scriba pridem, & abjectæ conditionis civis fuerat. Hoc initium ejus Xenophon, qui ei coævus fuit, refert ad annum, qui captas à Lyfandro Athenas, & dominatum xxx tyrannorum illic institutum proximè antecessit. Athenæ verò Lyfandro deditæ sunt circumacto anno xxvii belli Peloponnesiaci, Olympiadis xciii anno iiii paulò post exituro, urbis Romæ ccccl, periodi Iul. quater millesimo cccx, cum ante novimestre Artaxerxes *Μνησκων* in Persia imperare cepisset. Hic Dionysius initio tyrannidis suæ domi forisque variam fortunam expertus, tandem omnium ante & post se Sicilia tyrannorum factus est potentissimus, Pænos compressos in arcum redegit, urbibus in insula pro arbitrio suo est usus, Italiae magnam partem sibi subiecit. Tyrannidem tenuit annos circiter xxxviii, eamque è vitâ decedens reliquit filio Dionysio juniori munitam, ut ipse dicebat, firmissimè. Mors ejus incidit in Olympiadis ciii annum primum, cum archon Athenis esset Nausigenes, qui annus erat ix ante initium Philippi Macedoniae regis, patris Alexandri Magni. Dionysius junior dominatum adeptus vitam egit flagitiosissimè, re pariter & nomine detestabilis tyrannus. Bis tyrannide exutus fuit, prius à Dione Syracusano Hipparini filio, sororio suo, viro optimo, Platonis discipulo, quem ipse patriâ fugere non multò antè coegerat, anno scilicet iv Olympiadis cv: post quem casum interfecto ab inimicis per summum scelus Dione, & reliquis æmulis de principatu dimicantibus è medio sublatis, cum jam annos aliquot in exilio vixisset, occasione oblata Syracusas reversus tyrannidem recepit: secundò à Timoleonte Corinthio in auxilium afflictorum Syracusanorum cum copiis non magnis missò. A quo in potestatem redactus, & omni fortunâ exutus Corinthum deportatus fuit Olympiadis cix anno ii surgente, periodi Iulianæ quater millesimo, cccclxxi, urbis Romæ ccccxii, archonte Athenis Pythodoro, apud Macedones regnante adhuc Philippo Alexandri patre, Romanis gerendo bello Samnitico primo ad tuendos Campanos occupatis. Ex Sicilia Corinthum vectus est unâ naviculâ, qui triremes solet armare cccc. Corinthi inter lixas & lenones in popinis aliquandiu versatus otiosus tandem ludum literarium docendis pueris aperuit, in eoque exilio obiit. Timoleon restitutâ Syracusanis libertate, & reliquis tyrannis totâ insulâ oppressis, honoratus ab omnibus Syracusis mansit, ibique consenuit. In hoc libertatis statu civitas Syracusana mansit, saepe intereâ bello conficta cum Pœnis, per annos xxvi: quibus elapsis Agathocles figuli filius, civis adscriptitius, origine Rheginus, Thermæ in Sicilia natus, sed ingenio & rei militaris peritiâ maximus, per varias artes deluso Amilcare Pœnio, cui se ferebat amicum, imperium civitatis sibi acquisivit, Olympiadis cxv anno iv, archonte Athenis Demogene, periodi Iulianæ anno quater millesimo cccxvii, urbis Romæ cccclxxvii, post turpem Romanorum pactioem cum Samnitibus ad Caudium. Inensus Carthaginensium hostis, contra quos post bella cum iis gesta in Sicilia, cum exercitu trajecit in Africam Olymp. cxvii anno iii, tyrannidis suæ vii, hoste Amilcare in patriâ relicto, & ingentibus ibi victoriis feliciter partis fortunâ Carthaginensium redegit in arcum, & mutatâ fortunâ suâ secundò in patriam clam reversus deserto in hostili terrâ exercitu & duob. filiis tandem in

in summâ rerum desperatione desertus vicissim ab omnibus in extremo senio, cum jam vixisset annos *xcv*, obiit inferior quàm erat natus. Factum id Olympiadis *cxxiii* anno *ii*, urbis Romæ *cccclxviii*, periodi Iulianæ quater millesimo *ccccxxviii*, regni verò ipsius *xxxi*. Tum resumpta à populo Syracusano libertas sed parum tranquilla domi, & foris concussa armis Carthaginensium, qui totis viribus ferebantur ad universam insulam sibi subjiciendam. Interea & Pyrrhus Epiri rex à Tarentinis evocatus in Italiam contra Romanos ibi bellum gerebat, & à Syracusanis sociisque civitatibus opem contra Pœnos & tyrannos rogatus, ex Italia trajecit cum exercitu in Siciliam, & rex Siciliae salutatatus est anno *ix* post mortem Agatoclis, qui erat periodi Iul. quater millesimus *ccccxxxvi*, C. Fabricio Luscinio *ii* C. Emilio Papa *ii* Romæ Consulibus. Verùm Pyrrhus difficultatem videns retinendæ insulæ, à triennio inde in Italiam rediit, filio Heleno, quem ex Agathoclis filiâ susceperat, cum nomine regio ad speciem retinendæ possessionis illic relicto. At Syracusani mox ab ejus abitu ob turbas in insulâ hic illic commotas, & arma Punica, quibus se pressum iri videbant, Hieronem civem suum Hieroclyti filium vestustæ nobilitatis admodum adhuc juvenem prætorem sibi præfēcere, eumque ob virtutes singulares post quinque præturæ annum regem crearunt Olympiadis *cxxvii* anno *iii*, urbis Romæ *ccccclxxxiv*, periodi Iul. quater millesimo *ccccxliiv*, sexennio ante initium belli Punici primi inter Romanos & Carthaginenses gesti. Is Romanorum primum hostis propter Mamertinos, paulò post verò socius & fidus amicus quoad vixit, regnum tenuit per annos integros *liv*. Vitâ decessit Olympiadis *cxli* anno *i*, periodi Iulianæ quater millesimo *ccccxcxlix*, urbis Romæ *dxxxix*. T. Sempronio Graccho. Q. Fabio Maximo *iii* cons. belli Punici *ix* anno quarto. Successorem sibi esse voluit Hieronymum ex filio Gelone prædefuncto nepotem adolescentem vitiis diffluentem. Sed is eodem illo adhuc fluente anno bonis omnibus invisum se cum fecisset, foedusque cum Pœnis contra Romanos iniisset, à conjuratis oppressus in urbe Leontinâ vitam cum regno amisit. Quo facto tam avidè à Syracusanis repetita libertas, ut ad abolendam tyrannidis memoriam, & radices penitus evellendas ex decreto tota tyranni domus sit trucidata. Sed mox tumultibus omnia turbata, causâque Romanis data, arma contra Syracusanos M. Marcello duce sumendi: expugnatæque Syracusæ in potestatem Romanorem venire anno periodi Iul. quater millesimo quingentesimo secundo, urbis Romæ *dxxlii*, belli Punici secundi *vii* Ap. Claudio, Q. Fulvio Cons. A quo tempore urbs hæc nobilissima & amplissima cum totâ Sicilia acceptâ provinciæ formâ Romanis paruit per annos *dclxxxviii*. Ab hac occupatione Syracusarum ad initium Gelonis in eadem urbe anni fluxere *dccccclxxxiii*, ad urbem ab Archiâ Corinthio occupatam, & coloniam Doricam ibi positam *mccxxxiv*. Anno autem Christi *ccccclxxvii*, qui concurrat cum anno jam dicto *dclxxxviii*, quo Sicilia desiit esse in potestate Romanorum, eadem tributo aliquandiu vexata à Wandalis, in fidem venit Odoacri Rugii, Italiae regis, & post eum unâ cum Italia occupata est à Theodorico Ostgothorum rege anno Christi *ccccxciii*: mansitque sub imperio ejus ac filia Amalasanthe & Theodohati usque ad annum æræ Christianæ *dxxxv*, quo per Iustiniani imp. ducem Belisarium Gotthis erepta & imperio Romano restituta est. Et licet Totilas penultimus Gotthicae gentis in Italia rex bello eandem repetierit, & vastando ac diripiendo graviter afflixerit, tamen re non confectâ inde recedere necessum habuit: quod factum anno Christiano *dxxlix* & *dl*.

Atque

Atque ita reversa quidem ad priores dominos suos Romanos, sed Saraceno-
 norum vexationibus perpetuis deinceps obnoxia fuit, ex quo illi mariti-
 ma omnia ad mare mediterraneum infestare, & fœdare ceperunt, donec
 tandem imperante in Oriente Michaele Balbo, in occidente Ludovico
 Pio circiter annum Servatoris nostri **DCCCXXIII** universa in eorum po-
 testatem concessit, exceptis Syracusis & Tauromenio: quarum Syracusæ
 quoque sub Basilio Macedone, Tauromenium sub filio ejus Leone ab iis
 captæ. Hoc modo sævæ ac spurcæ gentis servitio insula nobilissima op-
 pressa jacuit ad annum usque Christi **MIII**, quo à Georgio Maniace
 Græco; adjuto à Normannis primùm recepta, sed post aliquot annos fœdè
 rursus amissa est, præter Messanam. Fuitq; omninò etiam post hoc tem-
 pus varia Sicilia rerum vicissitudo & infelix conditio sub iisdem Sarace-
 nis usque ad Normannorum imperium Saracenis expulsis firmius illie
 constitutum. Quod ad eam ætatem, quâ Lotharius Saxo in Germania
 & Italiâ imperavit, pertinet. De quo speciatim dicturus sum inferius, ubi
 de regno Siciliae ad præsens sæculum permanente agetur.

TEMPORA AGRIGENTINORVM.

IN eadem Sicilia post Syracusas maxima, splendidissima, ditissima, &
 luxu planè diffuens fuit olim civitas Agrigentum, paulum recedens ab
 insulæ litore meridionali, condita à Gelois vicinis, autoribus Aristone &
 Pystilo circiter Olympiadis **XLIX** annū **IV**, urbis Romæ conditæ **CLXXII**,
 regnante apud Romanos Tarquinio Prisco, post Syracusarum initia anno
CLIII, post Gelæ **CVIII**. Sita est ad Acraganta fl. unde Græcis Acragas
 fuit dicta. Origo conditorum Dorica, & instituta ejus ejusdem generis.
 Brevi ex parvâ adolevit in maximam, tota negotiationibus dedita, rep-
 utens liberâ non populari, sed aristocraticâ. Eam primus omnium Phal-
 laris oppressit è Cretâ oriundus civitate Astyphalide, patre Laodamante,
 patriâ profugus ob suspicionem affectatâ apud suos tyrannidis. In tem-
 pore, quo hoc factum, fluctuant scriptores. In eo tamen ferè consen-
 tiunt, cum Pisistrato Atheniensi, & cum septem Græciæ sapientibus cum
 vixisse, & Cyri Persarum regis tempora attigisse, licet nonnulli tyranni-
 dem ejus in ætatem Pythagoræ Philosophi, & regnum Tarquinii Superbi,
 quod ad tempus Cambylis, & Darii Hystalpis quadrat, conjiciant. **Qui**
 cum per annos **XVI** crudeli tyrannide defunctus esset, instigante Zenone
 Eleato, quem sævis cruciatibus tortum mori cogebat, duce Telemacho
 à populo trucidatus est, & instaurata libertas. In hac perstitisse perhi-
 bent Agrigentinos per annos circiter **CL** ad Theronem Ænesidemi fili-
 um, Gelonis Syracusani socerum, temporibus Xerxis in Persia regnantis,
 & Græciam invadentis æqualem, qui cum Gelone genero Amilcarem Pœ-
 num ad Himeram evertit cum omni exercitu, eodem anno & die, quo
 Xerxæ classis ab Atheniensibus & cæteris Græcis superata ac destructa est
 ad Salaminem, ut in rebus Syracusanis est dictum. Hic Theron, cum
 jam ingens incrementum civitas post eadem Phalaridis cepisset, se do-
 minum ei imposuit; cæteroqui vir optimus à Pindaro poëta celebra-
 tus, Telemachi istius, quo duce populus Phalaridem occiderat, abne-
 pos, Thebanâ stirpe ex Oedipo oriundus. **Qui** Pœnis ad Himeram supe-
 ratis fructum victoriæ ejus longè maximè vertit ad augendam & ornandam
 urbem Agrigentinam, eamque reddidit operum novorum multitudine,
 magnitudine, splendore planè admirabilem. Dominatum tenuit, ut ple-
 riq; volunt, annos **XVI**. Sed moriens filium hæredem reliquit Thrasydem
 sui

sui dissimillimum, ingenio ferum & crudelem: quem ob intolerabiles mores ac savitiam, Hieronis Syracusani ope adjuti cives urbe ejecerunt: eoque everso, & cum Syracusanis re composita in libertatem se rursus vindicarunt. Quam durante bello Attico pressa est Sicilia: eoq; finito, post annos paucos, Olympiade nimirum *xcii* vergente, Pæni conflatâ maximâ classe, maximo exercitu, duce Annibale, Amilcaris ad Himeram cæsi nepote, Siciliam eandem invasere consilia coquentes totius insulæ tandem subigendæ, intraque vertentem annum urbes primarias duas Selinuntem & Himeram bello captas delerunt funditus. Deinde Olympiadis *xciii* anno *iii* iidem eodẽ Annibale duce cum collegâ Himilcone in insulam reverfi Agrigentum, quod tum apicem fortunæ tenebat, opibus diffluens, ducentis milibus virorum, ut prodit Diodorus, habitatum, post obsidionem diuturnam desertum à civibus ceperunt, diripuerunt, vastarunt, penè ut pro exciso haberetur. Edificiorum parti partem à victoribus hybernorum causâ, & ut loco uterentur velut arce in usum belli reliqui. Atque hæc prima fuit urbis captivitas & direptio hostilis à tempore ejus conditæ: quæ antecessit anno uno & mensib. aliquot initium tyrannidis Dionysii majoris apud Syracusanos, & finem belli Peloponnesiaci cum captis à Lyfandro Athenis, cum stetit ipsa urbs à principio sui annos plus minus *clxxxiii*. Hinc per annos ferè *lxxvii* neglecta jacuit, vix urbis faciem præ se ferens, ad tempus scilicet, quo à Timoleonte post Dionysium *ii* in exilium ad Corinthios missum, & illustrem victoriam contra Pænos partam, Siciliamque tyrannis liberatam refecta, & novis colonis, quos Buræ & Helices casus in Achaiâ novas sedes quærere coegerat, ibi collocatis aucta culturaque fuit paulò antè mortem Philippi Macedonis, & initium Alexandri Magni. Sic alas movere rursus cepit, & sine clade aliquâ majore pervenit ad ultima Agathoclis tempora, quibus in manus Pænorum recidit, qui eâ præfidiis suis occupatâ ad belli oportunitates usi sunt non solum contra Agathoclem, sed etiam post hunc eversum contra Romanos initio belli Punici primi. Ejus verò belli anno tertio, qui erat urbis Romæ *ccccxcii*, periodi Jul. quater millesimus *cccclii*, Consulib. L. Posthumio, Q. Mamilio, expulsis Pænis à Romanis fuit occupata, & in arcem incommoda perpeffa, dum Romani & Pæni armis inter se variante fortunâ contendunt, mansit tamen incolumis, & cum reliqua Sicilia demum submotis Pænis, & Hieronymo ultimo rege sublato in Populi Romani ditionem concessit, plus opum & fortunæ retinens quam ulla reliquarum urbium toto illo Austrino latere. Sensim verò deficiens consenuit sub Romano imperio, reliquæque tandem, vix jam nomen urbis tuentes à sede vetustâ translatae sunt in collem vicinum nomine non mutato, ubi etiam nunc domicilium præbet episcopo, & caput est diæceseos opimæ latæque patentis. Quando autem & vetus urbs deserta deletaq; , cujus jam vix rudera conspicias, & nova in colle extructa sit, hodie ignotum etiam ipsis indigenis est. Hoc tantum verosimile dicere habemus, vastationem Saracenis deberi, instaurationem ad Normannos Siciliæ dominos pertinere.

TEMPORA MESSANENSIVM.

Messanæ quoq; & celebre nomen & varia fortuna in Sicilia fuit. Initiũ ejus conjicit Eusebius in atatè Jacobi in Palæstina degentis & Ogygis in Atticâ regnantis: quam verè dicere non possumus: imo suspectam vetustatem tantam non immeritò habemus. Dicta primũ Zancle fuit ex form
 Q
 portus

portus, cui castellum à primis conditoribus Siculis piraticam facitanti-
bus structum assidebat. Is enim falcis in modum, quam Zanclen veteres
Siculi, *δέπρων* Græci dicebant, curvabatur. Siculos Cumani Eubœ-
enses & ipsi prædones feruntur expulisse, & locum majoribus operibus mu-
nitū tenuisse, & his junxisse se paulò post etiam multos ex Chalcide Euboi-
câ, & ex locis vicinis. Erat verò è regione Zanclen trans fretum in ultimâ
Italiae orâ oppidum, quod Rhegium Brutiorum fuit dictum, à Siculis Ita-
licis habitatum. Hujus occupandi desiderio Zanclæi plures Chalcidenses,
& cum his Messenios domi à Spartanis pressos evocarunt, & per eos extur-
batis Siculis ceperunt. Tum statutum traditur, ne Rheginorum principes
aliunde quàm ex Messeniis Peloponneso oriundis legerentur. Crevere
deinde Zanclæi, ut condendis etiam coloniis in Siciliâ sufficerent. Deinde
post longum intervallum circiter Olympiadem LXXI cum Iones in Asia
litore Persarum armis afflicti, novis sedibus quærendis essent intenti, frau-
de Anaxilæ Rheginorum principis è stirpe Messeniâ, in istas oras vocari
consilio magis quam vi volente Anaxilâ Zanclen occuparunt. Et hos vi-
cissim ipse Anaxilas, qui eos vocarat & adjuverat, post decennium dolo cir-
cumventos exturbavit, oppidumq; operâ Messeniorum gentilium suorum,
quos è Peloponneso in hunc usum exciverat, oppidum funditus excidit, &
novum aliud vix M. pass. inde distans extruxit, quod ab iisdem gentilib.
suis, quibus habitandum id dedit, Messenam appellari voluit, atqui ipse
regiam quoque suam Rhegio Messenam transtulit, & virtute ac prudentiâ
brevis tempore ex parvis initiis urbem magnam & felicem effecit. Fuit
verò Anaxilas Geloni Syracusano, & Theroni Agrigentino coætaneus, à
quibus cladem accepit ad Himeram. Eo mortuo, cum post excussam Me-
cythi tutelam, liberi ejus insolentius agerent, à populo irritato civitate sunt
ejecti. Populus damnatâ tyrannide libertatem sumpsit: quam cum Dio-
nyssi junioris tempore Hippon oppressisset, Timoleon Corinthius Sici-
liæ statum restituens pulsus passim tyrannis eandem illi reddidit. Exin-
de floruit rursus Messene, quam Doricâ dialecto Messanam tum potius
appellabant; donec non diu ante bellum Punicum primum Mamertini
genus hominum barbarum & infidum, (Polybius Campanos origine fuisse
significat,) nescio quo casu, quave occasione in urbem dudum à civibus
recepti, cum opportunum viderent, ipsos cives Messanenses urbe ejece-
runt, urbem ipsi possederunt, & novo nomine Mamertum dixerunt. Quos
cum auxilia rogati à Messanensib. Hieron Syracusanus & Carthaginenses,
ut homines sceleratos & detestabiles oppugnarent, & Romani supplici-
bus Mamertinis opem ferrent, constat bellum Punicum gravissimum
inter duas civitates potentissimas, æmulatione mutuâ incitatas. Vtroque
bello Punico fervente confectoque constans in fide Romanâ urbs Messa-
nensis (id enim vocabulum ei usus reddidit) perstitit, belloque civili, quo
universa Sicilia conflagravit, hac fide suâ immunitatem vectigalium me-
ruit. Nec post Panormum ulla Siciliae civitas plus pristinae fortunæ
usque ad hæc tempora conservavit. Sola autem Panormitana post ex-
pulsos Saracenos sedes regum Siciliae facta non solum non minuit fortunam,
quam florentibus olim rebus Siculis ante Romanum imperium ha-
buit, sed reddidit etiam amplio rem.

SARDORVM TEMPORA.

Siciliæ proxima in mari Tusco Sardinia est insula quoq; inges, sed Sicilia
minor, & incultior: Ichnusa quondâ vocitata à figurâ pedis humani, quâ
repretere

repræsentat. Prisci incolæ Hetrusci generis fuisse putantur. Ad hos ferunt Herculis liberos nonnullos duce Iolao patruelæ, Iphicli filio, venisse, & cum iis, aut mox post eos Locrensi quosdam, & quosdam Ilicensium, & hos cum prioribus habitasse: omnes communi nomine Sardos à Sardo quodam deinceps esse dictos, & fuisse moribus feris, maximè verò eos, qui partem insulæ tenebant montosam, & asperam, qui cum domi agrum infelicem non colerent, rapto olim vivebant; reliquos paulò mansuetiores, & cultiores, eosque castella atque oppida quoque incoluisse. Fuere Sardi diu sui juris, ac liberi. Deinde infestati sunt à Pœnis ac oppressi, cum illi latè in mari mediterraneo dominarentur. Postea à Romanis quoque Pœnorum hostibus appetiti, & demum subiecti duce T. Manlio Torquato anno urbis Romæ DXIX eodem Torquato, & C. Atilio Bulbo II Coss. periodi Jul. quater millesimo, CCCCLXXIX, Olympiadis CXXXVI anno I aut II formam provinciæ accepere. Et quanquam obsequii onerumque impatientes (frumentum enim Romanis dare cogebantur) aliquoties se rursus commoverint, semper tamen victi rursus, compressique tandem quievêre. Idem mansere in obsequio Romanorum, uti Sicilia & cetera ejus maris insulæ, usque ad Saracenos commotos, qui Sardiniam sæpè vexatam direptamque demum in potestatem suam redegerunt, & popularibus suis repleverunt. Qui cum eam per aliquot sæcula possedissent, à Pisanis tandem oppugnati, & bonâ insulæ parte exuti, circiter annum Christi MCCXX, postremò ab Aragonensibus, Hispanis post varios belli labores totâ insulâ pulsi, aut servitutis jugum accipere coacti sunt. Quod factum puto circiter annum Christi MCCCXIV. A quo tempore Sardinia Aragonum regibus paruit, & post aliquot annos regio quoque axiomaticè ornata fuit: nec unquam deinceps ab Aragonum domo regiâ recessit.

CORSORVM TEMPORA.

SARDINIÆ penè cohæret altera Tusci maris insula Corsica exiguo solum freto à promontorio ejus boreo dirempta, ipsa in eandem plagam boream consurgens, Ligustico littori objecta: quam Cyrnum Græci appellarunt. Solum ejus ut plurimum frugibus non satis benignum aut cultus patiens collibus asperis obsitum. Primi, qui eam habitarunt, Ligures fuisse traduntur, ex orâ maritimâ istuc profecti, homines barbari & inculti. Eo tamen venisse Phocenses ex Asiâ circiter Cyri initia, & coloniam ibi condidisse Alalam, & cum indigenis habitasse Herodotus nos docet: & ad hos colonos suos, Phocenses alios Persarum servitutem fugientes eodem sæculo, regnante adhuc Cyro, concessisse, sed post quinquennium ab hoc posteriore adventu post infelicem pugnam navalem contra Tyrrenos seu Tuscos, & Carthaginenses commissam ex insula excessisse & in Rhegium commigrasse idem testatur Herodotus. Alii addunt ab iisdem profugis Phocensibus Massiliam in Galliæ litore vicino tunc fuisse conditam. Nec dubium est, quin à Carthaginensibus & Hetruscis priscis temporibus sæpè vim passi sint Corsi, priusquam à Romanis appeterentur. Ab his autè bello primum petiti & imperio subiecti sunt anno urbis Romæ DXVIII, periodi Jul. quater millesimo CCCCLXXVIII C. Licinio Varo, P. Corn. Lentulo Coss. Iugi autem impatientes homines asperi projecto obsequio denuò, & tertio victi ac prorsus fracti provinciæ leges accepere quinto anno post consules jam dictos: additiq; Sardis nuper adeò subactis unâ cum iis provinciâ fecere. Romani domitos sensim traduxere ad mores mansuetiores & cultû molliorem: & per vicos raraq; castella ante sparsos oppidis quoq;

& coloniis suis ornarunt: quibus Corfi parvère per annos plus minus
DCCCL. Post quos evolutos Saracenorum jugum cum vastitate & barba-
rie subiére. Saracenos demum cum insulam pessundedissent per annos cir-
citer CCCXC Genuenses expulerunt, & eandem suo imperio subdiderunt:
cui etiam nunc objacet.

TEMPORA ILLYRIORVM.

Illyrii, quib. Dardani & Dalmatae juncti fuere, ea loca antiquitus tenuere,
quae Macedoniae veteri, & Thraciae ad occidentem posita usque in mare
Adriaticum & Germaniae partem ab Epiro ad Istrum fluvium porriguntur.
Vnde pars eorum Istri vel Istrum quoque dicti. Vetustissima eorum ab Illyrio
Polyphemo & filiis ejus deducta non obscura solum sunt, sed & fabulosa, ra-
risque literis consignata. Prima, quae fidem certam merentur, & temporibus certis
signata sunt, sunt ea, quae Thucydides aetate sua acta notavit pertinentia ad
Epidamnios Olympiade 1XXXV, & fervente jam bello Peloponnesiaco, anno
ejus IX fluente, cum Illyrii Arribaeo Epirotae militantes contra Brasidam
Lacedaemonium & Perdicae Macedonem dimicarunt Olympiadis 1XXXIX
anno II, qui alter erat annus Darii Nothi imperantis in Persia. Deinde
Philippus Macedoniae rex Alexandri parens altero anno regni sui, qui cum
Olympiadis CV anno II decurrebat, augendi regni sui causa Illyrios vici-
nos bello invasit, victoque rege Bardilide magna eorum stragem edidit, denique
rursus in eos arma vertit, victoriamque retulit Olympiadis CVI anno primo,
ac denuo post annos XII iterato bello eos vicit Olympiadis CIX anno I,
atque his victoriis regnum suum prolatis veteribus finibus haud parum dilatavit.
Post hunc Alexander filius bellorum quoque suorum initium ab Illyriis iisdem
fecit, & sequentes Macedoniae reges, (ut & Epirotae) saepe arma contra eos
tulerunt. Interim & Romani injuriis irritati gentis hujus parte bello perie-
runt anno urbis Romae DXXXV. Cn. Fulvio & L. Posthumio Albino consu-
lib, anno XIII post finitum inter Romanos & Carthaginenses bellum Pu-
nicum primum cum Illyriorum rex Agron Pleurati filius nuper obiisset, &
uxor ejus vidua Teuta pro filio defuncti Pineo rebus praesesset, & nobili vi-
ctoriam potiti magna parte Illyrici Pineum cum Teuta submoverunt, ac pen-
dendo annuo tributo obnoxium fecerunt. Hoc rerum Romanarum initi-
um in Illyrico. Post annos VII rursus ab iisdem arma contra Istros Illy-
rios, annoque proximo contra Pharios & regem eorum Demetrium arma mo-
ta, ac victoria parta. Iterumque finito jam dudum bello Punico II bellum
Istrum renatum, ac per aliquot annos gestum, & demum Istris perdomitis
anno urbis Romae DLXXVII absolutum. Rursus autem post annos IX
Gentius Pleurati filius ob socia arma cum Perseo Macedoniae rege junctus
ab exercitu Romano duce L. Anicio oppugnatus, & spatio dierum XXX cum
regno in potestate redactus est. Quae Romanorum fortuna territi Illyrii alii
se populo Romano permiserunt. Illyrico forma provinciae data. Post quod
tempus arma aliquoties resumpta. Demum a C. Caesare Dict. duce Vatinius
Dalmatae confusi, ab Octaviano autem Augusto prorsus subacti, totumque bel-
lum Illyricum denuo consumatum anno urbis Romae DCCXIX, periodi Jul. qua-
ter millesimo DCCXIX, L. Cornificio, S. Pompejo, qui eo anno periit, Consul-
ibus. Erat is annus CXCIV post initium armorum a Romanis contra Illyrios
sumptorum. Deinceps Illyricum inter nobilissimas provincias Romanas sub
imperatoribus numeratum fuit: diu quoque sub ejus nomine proximae aliquot
provinciae comprehensae. Postremo Mauricio Cappadoce imperatore peregrina
gens originis Sarmaticae, qui se Slavos & Slavinos ac Antas dixerunt nuper
primum Istrum transgressa in Illyricum se infudit, & indigenis Illyriis oppressis
regionem

regionem omnem occupavit, & Slavoniam ex se nominavit: cujus mores, instituta, sermo, sanguis ab indigenis planè diversa, eadem verò cum Russis, Polonis, Bohemis & ceteris Henetis. Quæ gens etiam nunc sedem illi retinet partim Austriacæ domui, partim Venetis præcipuè in orâ maritimâ, maximâ verò parte Turcis paret. Tempus à Dalmatis ab Octaviano Augusto debellatis ad mortem Mauricij imperatoris est annorum DCXXXVI. Inde ad nos anni numerantur MLV.

LIBRI QVINTI

PARS ALTERA.

TEMPORA VETERVM CELTARVM SEV GALLORVM.

CELTARVM veterum nomine olim Germanos quoque fuisse comprehensos multi autores boni existimant. Eorum res per antiquas esse, inter omnes constat. Docent hoc cum alia multa, tum quod Livius tradit libro V, Tarquinio Prisco Romæ regnante Biturigum opes totius Galliæ maximas fuisse: eos regem universo Cælico tum dedisse. Ambivaritum: & hunc propter exundantem gentis sobolem colonos in alias terras emisisse ducibus duobus, fororis suæ filiis Belloveso & Sigoveso: quorum priorem trans Alpes in Italiam aut contendisse, & sede ibidem positâ Mediolanum condidisse, alterum in Hercyneos saltus jubente sorte ivisse: postea frequentes migrationes populorum ex Gallia in Italiam esse factas, & bonam Italiæ partem ab iis populis occupatam habitatamque: & denique urbem Romam quoque à Gallis Senonibus duce Brenno captam & vastatam. Alii deinde Celtæ ad exonerandam domi multitudinem emissi per Illyricum, Macedoniam & Græciam cædibus & direptionibus affixerunt, & demum in Asiam se effuderunt, positisque ibi sedibus inter Paphlagenas Galatiæ nomen regioni dederunt: ipsi Galatæ aut Galli sunt nuncupati. Qui in patriâ præcâ manserunt, in varios populos divisi, per principes, quos reges Romani vocabant, & concilia procerum remp. administrarunt, à libertate non recedentes. Principes enim legibus subiecti erant, ac sine concilii consensu nihil poterant. Horum Gallorum primos in regione Transalpinâ, qui secundum mare mediterraneum porriguntur, Salyas, Vocontios, Allobrogas eorumque vicinos pro sociis Massyliensibus Romani bello aggressi sunt circiter annum urbis Romæ DCXXXIX quinquennioque oppugnatos imperio suo subjecerunt. Cæteros omnes C. Cæsar anno Romæ conditæ DCXCVI L. Pisone, A. Gabinio consulibus, armis adortus novenni

venni bello difficili fractos in provinciæ formam tandem redegit. Mansitque in potestate Romanorum Transalpina Gallia, usque ad influxum barbararum gentium, Gothorum, Francorum, Burgundionum, & aliorum: cujus initium factum tempore filiorum Theodosij Magni imperatoris paulo post annum æræ Christianæ cccc. Ab hoc verò anno sursum eundo ad Galliam à C. Cæsare perdomitam & novennis belli finem, anni numerantur cccclviii; ad Bracchatam autem aut Narbonensem subjugatam dcxxiv, ad initium regni Tarquinii Prisci, sub quo Galli colonos in Italiam miserunt, mxxiv.

TEMPORA FRANCORVM IN
EADEM GALLIA.

Post Romanos latè in Galliâ dominati sunt Franci, gens Germanica: cujus pars Rhenum transgressâ Treviros primùm occupavit: deinde plures longius profecti apud Sequanam fl. confederunt, paulatimque aucti numero latius se per intima Galliæ diffuderunt. Primum regem eorum Pharamundum aut Waremûdum memorant, Marcomiri filium, secundum Clodionè capillatum, tertium Merovæum, à quo sequentes reges ejusdem stirpis Merovingii dicti sunt, quartum Childericum, quintum Clodovæum, qui primus regum Francicorû Christo nomen dedit, & exemplo ejus multo plurimi è populo. Treviri feruntur occupati anno Christiano cccciv. Pharamundus in Germaniâ regnum incepit anno ccccxx: Clodio ccccxxxi, Merovæus ccccxlix, qui anno regni quinto, qui erat æræ Christianæ ccccliii, cum Actio duce Romano, & aliis sociis in campis Catalaunicis cõtra Attilam Hunnorû regè decertavit, Childericus cccclix, Clodovæus cccclxxxv, idemq; Christianismo initiatus cccxcix. Mansitq; deinceps regium ἀξίωμα apud hujus & avi Merovæi posteros ad annum usq; Christi dccli, quo Childericus rex xxi istius prosapiæ ob ignaviam regno exautoratus, & ejus loco Pipinus Caroli Martelli filius ex familiâ aliâ rex creatus fuit; pater Caroli Magni, qui ei successit, à quo nova hæc regum familia Carolina, aut Carolovingia à multis est appellata, celebrior priore ob magnitudinem rerum gestarum, & opes ingentes armis paratas. Atque hæc familia in sceptro mansit ad initium Hugonis Capeti originis Saxonica, sed in Gallia inter Francos nati & educati, ubi & parens & avus & proavus abavusq; in magnis opibus fuerant, & summos honores gesserat. Is verò rex coronatus est anno æræ nostræ Christianæ dcccclxxxviii, propagator familiæ tertiæ regum Franciæ, quæ deinceps nunquam interruptâ serie pervenit ad nos, regnumque adhuc tenet. Duravit igitur hoc Francorum regnum à principio Pharamundi regis primi, ad initium Pipini annos cccxxxix, inde ad Hugonem Capetum cccxxxvii, ab initio Hugonis Capeti ad præsens hoc tempus dcxxviii, in universum à sceptro ad Pharamundum delato ad nos mxcvi.

TEMPORA WESTGOTTORVM POST QUAM
INGRESSI SVNT PROVINCIAS
ROMANORVM.

Westgotti rege Athanarico bellum cæperunt gerere contra imp. Valentem anno Christi cccclxviii: ducib. Alavivo & Fritigerno Istrum transeunt permittente Valente anno cccclxxvi, & altero anno post in Thraciâ Valentem occidunt: duce Alarico ex Thracia in Macedoniam & Græciam irrumpunt sub Arcadio imp. anno cccxcv: inde longius progredi-

progrediuntur proximo triennio. Deinde Alarico rege creato in Italiam veniunt anno cccc1, sed saepius victi à Stilicone Honorii imp. duce in Epirum recedunt. Verùm à morte Stiliconis redeunt in Italiam auspiciis ejusdem Alarici, & Romam ipsam, caput imperii, bis occuparunt, anno scilicet ccccix, & ccccx, & anno sequente in Calabria Alaricus moritur. Hunc excepit Athaulfus affinis, & Honorij imperatoris sorore Placidia uxore ducta ex foedere concessit in Galliam Narbonensem, & paulò post pace turbata victus cogitur cedere in Hispaniam. Post hunc à Gotthis occisum Sigericus, & post Sigericum similiter necatum Waltia factus rex Gallie & Hispania partem possedit, successoremque Theodoricum habuit, in praelio Catalaunensi contra Attilam absumptum, hærede relicto filio Thorismundo anno Christi ccccli. Cui successor datus Theodoricus II, Sidonio Apollinari laudatus, cum fuisset annus ccccliv. A quo reliqui Aquitaniae & proximae Hispaniae reges ad finem Amalarici, qui à Theodeberto Francorum rege eversus periit anno Christi dxxxiii. Is finis regni Westgottorum in ea Galliae parte. Sed in Hispania regnum rapuit Theudes vivo adhuc Amalarico, cui adolescenti curator datus erat ab avo materno Theodorico Ostgotto Italiae rege, & transmisit ad successores Westgottos longam seriem sequentes ad postremum Rodericum, quem XXI à Theude Mauri Mahometani à Juliano Comite evocati ex Africa vicinam regno & vitam exuerunt anno Christi dccxiii, regnumque id sibi vindicarunt, post Alarici in Italiam adventum anno cccxiii, post Athaulfum in Galliam transeuntem, & Narbone sedem regni ponentem cccii, post Theuden regnum Hispanicum invadentem clxxxviii. Post aliquot deinde annos Westgotti Maurorum tyrannide pressi, animis & viribus collectis, excusso Maurorum jugo hic illic in libertatem se vindicarunt, & multa regna minora in Hispaniam constituerunt: quorum praecipua Aragonense, Navarrenum, Legionis, Castellae veteris & novae, Portugalliae, Cataloniae reges suos è Gottico sanguine ortos per multa saecula retinere, diutissime verò Aragonicum & Castellanicum, in quibus ejus stirpis reges cum utroque avo Caroli v primum ceperunt deficere. Nunc regna omnia sub regibus originis Austriacae & Germanicae in unum rursum conflata sunt.

TEMPORA WANDALORVM IN
AFRICA REGNANTIVM.

Gondigiflus rex Wandalorum relicta patria cum exercitu suorum ad Rhenum accessit, & trajecto fluvio in Galliam penetravit anno Christi cccv1, eaque provinciam graviter afflictam victus à Francis, una cum Suis & Alanis, quos secum ducebat, hinc in Hispaniam ulteriorem se contulit, ibique confedit. Successorem habuit filium Gundericum. Ex quo & concubinam natus Gensericus, vocante Bonifacio duce Romano, ex Hispania trajecit in Mauritaniam anno Christi cccxxvii: deinde invito Bonifacio Numidiam & Africam invadit, & Hippone urbe longam obsidione fractam, in quam tum docebat Augustinus sanctissimus episcopus, tandemque in potestate redactam, mortuo jam Augustino, dein pace initam & aliquandiu servatam imp. Valentiniano, anno aerae Christianae cccxxxix Carthaginem metropolim Africae occupavit, ac pro sede regni sui habuit. Post, anno cccclv rogatus ab Eudoxia Augusta Romam quoque venit, & diripuit, Eudoxiam abduxit, filioque uxorem dedit: demum multis aliis turbatis ac gestis anno cccclxxviii mortuus Honoricum filium successorem reliquit. Eum Gundamundus, Gundamundum Trasamundus, hunc Hildericus, Hildericum

Q iij

Gilimer

Gilimer ultimus excepit. Ille à Bellifario auspiciis Iustiniani imp. victus captusque, & Constantinopolim abductus finem regno Vandalico in Africa imposuit, anno æræ nostræ DXXXIV, cum regnatum illic esset post occupatam à Genferico Carthaginem annos quasi xcv, post ejusdem Genferici adventum in Mauritaniam cvii.

*TEMPORA OSTGOTTORVM
IN ITALIA.*

Ostgotti anno Christi cccclv. ducibus tribus fratrib. Valemiro, Vinde-miro, Theodemiro, in Pannoniam venerant: inde post annos xxxv non invito Zenone imp. duce Theodorico Theodemiri filio in Italiã transgressi sunt. Tum Odoacro Herulo debellato Theodoricus rex Italiæ factus, anno Ch. ccccxciii, optimus princeps, sed religione Arianus. Cui mortuo successit Amalafuenta filia fœmina admirabilis cum nepote Athalarico ex ea nato; & post mortem Athalarici in regnum assumptus Theodahatus Amalafuentæ maritus ipsam interemit. Eo mortuo Vitigis regum iniit, & post Vitigem Ildobaldus, post hunc Araricus, uterque intra biennium consumptus. Tum Totilas maximis rebus gestis clarus, bis Romam capit; vulneratus, in prælio contra Narsetem ex vulnere obiit anno dlvii. Demum Teias Totilæ successus eodem anno in pugna interemptus, & cum eo regnum Gottorum in Italia deletum, quod duravit ab initio Theodorici, & fine Odoacri Rugii annos tantum lix.

*TEMPORA LONGOBARDORVM
IN ITALIA.*

Anno Christi dlxx post casum Tejæ decimo octavo Alboinus Longobardus è Pannonia veniens in Italiam descendit, & regnum illic sibi constituit, cujus sedes Ticinum. Post quem regnavit Clepho; post Clephonem regno præfuerunt xxx duces per annos xx. quibus annis finitum regnum paternum iniit Autharis Clephone natus, primus Christianismo imbutus. Atque cum longa rerum series ejusdem gentis secuta fuit: quorum ultimus Desiderius à Carolo Magno Francorum rege debellatus, anno æræ nostræ dcclxxiiii regno huic Longobardico finem dedit, cum stetit ab Alboini in Italiam adventu, & Ticino occupato annos cciv. A quo tempore ibidem regnatum à Francis, Italis, Saxonibus aliisque Germanis per aliquot sæcula, & regnum non Longobardiarum sed Italiæ appellatum, quod qui inibant, Medoetiæ & Mediolani solenni ritu coronabantur.

*TEMPORA MAHOMETISTARVM
IN ORIENTE.*

MAhometh *ψευδοπροφήτης* factus est dux Arabum Scenitarum sive Saraccenorum anno æræ Christianæ vulgaris dcxxxii, decennio antequam Ormisdam Iezdegirdem ultimum Persarum regem opprimeret: quo anno dcxxxii, qui cum xii Heraclii imp. concurrat, à die xvi mensis Julii principium ducit Hegira Mahometica, id est æra Saraccenorum. Mahometi successere in principatu illo per ordinem alii numero xviii, quorum non pauci brevi admodum tempore rerum sunt potiti. Postremus Mahometh Abubala imperium hoc finiit anno æræ Christianæ dcclvii.

DCCCLVII, ab initio Mahomethis pseudoprophetae, & Hegiræ Saracenicæ **EXXXV**: quod tempus incidit in regnum Pipini regis Francorum, parentis Caroli Magni. De his quoque dictum nobis est, cum de temporibus Persarum ageremus.

*TEMPORA CALIPHARVM IN BAGDED VEL
BABYLONE, ET IN DAMASCO.*

IDEM Mahometes pseudopropheta successores etiam Caliphas habuit in iis partibus, numero **XVII**: quorum ultimus Marwan hujus nominis tertius dignitate & imperio exutus, atque in Ægypto interfectus est ab Abasidæ, quorum princeps erat Abul Abas. Factum id anno æræ Christianæ **DCCCLIX**, ab initio Mahomethis *Ψευδοπροφήτης*, & Hegiræ Saracenicæ **EXXII**. Ab eo tempore Abasidæ *أباصية* Caliphatus tenuere usque ad annum æræ Christianæ **DCCCLXVIII** per annos totos **CXIX**. Tum verò Caliphatus divisus in Babylonium, & Ægyptium; fuitque Calipharum utrobique longa series. Quorum ultimus in Bagded, id est, Babylonius, interemptus est ab Halacho Tartaro, qui Bagded cepit, circiter annum Christi **MCCCLVII**, imperante in Germania Friderico **II**.

*TEMPORA REGVM LEGIONIS ET
CASTELLAE IN HISPANIA.*

Hispanica bellis Romanis in eâ regione gestis antiquiora obscura, & temporibus parum certa sunt. Romani in Hispaniâ belligerare ceperunt contra Carthaginenses tempore belli Punici **II** missis illuc cum exercitu ducibus duobus Scipionibus Africani patre & patruo, & post hos cæsos ipso eo, qui post Africanus est dictus. Dein varia illic bella ab iisdem gesta contra populos diversos per diversos duces. Demum Augustus Cæsar devictis Cantabris totam Hispaniam parere Romanis coegit. Mâsitque universa illa regio in potestate populi Romani usque ad Honorium imperio in occidente & Theodosium **II** in oriente præsidentes circiter annum Christi **CCCCIX**, cum Vandali, Alani, & Suevi in eam invaserunt, & occiduas ejus partes occuparunt rege Gunderico. Hos Gotti secuti post multa certamina sedes ibidem posuere, & regnum condidere complexum latas regiones citra ultraque Pyrenæos montes. Venere in Hispaniam duce Ataulfo Alarici successore, qui primus Romam cepit, & Barchinone in potestate redactâ ad annum Christi **CCCXXV**, paulatim longius sunt progressi, donec Genserico Vandalo in Africam transgresso, maximâ Hispaniæ partem suam fecere volentibus nolentibus Romanis. Habuerunt reges post Ataulfum, Sigericum, Walliam, Theodoricum principem pacis & belliaribus insignem ab Apollinari Sidonio celebratum, in pugna contra Attilam Hunnum interemptum, Thorismundum, Theodoricum **II** itidem à Sidonio laudatum, Euricum, Alaricum, Amalaricum, Theudem, aliosque longo ordine ad tempus, quo post Vitizæ & Rhoderici regum Goticorum tyrannidem, ob Rhoderici ejusdem libidines Saraceni in Africâ latè dominantibus à Juliano Comite invitati transmissio freto Herculis Hispaniam sunt ingressi, & res Gotorum oppressas in extremam angustiam redegerunt. Factum anno Christiano **DCCXIII** Philippico imperante in Thraciâ, post Gotorum primum in Hispaniâ infesti omnibus Christianis, & Galliæ mulceni rerum potiti in Hispaniâ infesti omnibus Christianis, & Galliæ multarum calamitatum autores, à Francis sæpe multis cladibus correpti, & ab ipsis

ipsis Gottis in Hispania rursus alas moventibus sensim attriti, tamen ex-terminari tot saeculis penitus ex eadem regione nunquam potuerunt quamquam imperium omne proavorum nostrorum memoriam Ferdinando & Isabella regibus amiserunt ante annos circiter cxxv, anno nimirum aerae Christianae mccccxcv exeunte. Primus ex Gottorum reliquiis opponere se Saracenis ausus fuit Pelagius Roderici patruus; ut plerique volunt, fretus asperis & montanis locis Asturiae & Galliciae vel Gallaciae locis, in qua cum manu magna popularium se receperat, multis munitionibus recuperatis regno Legionis (Legione enim oppido recepta illic sedem posuerat) initium dedit. Post quem Fasilla filius, & post hunc gener ipsius Alfonsus est stirpe Recaredi regis cognomento Catholicus, felicibus pugnis contra Saracenos commissis, Legionis regem se appellavit, regnumque cum tempore crescens ad posteros ex se genitos transmisit; quorum clarissimus fuit Alfonsus ii, quem castum vocarunt; Catholici nepos: qui res magnas contra Saracenos prosperè gessit per annos lxx, quibus regnum tenuit, idque multò amplius quam acceperat, successoribus suis reliquit, coaevus Caroli Magni Franciae regis. Successit ei sine prole defuncto Ramirus ex patruale ipsius Veremundo natus Catholicus pronepos, & Ramiro Ordonius filius, & Ordonio patri Alfonsus iii & ipse magnis rebus gestis & Saracenis saepe victis inclytus, sed domesticam crudelitatem in fratres infamissimè cepit regnare anno Christiano dcccclxxxiii; regnavit annos totos xli. Hunc excepere ordine filii tres Garzias, Ordonius, Friola: cujus postremi posteritas mascula in possessione regni Legionis mansit ad mortem usque Veremundi iii adnepotis. Quo sine liberis extincto, per sororis Sanctiae matrimonium regni potestas pervenit ad principem alienum ab hac domo regiam. Is fuit Ferdinandus Sanctii Navarrae regis (quod regnum Sanctius per conjugem Elviriam unicum optum Navarrae haredem acceperat) & simul Castellae Comitum filius, qui primus Legionis & Castellae regem sese nuncupavit, & utriusque domus opes possedit. Caput à morte Veremundi anno Christi mxxvii. Sceptum tenuit annos xli. Idem Navarrae quoque regnum, interempto per nefas fratre Garzia illic regnante, prioribus adjecit. Valentiam etiam sibi subiecit. Sed nec in eius familiam ultra Alfonsum filium istius nominis vi regnum duravit. Quippe Alfonso sine mascula sobole sublato, cum regnasset annos xliii, per filiam Viriacam nuptam Raimundo Burgundiae Comiti devolutum est in Alfonsum vii Viriacae & Raimundi filium, cujus tanta fuit in Hispania potentia, ut Hispaniae imperator sit nuncupatus. Hujus verò posteruli Legionensium & Castellanae rerum potiti sunt stemmate non mutato ad finem Henrici iv: cui soror Elizabeth, quod filia Ioanna spuria censebatur, successit, avia materna Caroli v Romanorum imper. nupta Ferdinando v Aragonum regi. Floruere in eadem domo post ipsum Alfonsum reges praecipua celebritate Ferdinandus ii filius sceptro potitus annos xxxi, Alfonsus viii, Septimi ex filio nepos, Ferdinandus iii victoriosus, qui Saracenos Hispali, Cordubâ, Vandalusiâ ejectos in angulum Beticæ inclusit, cujus caput Granata, in qua regni sedem Saraceni retinuerunt ad annum Christi mccccxcii incuntem. Tum celeberrimus Alfonsus x Astronomiae studio clarus, imperator Rom. à principibus electoribus in Germaniam designatus anno mclvi, à filio Sanctio autem revertens ex Germaniam regno exclusus. Alfonsus xi hujus pronepos Saracenis infestus annorum xl rex felix: cujus filius Henricus non legitimo toro natus legitimum fratrem Petrum crudelitate infamem regno exiit, necavitque. Henrici verò filius Ioannes maritus Eleonora Aragonicae filiorum suorum alteri

Sub hoc
Ferdinando
iii histo-
riam scrip-
sit Roderi-
cus praesul
Toletanus.

alteri Henrico III natu majori Castellæ, ac Legionis regnum reliquit: alterum minorem Ferdinandum fortuna iudicii Aragoniæ regem fecit. E quibus hic Alfonsum sapientem Aragoniæ & Neap. regem, & Ioannem fratris successorem in Hispaniâ, Ioannes Ferdinandum v Caroli v imp. avum maternum, ille Ioannem II, Ioannes II Henricum IV paulò ante memoratum Castellæ reges genuerunt. Duravit Castellæ & Legionis regnum in hac Burgundicâ stirpe à principio Alfonsi VII ad mortem Henrici IV per annos cccclxviii, ad obitum Elisabethæ ejusdem forogundiæ dux, & Belgicarum provinciarum princeps potentissimus successore. Ab his Carolus v, imperator Hispanica regna universa, & simul provincias Belgicas cum Comitatu Burgundiæ accepit, filioq; suo unico Philippo II, & hic moriens Philippo III ex se genito, qui nunc regnat, & ob provincias aliquot in Belgio amissas graviter dolet, reliquit. Ab adventu Gotorum in Hispaniam ad nos anni numerantur mcccii: A Pelagii initiis, qui primis Legionis rex fuit, capitque biennio post Rodericicum, anni dcccciii; ab Alfonsi Catholici principio ad principium Ferdinandi I Castellani, quo toto tempore regnum in unâ eademque domo Gotticâ mansit, anni cccxii. A Ferdinandi porrò primordio ad primordium Alfonsi VII, cum quo res Castellæ & Legionis devolutæ sunt per matrem ejus nuptam Raimundo Burgundo ad alienigenas è familiâ Burgundicâ, anni exière quasi lxxiii, si regni primordium capias, mox ab avi materni morte. Ab Alfonsi verò VII initio ad initium Philippi Austriaci regnum fuit penes peregrinos stirpis Burgundicæ per annos cccxcvii. Denique Austriaci in regni possessione usque ad præsens tempus durarunt annos cxii.

TEMPORA REGVM SVPRARBIAE ET ARAGONIAE IN HISPANIA.

HAud diu post exordium regni Legionensis, regnante adhuc Pelagio rege primo, circiter annum Christi dcccxxiv ortum in diversâ Hispaniæ parte Pyrænæis montibus vicinâ, quâ Vascones olim habitarunt, regnum alterum. Id regnum Suprarbiæ initio vocatum: cujus autor & rex primus Garfias quidam Eximini filius sanguine Gottico è Cantabriâ oriundus obiit anno Christi dccciviii regnumque filio Garfias II, cui Innici cognomen ex matre, reliquit: qui cum Pompelonem urbem Vasconia nobilem (ea Pompeiolis quondam fuit) à Mauris cepisset, ex ea Pompelonensis quoque, ut & Suprarbiensis audiit. Sed Pompelonem diu retinere non potuit occupatam rursus à Mauris, & his ereptam à Carolo M. Francorum rege, qui munitionibus omnibus eam exuit. Garfiam II anno Christi dcccii defunctum excepit Fortunius ex eo natus, tertius Suprarbiæ rex: qui cum annos xiiii regnasset, moriens successorem accepit filium Sanctium, quartum Suprarbiæ regem, cui & Pompelon, & totus ferè Navarra tractus summotis inde Mauris paruit, sed demum prælio ab iisdem Mauris superatus occubuit anno æræ Christianæ dcccxxxii. Tum Pompelone denuò amissâ cum magnâ fortunæ parte interregnum fecutum: quo durante seorsim sibi Navarreni ceperunt consulere, atque ad novum alium regem eligendum festinarunt Innicum Eximini Vasconis filium, cui Aristæ cognomen fuit. Sed Suprarbienses, quorum metropolis Iacca erat sub montibus Pyrenæis, cunctantius agentes, re pressius deliberatâ non nisi certis legibus secundum libertatem regem tandem traduntur

duntur cooptasse eundem Innicum Aristam circiter annum Christi DECC-
LXVIII, annis XXVI post Navarrenos. Suprarbiensibus cohætere Ara-
gones vicini, populus non latè tunc habitans, Comitibusque suis parens.
Vnde tam diversa parendi conditio existit utroque in regno Navarreno
& Suprarbiensi aut Aragonico, quod ex Suprarbiensi natum est, quæ ho-
diè quoque durat, ac talis est, ut præ Aragonibus magnâ libertate præ-
ditis Navarreni servire servitutē videantur. Innico anno DECCCLXX ex-
tincto, qui Pampelonis simul & Suprarbiæ rex dictus fuit, successit Gar-
fias filius in utroque regno, cui per uxorem Vrracam Fortunii Arago-
num Comitis sexti filiam & hæredem unicam Aragonia quoque accrevit,
& vivendi regnandique finis accidit anno æræ nostræ DECCCLXXXV, duo-
bus filiis ex eadem illâ uxore relictis. Quorum natu major Fortunius post
rerum potitus per annos XVI cum sponte suâ cucullam sumpsisset, successo-
rem accepit fratrem Sanctium Abarcam ex utero matris, ut ajunt, casum:
qui primus non Suprarbiæ solum & Pompelonis sed etiam Aragoniæ se-
regem nuncupasse dicitur: mortuus anno DECCCLXXXIII. Hunc secuti
sunt filius Garfias, Sanctius nepos, Garfias cognomento Tremulus Arago-
niæ, Suprarbiæ & Pompelonis, id est, Navarræ reges, quorum postremus
vitam reliquit anno Christi M. Tremuli filio Sanctio majori regnorum pa-
ternorum hæredi cum nupsisset Eluira soror & hæres unica Garfiæ Castel-
læ Comitis, Sanctio patre nati, Castellanae opes quoque accessere: Ex qua
conjugæ filios tres Garfiam, Ferdinandum, Gundisalvum, ex alterâ vero,
quam concubinæ tantum loco eum habuisse Castellani scriptores perhi-
bent, unum solummodo sustulit Ramirum. Inter hos autem moriturus
anno æræ Christianæ MXXXIV opes suas omnes divisit, & primogenito qui-
dem Garfiæ Pompelonis regnum, Ferdinando Castellæ ditiones, Gundisal-
vo regnum Suprarbiæ, Ramiro Aragoniæ attribuit. Ex Garfiâ sequentes
Pompelonis aut Navarræ reges, ex Ferdinando Castellani & Legionenses
per neptem ex filio Alfonso Vrracam Raimundo Burgundiæ stirpis juveni
nuptam, ex Ramiro, ad quem fratris Gundisalvi sine prole extincti regnum
pervenit, Aragonenses descenderunt. Atque hunc quidem Ramirum
primum fuisse, qui Aragoniæ regis nomen sibi sumpsit, & quidem à
morte patris sumpsit, è concubinâ natum iidem Castellani scriptores,
parum æqui Aragoniis, affirmant. Ramiro apud Aragonos Sanctius
filius, Sanctio Petrus ejus nominis primus, Petro Alfonso Vrracæ Cas-
tellanæ maritus; Alfonso Ramirus ex cucullâ ad sceptrum vocatus, tres
scilicet fratres mutuo se excipientes, omnes Sanctio nati, successere. E
quibus solus Ramirus hæredem genuit filiam Petronellam: quâ elocata
Raimundo Comiti Barcinonensi, scepro relicto, sponte ad cucullam rediit:
cum quo finem habuit posteritas mascula Sanctii Abarcæ primi Arago-
num regis. Ex Raimundo verò, & Petronellâ prognati ex stirpe Barcino-
nensi regnum idem jam auctus factum tenuere deinceps ad annum usque
Christi MCCCCX, quo obiit sine sobole legitimâ superstitè Martinus rex
hujus stirpis postremus. Raimundum hunc excepit filius Alfonso Castus,
qui ex vitâ decessit anno MCCXCVI: hunc Petrus II, Petrum II Iacobus I,
Iacobum I, Petrus III, qui Aragoniæ Valentia, Catalonia, & demum
Sicilia quoque rex est appellatus, obiit anno æræ Christianæ MCCCLXXXV
senescente; Petrum III Alfonso III; hætenus rectâ lineâ descenden-
tes omnes. Alfonso autem sine liberis mortuo post sextum regni an-
num successit frater germanus Iacobus II, & huic Alfonso IIII fili-
us, Alfonso Petrus IV fil. Petro verò Iohannes itidem filius, illi autem
Martinus frater, quem antè dixi, Ab hujus morte regnum Aragoniæ de-
venit.

venit ad Ferdinandum Castellani Henrici III Castellæ regis fratrem Leonorâ Martini sorore natum; qui successorem habuit Alfonsum V filium cognomento Sapientem, regno Neapolis quoque potitum; & hunc in eodem Aragoniæ sceptro secutus est frater ipsius germanus Iohannes II, & Iohannem filius Ferdinandus V, cui nomen Catholici tributum, cum captâ Granatâ, totoq; Maurorum regno in Hispania deleta, & inquisitione in Maranos malæ fidei Christianos institutâ optimè meritis esse de Christiana religione putaretur. Atq; is postremus Castellani generis in Aragonia rex obiit anno græ nostræ MDCXVII mense Ianuario adulto, cum in hac domo sceptrum Aragoniæ continuò hæssisset annos CIII. Ei successor fuit Carolus Austriacus ex filia nepos, in quem morte aviæ Elizabethæ, & matris Ioannæ cætera quoque Hispaniæ regna devoluta fuere: quique à septemviris principibus Germaniæ non multò post imperator electus audiit Carolus V Cæsar Augustus. A quo porrò ad filium Philippum, ab eo ad nepotem ejusdem nominis, qui nunc rerum potitur, cum reliquis Hispaniarum regnis Aragonicum quoque pervenit. Duravit igitur hoc Aragoniæ regnum, ex quo Sanctius Abarca hunc titulum sumpsit ad præfens usque tempus per annos circiter DCCXVII: ex quo Garfias Eximini Suprabæ regnum in Vasconibus iniit, unde Aragonicum derivatum, MDCXIII, ex eo verò tempore, quo Aragoniæ nomen cum titulo Comitatus capit celebrari, regnante Garfias II apud Suprabænses, circiter annos DCCCXXX. Ab initio Ramiri illius, quem Castellani ajunt verè primum Aragoniæ regem fuisse, ad eosdem nos annos non plures DLXXXIII, à morte Ramiri II hujus nominis, qui ad cucullam, quam reliquerat, rediit, & principio generi ipsius Raimundi Barcinonensis, tantùmmodo CCCCXXX, ex quo regnum ad Ferdinandum Castellani à morte Martini regis pervenit anno DCCVII: denique ab excessu Ferdinandi Catholici & principio Caroli Austriaci annos C. Hoc regnum totius Hispaniæ haud dubiè notabilissimum ob populi singularem libertatem, quanquam Castellani & antiquius sit, & multò potentius. Optimus enim legibus in isto regno regia potestas contra exorbitationes & pericula subditorum est circumscripta & ordinum jus secundum libertatem præclarè munitum.

TEMPORA REGNI NAVARRENI
IN HISPANIA.

Navarræ regnū Aragonico vicinum, quondam Pompelonense à metropoli regionis etiam nuncupatum ab eodem, ut ostendi, principio profectum, ab Innico primo ad Sanctium V ejusdem stirpis ultimum reges numerat XI. Deinde frequenter regnantium domus mutata: & primum per Blancam Sanctii sororem nuptam Theobaldo Comiti Campaniensi regnū translatum ad Campanienses: quorum primus fuit Blanca filius patri primus rex XII: cui cum ex ordine successissent filii duo Theobaldus alter, & Henricus, hic relicta hærede filiâ unicâ Ioannâ uxore Philippi Pulchri Galliciæ regis, genero regnum reliquit, qui id porrò transmisit ad filium Ludovicum Hutinum ex Ioannâ natum. Cujus filia unica, quæ & ipsa Ioanna fuit dicta, matrimonio juncta Philippo Franco Eburovici, nepoti Philippi Audacis Galliæ regis, ad eum dotale regnum Navarrae attulit. Ex quibus conjugibus Carolus est natus Navarrae rex XVIII. Carolo deus in successit Carolus II, & huic gener Ioannes Aragonius, Blanca filiaque est factus, & filio ex Blanca suscepto Carolo III, cum adolevisset, regnum

regnum maternum restituit. Sed eo ante patrem sine prole defuncto magna de regno contentio extitit, cum & pater id retinere, & Henricus III Castellæ rex, quo cum nupta Caroli soror erat, idem vindicare satagerent, & soror altera Caroli Leonora nupta Gastoni Fossensi Gallo jus ejus ad se quoque traheret. Cujus neptis ex filio Gastone Catharina data in uxorem Joanni Albretano regni hujus jus in domum Albretanam inter Gallias illustrem intulit. A qua regni titulum filius Henricus Albretanus accepit sororius Francisci I Gallorum regis. Ex quo unica filia genita Ioanna juris paterni hæres Antonio Borbonio in matrimonium tradita, qui rex ex conjugè audiit, filium Henricum Borbonium Vendocimensem juris ejusdem sui hæredem reliquit, post varios vitæ casus ad regnum Galliarum tandem euectum, cujus filius Ludovicus XIII hujus nominis hodiè regnat. Sed hi post Carolum III Navarrenum Joannis Aragonii filium nomen quidem titulumque, regni fugitivi tenuerunt, rem verò & possessionem ejus Hispaniarum reges habuerunt. Nam licet Blanca Henrici IV Castellani uxor, Caroli III Navarreni soror sine legitimâ sobole decesserit, & cum ea quicquid juris Navarreni penes Castellanos fuerat, expiravit, tamen vis & potentia horum hætenus plus potuit, quàm illorum jus, & inanis nominis usurpatio. Laciniâ enim hac regionum intra Pyrenæos saltus carere Hispani, & Gallis eam concedere noluerunt, nec sine periculo maximo id facere se posse præ se tulerunt. Tempora ex prioribus liquent.

TEMPORA REGVM PORTUGALLIÆ.

Recentissimum ex majoribus Hispaniæ regnis est Portugallense in orientali veteris Lusitaniæ, fines ejus tum ad boream, tum ad meridiam modicè excedens, magis longum quàm latum. Initium ejus ab Henrico, quem alii Lotharingum, alii Burgundum fuisse volunt generum Alfonsi VI Castellæ regis, cui cum filiâ nothâ Tarasiâ in dotem dedisse focerum laciniam illam ditionum suarum, & à Mauris aut Saracenis, qui partem ejus adhuc tenebant, vindicandam commendasse ferunt. Sed regium nomen Henrico non tributum. Primus id tulit filius ejus Alfonsus partâ nobili contra Saracenos victoriâ anno Christiano MCCCXXXIX, à morte patris sui XXVII. (Is enim anno Christi MCCCXII obierat) superfuitque huic novo honori suo Alfonsus annos XLI. Ei successit filius Sanctius, Sanctio filius Alfonsus II, huic Sanctius II filius itidem patri, Sanctio III frater germanus Alfonsus III, qui vixit annos LXX, regnavit XXXII, obiit anno Christi MCLXXIX. Huic porro filius & successor fuit Dionysius ex filiâ nothâ Alfonsi X Castellæ regis, astronomiæ studiis inclyti, susceptus: cui in gratiam matris clientelæ onus dicitur ab avo esse remissum, quo hætenus Portugalliæ reges Castellanis regibus fuerant obnoxii. Hic Conimbricensi Academiæ dedit initium: vitam finiit anno MCCCXXV, anno ætatis LXIII, cum regnasset annos XLVI. Eum in regno secuti sunt Alfonsus IIII, Petrus I, Ferdinandus I, filius scilicet, nepos, & pronepos rectâ serie descendentes. Quorum postremus Ferdinandus è vivis abiens anno regni XVII, Christi MCCCXXXIII, quanquam filiam unicam hæredem haberet Beatricem Castellæ regi Iohanni I. nuptam, tamen in regno successorem sortitus est fratrem legitimo toro natum, sed virum acrem, & regendo regno haud imparè, imprimis in bello fortiter & feliciter ad tuendum regnum contra Castellanos gesto inclytum, defunctum

defunctum tandem anno Christi *MCCCCXXXIII*, cum sceptrum tenuisset annos *XLVIII*. Atque hujus posteritas mascula regnum tenuit ad tempora usque nostra, quibus Philippus *II* Hispaniarum rex nixus jure matris, ejectis maribus non justo matrimonio natis, id occupavit. Ioannes nothus genuit Eduardum avum maternum Maximiliani *I* imp. Eduardus Alfonso regnum recidit ad patruem ejus Emanuele regum Portugallensium clarissimum & potentissimum, expeditionibus & victoriis Africanis, Arabicis, Indicis illustre nomen meritum: quem filius excepit Iohannes *III* frater Isabellæ Carolo *V* imp. nuptæ, ex quâ Philippus fuit Caroli ejusdem filius, Ioannem *III* avum Sebastianus ex filio Emanuele Ioanne nepos, quem memoriâ nostrâ anno aræ Christianæ *MDLXXVIII* bellum in Mauritaniâ absumpsit, cujus morte jus regni ad patruum ejus magnum Henricum Cardinalem devolutum fuit: Quo paulò post rebus humanis exempto regnum invasit Philippus *II* Hispaniæ rex, excluso Antonio ex fratre Henrici regis Ludovico ex concubina nato quanquam magnis opibus ad recuperandam possessionem à principib. exteris adjuto, atque ita Portugallia reliquæ Hispaniæ, quæ unica portio post alia regna jamdudum conjuncta restabat, adjecta est, tota que Hispania à Pyrenæis ad Oceanum occidentalem in unum velut corpus conflatum uni regi ab eo tempore paruit. A regni initio, quod dixi, ad occupatum idem regnum à Philippo anni fluxere quasi *CCCCXL*: quo toto temporis spacio sceptrum hoc unâ in domo apud mares mansit.

TEMPORA BRITANNORVM VETERVM,
ET ANGLO-SAXONVM IN
INSVLA BRITANNIA.

RES Britannicæ, antequam Romani insulam ingressi sunt, parum sunt nobis compertæ. Nam de primis regibus suis quæ Scoti memorant majorum traditionib. ἀγράφοις, atque ideo incertis, debere senec ipsi negaverint. Primus Romanorum Britanniam ingressus est cum exercitu C. Julius Cæsar, anno urbis Romæ *DCCXCIX*, Cn. Pompejo *II*, M. Crasso *II* Coss. qui fuit annus *LV* fluens ante caput aræ nostræ Christianæ vulgaris. Sed reb. non magnis illic gestis, acceptis aliquot obsidib. sub æquinoctii autumnalis tempus in Galliam exercitum revexit. Anno verò proximo, qui erat urbis Romæ *DCC*, ante initium aræ Christianæ *LIIII*, L. Domitio, App. Claudio Coss. majori cum classe & majoribus cum copiis rediit eodem, & populis quibusdam victis oceano vicinis, non obsides solum ab iis accepit, sed & annum tributum iisdem constituit, rursusque imminente autumno relicta insulâ Galliam repetiit. Populi Britannicæ eâ tempestate distincti inter se principibus seu regulis suis parebant, quorum celeberrimus ac potentissimus tum fuisse memoratur Cassivellanus trans Tamesin fl. sedem habens. Idque de regibus postea in usu quoque mansisse, & non minus foeminas quam viros præfuisse scriptores rerum Romanarum nos docent. Post Iulium Cæsarem Claudius imp. præmissis cum legionib. Plautio insulam eandem adiit, australiaque ejus domita bello in provinciæ formam redegit, anno post alteram C. Cæsaris expeditionem Britannicam *CXLV*, aræ Christianæ anno *XCI*, se *III*, L. Vitellio *II* Coss. A quo tempore alii post alios præfides Romani cum copiis militaribus in insulâ fuerunt, & res gessere, paulatimque plura occuparunt: in quibus Ostorius Scapula sub eodem Claudio, Suetonius Paulinus sub Nerone eminuerunt. Iulius verò Agricola sub Vespasiano & filiis

& filiis ejus ulterius ad Septentrionem progressus totam ferè insulam populo Romano subjecit. Manseruntque deinceps Britanni in ditione Romanorum, quamvis seditiones sæpe motæ & arma contra eos capta, ut necessum habuerint Hadrianus primùm, deinde & Septimius Severus imperatores ipsi istuc ire, & tumultuantes compescere, murisque ductis à mari ad mare septentrionales Piëtos & Scotos ab incurfu eorum, qui Romanis parebant prohibere. Nec in eo statu res desit esse, donec sub Valentiniano III imperatore gravius ab hostibus pressi Britanni, atque à Romanis, quos tum alia bella majora in continente contra gentes barbaras premebant, deserti Vortigernum suæ gentis regem elegerunt, & cum nec in eo satis præsidii sibi esse comperissent, ex voluntate ejusdem Engistum & Horsam fratres Anglosaxones, præpotentes in ora Germaniæ maritimâ principes, & piraticâ celebres in auxilium vocarunt. Qui stipendiis conducti, re primùm feliciter gestâ contra Britannorum hostes, mox ex regis procerumque consensu, cum majoribus viribus insurgerent rursus iidem illi hostes, majorem exercitum popularium suorum confectum ex Germania in Britanniam exciverunt, & ingenti victoriâ potiti contra Piëtos & Scotos, paulò post arma sua in eos, à quibus conducti erant, verterunt. Deinde hi & eorum hæredes ac successores variâ fortunæ vicissitudine in bello contra Vortigerni posteros reges Britanniae usi tandem istuc pervenere, ut à morte Arturi ultimi è Vortigerni domo, nullo negotio debellatis iis, qui post Arturum regium nomen sumere aut fuerant, ex eâ Britanniae parte, quam Angliam hodie vocamus, indigenis Britannis ejectis, atque in Walliam, Cornuwalliam, Britanniam Gallicam commigrare coactis eam novis colonis ex Germaniâ refertam, divisamque inter se, ac in plura regna minora distinctam sui tandem juris fecerunt. Quorum è numero Ethelbertus virtute præstans Hengisti abnepos oppressis proximis quibusque gentibus suis è Cantio in Humbrum usque flumen regnum extendit potentissimus novæ gentis ad id usque sæculum. Is à conjugè Francâ Berthâ nomine sceminâ Christianâ persuasus audito Augustino monacho legato Gregorij I Romani pontificis Christianam religionem primus suscepit, cum flueret annus aræ Christianæ DCIII, qui erat à primo Hengisti & Horsæ in Britanniam adventu CLIV. Ii enim in insulam venerant anno Christi ccccxliv. Ethelbertus Christianismo initiatus exemplo & studio suo facilè effectum dedit, ut eandem religionem populus quoque, qui hæctenus idololatriæ à majoribus acceptæ inhæserat, amplecteretur. Hujus posterii à Bedâ memorati in Cantiorum potiti sunt ad finem Ethelulfi regum ab Hengisto descendentium xviii, qui ab Egberto occidentalium Saxonum rege captus regnum cum libertate amisit. Cantium Egberti regno adjectum, cum regnatum illic esset ab initio Hengisti ad hunc Ethelulfi casum per annos cccclxii. Interea verò & australes, & occidentales, & orientales Saxones, item orientales Angli, & Mercij, & Northumbrij proprios reges suos habuerunt. Ex his Egbertus ille, de quo dixi, apud occidentales Saxones regnans destructo Cantiano regno, sibi que subjecto, dein & orientalib. Saxonibus & Northumbriis quoque debellatis, regni sui pomeria cum plurimum auxiliaisset, id totum Angliæ nomine, & omnes subditos suos Anglos dici voluit. Post quem magni nominis rex fuit Alfredus Egberti ex filio nepos, qui eo non minor Eduardus filius, ambo castigatis & repressis Danis, qui Egberti tempore insulam invaserant, & Merciam, Angliam orientalem, & magnam Northumbriæ partem occuparant, inclyti. Et hic quidem à Cantiano litore, quod Galliæ obversum est, ad Scotos usque omnia imperio

imperio suo subdita tenuit, Saxonum sine dubio, qui ante eum fuerant, potentissimus defunctus anno Christi DCCCCXXV, cum regnasset annos XXIII. Ejus filii tres, nepotes duo, pronepotes item duo post ipsum regnarunt. Ex pronepotibus Etheldredus ignaviâ & calamitate suâ apud posteros celebris occasione Suenoni Danorum regi dedit repetendâ insulâ, & dedecoris suorum, qui paulò antè, quotquot in insula deprehensi fuerant, conjuratione Anglorum erant trucidati, eluendi. A quo regno pulsus, quanquam eodem mortuo ab amicis adjutus in regnum rediisset, tamen à Canuto Suenonis filio, cui pater regnum Angliâ tradiderat, ita pressus & divexatus est, ut majestatis potestatisque regni vix umbram tueretur. Et licet filius Edmundus patre mortuo magnâ spei juvenis resuscitaturus majorum virtutem, ac amissa recuperaturus videretur, tamen intra vertentem annum mortem oppetens spem illam suorum irritam reddidit. Ita Canutus Angliâ regnum sine amulo tenuit per annos XX, princeps egregius non Anglis minus quàm Danis suis carus. Caput cum morte Edmundi anno Christi MXVI, obiit MXXXVI. Cui filius è concubinâ natus Haraldus suffragiis ordinum surrogatus est, præterito fratre legitimè genito Canuto: quem post quartum regni annum moriens successorem accepit. Sed nec hic biennio longius Haraldo supervixit, decedensque Danorum regnum in Angliâ finiit anno Christi MXLII, post initium patris Canuti sine amulo regnantis XXVI, post victoriam Suenonis avi, & fugam Etheldredi XXVIII, quam scribunt auctores contigisse anno aræ Christianæ MXIV. Canuti II morte regnum rediit ad filios Etheldredi Alfredum & Eduardum, fratres Canuti uterinos. (nam mater Emma Normanna Etheldredo primum, deinde Canuto denupserat, & hos filios maritis pepererat.) Et sic annales Anglici, quos exscripsit Polydorus Vergilius. Saxo autem Sialandicus Danicarum rerum scriptor affirmat Eduardum regni Anglicani socium à Canuto fratre statim post mortem patris esse assumptum, curamque hujus ei commissam, ipso ad regni alterius administrationem in Daniam reverso. Sed in temporis ratione pugna inter auctores nulla. Eduardo mortuo, præterito legitimo hærede puero Edmundi regis nepote, regnum invasit Haraldus Goduini filius ex sorore Canuti natus. Verùm vix anno circumactò à Guilhelmo Normanno Roberti ducis filio è concubinâ genito, qui sibi & cognationis jure (erat enim Robertus dux Guilhelmi parens Eduardi regis avunculus) & voluntate amitini regnum deberi affirmabat, exutus est anno Christi MLXVII, qui erat post Hengisti in Britannia adventum DCXVII, post Cadovalladrum eversum CCCLXVII ultimus regum sanguinis Anglicani, & posterorum Hengisti. Ex hoc tempore Angli usque ad nos exteris regibus parvè Normannis Gallisque. Guilhelmus, qui armis regnum paraverat, novas regno leges dedit, institutis Normannorum congruas, præcis multo duriores. Omnes enim Angliâ agros Anglis ademptos militibus suis suo beneficio possidendos assignavit directo dominio soli sibi & successoribus suis reservato. Atque hoc jus regum reges sequentes retinèrunt. Guilhelmo, qui diu regnum possedit, successèrè ordine filii duo, Guilhelmus Rufus, & Henricus, quorum posterior Normanniam Gallicam Angliâ regno conjunxit. Hunc mortuum excepit Stephanus Blesensis ex Galliâ, sorore ipsius natus: & eum Henricus II Andegavensis Henrici I ex filia nepos, à Stephano adoptatus, per uxorem Aquitaniâ potitus, rex felicissimus & potentissimus, penes cujus posteros masculini sexus in octavum usque gradum rectâ lineâ descendentem regni possessio permansit: in quibus reges numerantur XXIII,
R ii j
quorum

quorum ultimus Richardus III regnum parricidio adeptus necatis fratris sui Eduardi IV filiis impuberibus, quorum tutor esse debuerat, post triennium ipse vicissim in praelio interemptus parricidii poenas luit anno Christi MCCCCLXXXVI, post primordia Henrici II, à quo familia hæc descendit, CCCXXXII. Huic toti familiæ magnitudine rerum gestarum & fortunâ admirabili potentiâque præluxit Eduardus III Ioannis adnepos, qui duos reges Davidem Scotum, & Ioannem Gallum præliis diversis captos eodem tempore in custodiâ habuit, & utrumque soluto λύτρω dimisit. Caletum occupavit: & post hunc Henricus V huiusce Eduardi adnepos Galliam rursus invadens tempore Caroli VI regis, cuius filiam uxorem habebat, ingenti prælio ad Dagincurtum Gallos cecidit, ducesque præcipuos capit. Galliæ maximam partem sibi subiecit, & rex ejus coronatus est Trevis in Campania anno Christi MCCCXXX. Quam felicitatem patris filius Henricus VI quanquam & ipse anno ætatis X Lutetiæ coronâ regni Gallici insignitus sit, pari infelicitate compensavit culpâ potissimum conjugis Margarethæ Andegavensis fœminæ insolentis & turbulentæ; omnes fortunæ adversæ casus perpeffus, tandem ab agnato Eduardo IV, qui ei successit, in carcere interemptus. Richardo III occiso rex factus fuit Henricus VII avo paterno Wallo nobilis sed obscuræ stirpis, aviâ clarissimâ Henrici VI matre, Caroli VI Galliæ regis filiâ Catharinâ, quæ mortuo marito rege cum Wallo secundas nuptias inierat, ortus, à stirpe regum Angliæ alienus, princeps optimus & fortunâ illi planè dignus: Ex quo & Elisabethâ filiâ Eduardi IV, quam uxorem duxerat, genitus fuit Henricus VIII πολύγαμος, & ex Henrico VIII Eduardus VI, & Maria Hispaniæ regi matrimonio juncta, & Elisabeth post sororem regina sapientissima & felicissima, quæ anno Christi MDCIII relicta perenni virtutum suarum memoriâ obiit. Cui eodem anno suffragiis ordinum regnum competitoribus aliis prælatus successit Iacobus ejus nominis VI Scotorum rex proaviâ Margarethâ sorore Henrici VIII oriundus, regum hujus ævi sine dubio longè eruditissimus, qui etiam nunc regnat feliciter, & Scotiam Angliamq; in unum regnum conflatas nomine Britanniæ majoris indigitat.

SCOTORVM TEMPORA ET
CONVERSIONES.

Scoti unde, & quando in Hyberniam, & istinc in Britanniam venerint, varia est inter autores bonos disceptatio, & variæ sententiæ. Nobis in eas inquirere non est animus; nec id est instituti nostri. Hoc solum indicamus, quæ de Scotis, & eorum regibus ab anno CCCXXX ante caput æræ Christianæ, cum Alexander Macedo rerum potiretur in Oriente, usque ad Fergusium II, regem Scotiæ quadragesimum, cujus initium conjicitur à Scotis scriptoribus in annum Christi CCCCIV, qui ejectos à Britannia Scotos dicitur in eandem reduxisse, non ex annalibus vetustis vetustos autores habentibus, sed ex ἀγράφοις traditionibus à recentioribus deprompta memorantur, ea nos pro certis habere non posse. Scimus enim quam lubrico atque instabili fundamento nitantur. Quin imò ne ista quidem satis certa nobis videntur, quæ à Fergusij II initio, & Scotorum reditu in Britanniam in reb. Scoticis recitantur ad annum Christi DCCCXXIX, quo Picti scribuntur in Britannia à Scotis esse deleri, sexto scilicet anno Kennethi II, regum hujus gentis, ut traditiones habent, LXXIX, sub quo Fanum Andreae sedes episcopi est facta. Inde jam crebrescere bonæ literæ

literæ in Scotiâ, & positâ barbarie hominum mores mitigari magis, & no-
men Scoticum fieri illustrius, & series rerum ac temporû notari diligētius,
regnumque in eâdem ferè familiâ, in qua diu ante eundem Kennethum
hæserat, manere usque ad Alexandri III mortem, qui è vivis abiit an-
no Christi MCLXXXV, regum Scotiæ secundum gentis annales XCV,
post Pictos deletos anno CCCCLVI. Post reditum Scotorum in Bri-
tanniam Septentrionalem ex Hibernia anno DCCCLXXXI. In eâ autem
familiâ post Pictorum excidium effloruere reges post Kennethum II Con-
stantinus II, Gregorius, Milcolumbus I, Kennethus III, Milcolumbus
II, Milcolumbus III, variâ fortunâ usus, sub quo Stuarti celebres facti,
item Donaldus Banus, ante omnes verò David I princeps verè insignis
& laudabilis, & nepos ejus Milcolumbus IV, & frater hujus Guilhelmus
ab Anglis captus: Alexandri deniq; II & III. A morte Alexandri III,
& unicæ ejus ex filia neptis, Norwegiæ regis filia, desponsatæ filio regis
Angliæ, quæ avum ante confectas nuptias est secuta, regnum tandem post
diuturnas annorum VI & mensium IX contentiones delatum est ad Ioan-
nem Balliolum, cujus mater Davidem Hundintoniæ Comitem regis Guil-
helmi fratrem avum maternum præferbat. Verùm is ab Eduardo An-
glo captus & regno exutus post aliquot annos, quibus Anglus regnum pre-
mebat, Robertum Brussium, cui idem Hundintonius avus maternus erat,
excusso occupatore successorem accepit, ex Angliâ à patre oriundum, ob
virtutem eo fastigio dignum. Qui moriens Davidem Brussium filium
unicum novennem puerum ex procerum voluntate hæredem reliquit, cuius
Robertum Stuartum ex filia sua nepotem substituit. Obiit verò anno æræ
nostræ MCCCXXXIX, cum regnasset annos XXIII. David Brussius ejus no-
minis II minorennis absens apud Galliæ regem ad quem periculatorum
causâ à patre erat missus, per proreges aut gubernatores primis annis re-
gnum Scotiæ administravit, æmulumque passus est Eduardum Balliolum
Ioannis filium excitatum & adjutum ab Anglo, cui regium quoque nomen
in Scotiâ tributum. Sed David in patriam reversus, æmulo oppresso, post
annos non multos in prælio ab Eduardo III Anglo captus, & post decen-
nium tandem custodiâ liberatus, atque in integrum restitutus anno de-
cimo MCCCCLXX, qui erat à morte patris XLI, à fine Alexandri III LXXXV,
fato concessit sine liberis. Regnum summo procerum Scotorum consen-
su delatum ad Robertum Stuartum ex sorore Davidis natum, substitutum
quondam filio à Roberto Brussio, & ab ipso quoque filio Davide hæredem
nominatum. A quo tempore regnum perpetuo ad nos usque in eâdem
Stuartorum familiâ mansit: idque ita, ut pater filium semper successo-
rem reliquerit ad Iacobum usque V: qui cum masculâ prole legitimâ ca-
reret, Mariam filiam unicam ex coniuge Guisia genitam hæredem habuit.
Ex quâ cum Henrico Stuartho Levinæ seu Lenoxiæ Comitis filio, agnato
suo principe infelicissimo nuptâ natus est Iacobus VI, qui hodie totam Bri-
tanniam majorem imperio suo regit Angliâ cum Scotiâ conjunctâ, regum
omnium hujus sæculi eruditissimus, & publicæ quietis amantissimus. Sunt
autem anni ab initio Roberti Stuarti ad tempus præsens CCXLVII, à fine
Alexandri III CCCXXXII, à Pictis sub Kennetho II deletis DCCCLXXXVIII,
à principio Fergusii II, & Scotis in Britanniam majorem reductis MCC-
XIII, à primordiis regni Scotici in Britannia cum rege Fergusio I, si fides
traditionibus ἀρχαίφαις MDCCCXLVII.

Pannoniam post Romanos primi Hunni dicuntur occupasse tempore Honorii imp. anno aerae Christianae ccccxi. Ad quos post annos complures cum novis & majoribus copiis imperante jam Valentiniano III, multis provinciis aliis evastatis, ejusdem gentis rex Attila accessit, ille humani generis terror, & ex ea sede vicinos omnes, imprimis Germaniam, Galliam, Italiam afflixit. Eo extincto aerae nostrae anno ccccliii, post triennium, cum dissiderent inter se ipsius filii, Gepidae gens Gottica, adjuvati a caeteris Gottis, qui simul Attilae paruerant, in eos insurgentes ingenti Hunnorum multitudine caesam fugatamque regionem eandem sibi vindicaverunt, tenueruntque per annos circiter centum. Quibus exactis Hunnorum & Avarum nova manus adveniens ibidem sedes composuit juxta Longobardos, qui partem etiam regionis ad Danubium infederant. His sensim plurimum confluxu invalescentes, praesertim post Longobardos in Italiam profectos, gentem condiderunt, quam posterius Hungaros dixerunt. Sed eorum res tenebris involuta, id est, posteris ignota manserunt ad aetatem Caroli Magni: qui bellum ingens contra eos gessit, & Pannoniam superiorem, partemque inferioris ad Rabam usque fluvium iis ademit, Francisque adjecit. Deinde iidem novam sobolem ex Scythia veteri patriam auviti, imperante in Germania, Gallia, Italia Carolo cognomento Crasso, circiter annum Christi dccclxxxvi, sumpto jam novo Hungarorum nomine, mox a morte Arnulphi imp. cujus virtutem viventis metuebant, Ludovico III jam rerum potente Germaniam invadere, & maximum ipsius exercitum occisione occidere ad Augustam Vindelicorum in Suevia die IV Eid. Aug. anno aerae Christianae dcccvii, direptaque bona Germaniae parte demum ingenti pecunia pacati domum rediere: rursumque sub Conrado I imp. & Italiam & Germaniam afflixerunt graviter ac penes protrivere: sed cum iterarent idem tempore Henrici Aucupis, gravi clade ab eo correpti sunt ad Mersburgum Saxoniae, & multo majore a filio ejus Ottone I imp. ad eandem Augustam Vindel. ad quam ante annos xlviii, & quidem eodem anni die IV Eid. Aug. Germanos ipsi ceciderant. Factum hoc anno aerae Christianae dcccclv, imperii Ottonis xx. A quo tempore Germania ab iis quietem habuit. Principes eorum interdum duces, interdum reges dicti a scriptoribus sunt, omnes cum maxima populi parte cultui idolorum dediti. Demum imperante in Germania & Italia Henrico Sancto, cui Claudi cognomen, Ottonis III successore, Stephanus Geizae filius, Toxonis nepos, ut conjugio potiretur Gisela germana ejusdem imperatoris, quam ambiebat, cum nec Gisela, nec ejus frater aliter assentiri vellent, spondit se, si voti compotibi fieri liceret, Christiana sacra recepturum, atque in eo suis exemplo praetiturum. Ita voto potitus Christi cultum suscepit, & apud suos porro promovit tanto studio, ut ob id, & ob sanctos mores sancti nomen apud posteros invenerit: *αγιωτα* quoque regium ei aut tributum aut confirmatum ab affine imperatore: quo deinceps posterius perpetuo sunt usi. Accidere haec anno aerae Christianae mxx, post primum Hunnorum in Pannoniam adventum annis dxcix, post eos a Gepidis Gottisque aliis opprefosos dcliii, post Hunnorum reditum, pulsosque Gepidas dcliii, denique post accessum novae sobolis cum novo nomine Hungarico sub Carolo Crasso cxxiv. Huic Stephano ejusdem sanguinis & familiae reges successere longa serie, rerum potiti in Hungaria non pauciores quam xxiii: in quibus Stephani IV, Bela IV, Andreae III, (quorum medius cognomento Hierosolymitanus ob expeditionem in Palaestynam, pater D. Elisabethae nuptae

nuptæ Lantgravo Thuringiæ, mortuus anno Christi MCCXXXVI, rerum potitus per annos xxx,) Geizæ duo: clarissimus verò inter omnes pietatis singularis opinione Ladislaus cognomine Sanctus, Salomonis regis patruelis, Belæ filius: qui cum regnum tenuisset annos circiter XIX, obiit die III Kal. Aug. anno æræ nostræ communis MXXCV. Ultimus verò ex genere Hungarico fuit Andreas III, qui quod matre Venetâ Venetiis esset natus, Venetus est appellatus, nepos Hierosolymitani. Obiit sine prole anno æræ nostræ MCCCII, post S. Stephani nuptias cum Gesilâ, & Christi sacra ab eo accepta cum diademate regio, CCXCI. Ab hujus obitu ab exteris regnum affectatum, fortunâ fluctuante inter gemulos Carolum Neapol. à Franciæ regibus oriundum, Wenceslaum Bohemum, Ottonem Bavarum ad annum usque æræ Christianæ MCCCX, quo Carolus adhuc adolescens Caroli Martelli regis Neapol. & Mariæ Hungaricæ ex Stephano v Hung. rege natæ filius regni possessionem est adeptus. Is regnum ex tribus filiis Ludovico reliquit, regum omnium ante se multis bellis feliciter gestis longè clarissimo & potentissimo. Qui cum regnasset annos totos XI, & maritum filiæ Mariæ Sigismundum Caroli III imp. filium, domo Lucelbergensem, ex procerum voluntate successorem designasset, ex hac vitâ excessit anno Christi MCCCXXXII. Hunc annos LV sceptro potitum, defunctum anno Christiano MCCCXXXVII excepit gener Albertus Austriacus princeps potentissimus, ejus nominis imp. II, & Bohemiæ quoque rex, sed brevis ævi. Post quem Vladislaus Poloniæ simul & Hungariæ rex à Turcis ad Varnam casus cum exercitu anno MCCCXLIII, & post hunc Ladislaus filius Alberti posthumus omnium paternarum ditionum unicus hæres, qui nondum maturâ ætate ante nuptias decessit anno MCCCXLVII. Tum è carcere ad regnum evectus est Matthias Huniades Ioanne genitus sapientiâ & fortitudine præstans. Cum cujus viduâ Beatrice regnum idem traductum est ad Vladislaum Polonum Casimiri regis filium, Bohemiâ quoque potientem: atque ab eo ad Ludovicum filium ipsius à Turcis in prælio interemptum adhuc *àwaïda*. Hic successorum habuit sororium suum Ferdinandum Austriacum, æmulum Ioannis Sepusii Transylvani à Turcis adjuti, per quem Solimanno Turcarum imperatori aditus apertus est ad invadendam & occupandam Hungariam. Ferdinando patri in Bohemiâ & Hungariâ, atque in axiomate imperii ditionibusq; Austriacis successit Maximilianus, Maximiliano Rodolphus II filiorum maximus, Rodolpho frater Mathias, qui hodie imperat & regnat. Regnatum post mortem Andree Veneti ab exteris ad tempus hoc præfens, quo hæc scribimus, per annos CCCXXVI, à Caroli Neapol. initio CCCXVII: à S. Stephani nuptiis cum Gisela, & suscepto Christianismo regnatum annos DCVII, à fine regni Gepidarum in Pannoniâ MCLX, à primo adventu Hunnorum in eandem Pannoniam MCCCVI.

TEMPORA POLONORVM.

Polonia, quæ à multis sæculis dicta fuit, & idem adhuc nomen retinet, Sarmatiæ Europæ veteris regio est, sed ad occidentem Vistulæ fl. in partem veteris Germaniæ procurrens. Sic dicta à Polonis gente Henerâ aut Slavicâ, qui quondam duce Lecho tempore Mauricii aut Phocæ imp. è Russiæ regionibus in eam habitatum venere. Lechi populi steritatem tradunt ipsi Poloni principatum in gente tenuisse per annos plus minus *cl*, ad annum scilicet æræ Christianæ DCC. Eâ extinctâ, ajunt XII Waivodas in totidem provincias omni regione divisâ reb. præfuisse

fuisse: & hac δωδεκαρχία abrogatâ ad unum Cracum conditorē Cracoviæ summam rerum totius gentis rediisse, & apud filium ejus Lechum II & filiam Vendam mansisse; rursusque ad δωδεκαρχίαν & à dodecarchiâ ad unius Præmissi cognomento Lesci imperium devenisse: huic successisse ordine duos Lescos II & III, deinde Popielos duos, quorum posteriorem volunt mortem obiisse anno æræ Christianæ DCCCXXIII. Deinceps post breve interregnum Piastum principem creatum successores habuisse filium, nepotem, pronepotem, abnepotem; & hunc nomine Mieziſlaum primum suæ gentis principem Christianâ religione fuisse imbutum anno æræ nostræ DCCCCLXV, atq; ita fores Christianismo in toto populo esse apertas. A quo tempore certior jam rerum & temporum in hac gente series cæpit fluere. Hujus verò Mieziſlai filius Boleslaus acerrimi ingenii princeps primus Poloniæ rex designatus & coronâ insignitus est ab imperatore Ottone III Gnesnæ anno Christi MI, cum ante biennium defuncto patri successisset. Mansitque regium ἀξίωμα in ejus familiâ per annos circiter LXXX, in quorum fine Boleslaus II prioris pronepos ob iniquam Stanislai episcopi Cracoviensis eisdem excōmunicatus, & regno ejectus est. Et quanquam filius Vladislaus ei successerit in principatu, & post hunc alii ex hoc descendentes, tamen regio titulo abstinuere omnes per annos circiter CCXV; quibus variâ fortunâ jactata fuit Polonia, & Silesia ab ejus corpore avulsa sensim, Bohemiæque adjecta. Primus ex voluntate ordinum suorum diadema resumpsit Præmissus II Præmissi filius anno Christi MCCCXCV post sexenne interregnum toti Poloniæ calamitosum, eoque paulò post per insidias interempto rex surrogatus est Vladislaus Locticus: & hic ob vitia solio dejectus, regnante interim Wenceslao Bohemō, post quinquennium restitutus in integrum vivendo & regnando pervenit ad annum Christi MCCCXXXIII, regnumque reliquit filio Casimiro Magno, qui felicissimam Rursiæ partem armis subactam Poloniæ conjūxit, & regno potitus annos XXXVII obiit anno Christi MCCCCLXX, ultimus regum ex gente suâ, & posteritate Piaſti oriundus. Sic iterum in Polonia regnatum à posteris Piaſti ab initio Præmissi ad finem hujus Casimiri, se exceptis quinquenniis Wenceslai Bohemi, per annos CLXXV; rerum administratio in Piaſti domo continuata circiter annos haud pauciores quàm DXL. Post hunc non alii quàm peregrini in Polonia regnarunt; quorum primus Ludovicus Gallici generis ex domo Andegavensi Neapolis & Vngariæ rex, Casimiri sororius, postpositis duabus Casimiri filiabus, & principibus agnatis ad sceptrum à proceribus vocatus. Qui cum annos XII regnando compleisset successorem accepit Jagellonem magnum Lituaniæ ducem nuptiis filię alterius (duas enim opum suarum heredes Ludovicus reliquit) potitum, & nuptiarum regniq; causâ, desertis sacris gentilibus, baptismo ritu Christiano cum totâ domo & populo Lituano ablutum; cui novum nomen Vladislai in lavacro datum. Factum anno Christi MCCCCLXXXVI. Per hunc tota Lituania, & partes quædam Rursiæ Lituaniæ parentes, Poloniæ addita, regnumq; latè auctum. Penes cujus domum regni possessio mansit ad mortem pronepotis Sigismundi Augusti, quæ incidit in annum Christi MDLXXII. Vladislaō Jagelleni successit Vladislaus filius natus maximus Vngariæ simul & Poloniæ rex anno æræ nostræ MCCCCLXIII ad Varnam cæsus à Turcis; huic porrò frater Casimirus, sub quo Borussia Poloniæ accessit: Casimiro tres filii primum Ioannes Albertus, deinde Alexander, & demum Sigismundus. Sigismundus denique excepit Sigismundus Augustus. Sic in scepro apud Polonos mansit domus hæc Lituania per annos CLXXXVI. Morte Sigismundi Augusti

Augusti *ἄπαιδος* regnum suffragio procerum pervenit ad Stephanum Serpium Transylvaniae principem, & ab eo post decennium sine liberis mortuo ad Henricum Andium ducem Gallorum regis fratrem: quo à morte fratris è Poloniâ in Galliam furtim se recipiente ad ineundem Galliae regnum, Poloni in locum ejus suffecere Sigismundum Suecum juvenem Sigismundi Augusti sorore, & Ioanne III Sueciæ rege natum, qui jam regnat, meliore sine dubio fortunâ & in Poloniâ & in patriâ suâ usurus, nisi Lojolithis regendum se permetteret.

Numerantur anni, ex quo gens hæc duce Lecho in Poloniam primùm commigrasse traditur secundum incertas & fluctuantes patrias traditiones, ad tempus hoc præfens, quo hæc scribo, quasi MXX: à quo Piaustus ad imperium pervenit DCCXCIII: ab initio Christianismi in gente publicè recepti DCLII: à regno ad peregrinos reges devoluto CCXLVII.

T E M P O R A B O H E M O R V M.

Alia gens Heneta seu Slavica *ὁμόγλωττος & ὁμόφυλος* cum Poloniis eodem tempore duce Zecho ex Sarmatiâ migravit in Germaniam, & regionem à Boiis Celtis, deinde à Marcomannorum parte quondam habitatam fortè tum cultoribus raram occuparunt, quæ hodiè adhuc à vetustissimis cultoribus Bohemia nuncupatur, & populus ipse habitans Bohemi. Hi etiam à duce Zecho nomen quondam mutuati principes suæ gentis, quorum imperio regebantur, per multa sæcula habuere sine insigni regio ducum nomine contentos. Horum primus ipse Zechus, II Crocus, III Primislaus, IV Nimislaus: deinde alii sequentes ad Borivoium, qui X in ordine recensetur, primus verò Christo nomen dedit, baptisatus à Methordio Moravorum episcopo anno aræ Christianæ DCCCXCV. Cujus nepotem ex filio Vratislao Wenceslaum principem pientissimum cum Ottone I imperatore florentem frater ipsius Boleslaus vir improbus occidit. Hujus Boleslai fratricidæ pronepos Prædislaus Moraviam, Poloniis hæctenus parentem, Bohemiæ suæ conjunxit. Prædislai autem filius alter V R A T I S L A V S ducum XX (nam Spitigneus frater natu major ante eum rerum erat potitus) rex Bohemiæ creatus est ab Henrico IV imp. anno Christi M LXXXVI Moguntia in comitiis. Sed nec frater ejus, qui successit, nec filii deinde *ἀξίωμα* regium usurparunt. Nepos verò Vladislaus tributum sibi à Friderico I imp. resumpsit. Post eum Primislaus III rex dictus à Philippo imperat. Friderici filio, & deinceps Primislaus prioris filius IV, & hujus frater Ottocarus V Austriae occupator hostis Rodolphi I imp. Post quem Wenceslai duo, filius & nepos, prior cognomento Sanctus, alter ultimus regum ac principum hujus stirpis & sanguinis Bohemici, vi suorum Olomutii in Moraviâ interemptus anno Christi MCCCVII. A cuius cæde cum regni fortuna incerta fluctuasset aliquandiu, tandem obvenit Iohanni Lucelb. filio Henrici VII imperatoris per nuptias cum Elisabethâ cæsi sorore contractas: cujus virtute regnum ampliatum Silesiâ totâ ei adjectâ. Successit ei in Gallia in strage exercitus preëmpto filius Carolus IV imp. Caroloq, filius Wenceslaus, & huic frater Sigismundus, uterque imperio potitus: quorum posterior Vngariæ quoque rex ex vita decessit anno Christi MCCCXXXVII, cum Bohemiæ regnum durasset in domo Lucelburgica per annos plus minus CXXX. A Sigismundo devenit ad generum ejus unâ cum Vngariâ & diademate imperii Albertum Austriaicum: ab eo ad filium minorem Ladislaum. Ladislao ante nuptias mortuo Georgius Boiebradius Bohemus surrogatus regnum tenuit annos ferè

ferè XIV. Post hunc Vladislaus Casimiro Poloniae regi genitus: dein filius ejus Ludovicus Vngariae simul & Bohemiae rex à Turcis caesus anno MDXXVI. Quo tempore regnum utrumque arripuit Ferdinandus archidux Austriae Ludovici sororius, moriensque reliquit Maximiliano filio imp. ejus nominis II, & is Rudolpho primogenito suo itidem imp. ejus nominis III, à quo abstulit adhuc vivo frater Mathias, qui nunc & regno & imperio quoque potitur. Stetit regnum Bohemiae à primi regis Vratislai coronatione ad finem Wenceslai à suis Olomutii occisi, postremi profapiae veteris Bohemici, annos circiter cccx. Inde ad nos Bohemia per peregrinos sanguinis Germanici aut Lituanici gubernata, excepto tempore, quo Boiebradius praefuit, per annos quasi cccx.

T E M P O R A D A N O R V M.

DAnorum res, ut caeterorum terras septentrionales colentium, Suecorum, Norwegiorum, Finno-um, quos omnes prior aetas florente Francorum imperio Normannos appellavit, per vetusta fuere, si Saxoni Grammatico scriptori Danico, qui ante annos plus minus cccc antiquitates gentis in literas misit. Is igitur à Dano quondam Humbli filio res Danicas auspicatur, quem aliquot saeculis capite aere Christianae anteriorem fuisse memorat. Sed prima quaeque ab ipso exposita vix tantam merentur fidem, quantam Homeri Ilias. Sub Frothone verò II ejus nominis rege Danico, cujus res prolixè toto libro V describit, Fridlevi filio, Christum ait in terris natum: de quo Frothone meritò dubites, an unquam vixerit. Post quem longam rursus regum seriem texuit non absimilem fortè ei, quam in tabulis suis Manetho Aegyptius representavit non solum diluvio universali sub Nohâ, sed mundo quoque condito antiquiorem. Nec ante fabulas vendere desiit, quam sub finem libri VIII ad Gotricum pervenit Gormonis filium, Carolo Magno imperatori coevum, quem Gotricum Godefridum Francici annales nominant. Is Carolo Magno bellum inferens evastatâ primùm Saxoniam, deinde Frisiam oppressâ & tributo subjectâ, demum anno Christi DCCCX, dum rursus ad bellum Germanicum se accingit, non procul Albi fl. à satellite suo peremptus est. Eum excepit filius Olaus: Et hunc Hemmingus Ludovico Pio imp. Caroli M. filio amicitiam conjunctus. Post hunc Syvardus Ring patre Norwegio & matre Danâ Gotrici filiam natus, & æmulus ejus Ringo Syvardi ejusdem consobrini, qui mutuo consuetu collisi simul feruntur periisse in Norwegia. Deinde Regnerus Syvardi filius, cujus acta & amores & vitæ exitum, velut Herculis alicujus aut Achillis Danici, poetæ instar prolixè decantat idem autor libro IX, & contra hunc excitatus à Scanis & Iutis æmulus Pimraldus, domi armis minor subsidia quærens ad eundem Ludovicum Pium imp. Caroli M. filium in Germaniam venit, ab eoque persuasus, ut obtineret facilius, quod quærebat, Moguntiae cum conjugè & magna Danorum multitudine per sacrum lavacrum Christianismo primus omnium Danicæ regum initiari se sivit anno aere Christianae DCCCXXVI. Verùm cum fortunâ non adspirante recuperare regnum non posset, rediit ad vomitum, & in exilio apud Rustros Frisios consenuit. Regnero in carcere Hybernico tetra morte perempto, regnum ejus in Dania filius obtinuit Syvardus, & Syvardum secutus est Ericus ex ipso natus, ab Anscario praefule Bremensi baptismum ablutus: cui conjux neptis Haraldi regis ex filio Guthormo Canutum peperit, in regum numero in primis celebrem, Christianum quidem, sed ante acceptum baptismum, quem expetierat, mortuum. Canutogenitus

genitus Frotho rex fortis ac felix, Frothone Gormo cognomine Anglicus, Gormone Haraldus, Haraldo Gormo III junior, omnes reges Danię; Gormoni huic III uxor fuit Thira Ethelredi regis Anglię filia Christiana, cum ipse idololatra esset, & Christianorum persecutor vehemens. Hic filium successorem reliquit Haraldum ejus nominis VI: qui ab Ottone I imp. armis superatus, ejusdem studio cum filio Suenone baptismo admotus est circiter annum Christi DCCCXLVIII, cumque regnasset annos I, demum anno arę Christianę DCCCCLXXX fati cessit. Sueno post baptismum Suenotto ex susceptore Ottone imp. dictus, à patre vivente regendis admotus abjecta religione Christiana patri seni regnum & vitam ademit. Verum bello Slavico ad Iulium captus, & paulò post regno restitutus Angliam invasit regnante tum illic Ethelredo principe inerte, eamq; gravissimè afflicta sibi parere coegit. Ante mortem autem ad Christum rediit, obiitq; regni anno XXIV, Christi MIV. Successorem accepit filium Canutum II regem inclytum, non Daniã solum, sed Angliã quoq; & Norwegiã, & Wandaliã victricib. armis potitum, defunctum tandem in Gallia fluente anno Christiano MXXXVI. Post quem Canutus III ex ipso genitus Daniã & Angliã retinuit, quoad vixit: Norwegiam ex pacto reliquit Magno, Olai quondam regis filio: qui ex eodem pacto ipsi mortuo anno Christi MXLV successit in Dania, Anglis, abjecto jugo Danico fortitudine Haraldı Godovino nati ad Eduardum regię stirpis principem regnum suum deferentibus. Sic Danię sceptrum ad alienigenã Norwegiam pervenit post Gotrici mortẽ, qui Carolo M. bellum intulit, anno CCXXXV. Magno autem brevi sine prole defuncto idem in Suenonem translatus est, Canuti magni filiã, Vlfone ignobili Sueco sed belli artibus eximio editum, exemplum fallacis & variantis fortunę, quem istius avi homines intra breve tempus felicem, miserum, regem viderunt. Hic prole masculã dives (IX enim filii ejus à Saxone memorantur virilem aetatem adepti) cum decessisset anno Christiano MLXXIV, Haraldum natu maximum non ultra biennium sibi superstitem, deinde Canutum IV cognomento Sanctum, victimę instar ad aram in tẽplo Othoniano ab inimicis occisum post decenne regnum: post hunc Olauum III totidem annos scepro potitum, post Olauum Ericum IV expiandis stupris suis Romam & Hierosolymam profectũ, & in Cypro mortuũ, demum ex cessione spontaneã Vbbonis fratris Germani, in quem procerũ & populi suffragia collimabant, Nicolaum, omnes ex se natos filios successores habuit. Quorum postremo filius quidẽ fuit Magnus Suecię regno potitus vivo adhuc parente, sed commisso fœdissimo parricidio in innocentem patruem suum Canutum Erico rege natum Slesuici ducem, Sclavorum Obotritarum regem beneficio Lotharii Saxonis imp. renunciatum, principem longè optimum & regiã fortunã dignum commeruit, ut & Dani eum proscriberent, & Sueci rejicerent, aliumque hominem abjectę conditionis ipsi surrogarent, & pater ob filii facinus in gravissimum ordinum suorum odium incideret. Quę occasio fuit Erico interempti Canuti fratri consanguineo ultionem fraternę necis proficenti, quanquam ex adulterio genito arma corripiendi contra patruum, & eum regno & vitã spoliandi. Occisus Nicolaus est Slesuici ab oppidanis ob Canuti cędem ei infestis cum annis Christianis ageretur MXXXV. Ericus regnum rapuit excluso fratre Haraldo natu majore, expellatu quoque, non autem ex adulterio editus, & post quadriennium indignã cęde in ipso tribunali peremptus successorem nactus est Ericum VI sorore suã natum: & hic scepro posito, sumptãque cucullã locum dedit Suenoni III Erici prioris filio tunc ex ephebis egresso, quem regio

diademate ornavit Fridericus I imperator Mersburgi in comitiis. Verum Sueno inter æmulos agnatos vix regnum tenere potuit. Quorum maximus Waldemarus Canuti Slesuvicensis per scelus patruelis occisi filius, jam tum Iutiæ dux audiens, ipsum in prælio cecidit, anno Christi MCLVII, regnumque libentissimis ordinibus ob gratam memoriam patris in se vertit, amicissimus, quamdiu vixit, Friderico I imp. & ab eodem amarus, hostis verò perpetuus Wandalorum ad mare Balticum habitantium: mortuus anno Christi MCLXXXII, herede regni relicto filio Canuto VI. Sub hoc Canuto vixit & scripsit præcipuus gentis Danicæ historicus Saxo Grammaticus Sialandus, & ejusdem res prolixo stilo est executus. Eum in sceptro secutus est frater Waldemarus, qui ante regnum initum, cum Slesuvici Dux esset, anno Christi MCC, Lubecam & Hamburgum in potestate redegit. Rex verò factus Revaliam Livoniæ condidit: reliquo tempore infelicior contra hostes anno tandem MCCXLI ex hac vitâ abiit. Post hunc tres filii ordine alius post alium sceptro Danico potiti, Ericus VII, Abel cæsus à Frisiis, Christophorus à Comitibus Holsatiæ in prælio captus & Hamburgi custoditus. Ex qua custodia tandem solutâ ingenti pecuniæ summâ liberatus paulò post moriens filium Ericum VIII in regno successorem reliquit, qui à suis interemptus Ericum IX filium regni hæredem accepit. Qui cum regnasset annos XXXV, nec legitimam sobolem masculam reliquisset, frater ejus Christophorus II ad sceptrum pervenit anno Christi MCCCXXI: ejusq; post annos XII demortui locum tenuit filius Waldemarus IV, regno potitus totos annos XLIV; bellis contra civitates Wandalicæ infelix; sobole verò masculâ moriens cum destitueretur, (obiit anno MCCCXXXV) ex filiab. duab. natu major Margaretha Haquino Norwegiæ regi ex regia Suecorum profapia denupta regni culmen adscendit: quam ob potentiam & rerum feliciter gestarum magnitudinē Semiramidem Danicam præceptor meus David Chytræus solet nominare. Nam à patris maritique morte sapienter & fortiter rebus præfuit, extincto filio Olao, quem ex Haquino susceperat, Norwegiæ etiam regina nuncupata fuit, & Alberto Megalburgico Suecorum rege armis superato & capto, id quoque regnum amplissimum Daniæ suæ conjunxit. Sed herede suo carens, extinctis agnatis, Slesuvici ducib. ex voluntate procerum regni, & consensu sororis unicæ, quæ adhuc supererat nupta duci Megalburgico, hæredem & successorem sibi adoptavit Ericum Pomeranum, sororis ex filia nepotem. Ipsa mundum hunc reliquit anno MCCCXXII, & stirpem Suenonis II parente Sueco oriundi, quæ Daniæ sceptrum tenuit annos quasi CCLXXVI, terminavit. Ericus bellorum & molestiarum regni pertæsus, & Suecorum defectione turbatus post annos XXVI sponte suâ regnum deposuit reversus in patriam, in qua consenuit. Tum vocatus ad regnum à Danis & Norwegiis Christophorus Palatinus, Erici sorore natus idemque non multò post à Suecis quoq; receptus: Atque eo post decennium defuncto sine liberis, suadente imprimis Adolfo Slesuvici duce, cum ipse invitatus regnare nollet ob ætatem gravem, regnum à Danis Norwegiisq; delatū est ad Christianum Comitem Oldenburgensem sorore Adolphi genitum virum acrem anno æræ Christianæ MCCCCL, assensique etiam post septennium in ipsius regnum sunt Sueci, quâquam in fide rursus post aliquot annos vacillantes, & sibi seorsim constituto regni gubernatore consulere satagentes. A Christiano trium regnorum sceptrum ad Ioannem filium, à Ioanne ad Christianum II ex ipso natum pervenit. Ob cujus sevitiem commoti primùm Sueci, qui antea parenti quoq; ejus turbas dederant, deinde Dani quoque & Norwegii pessimâ conscientia agitatum fugientemque destituerunt. In
cujus

ejus locum apud Danos & Norwegios venit Fridericus ejus patruus Hol-
 fatiæ dux, & post hunc Christianus III hujus filius rex pientissimus &
 optimus post XXIIII regni annos anno Christi M.DLIX ipsis Calendis
 Ianuarii vitâ defunctus successorem filium reliquit Fridericum II, Dit-
 marsiæ debellatorem, ex quo natus est Christianus IIII, qui nunc Da-
 niæ & Norwegiæ sceptrum tenet. Post Margarethæ mortem, cum qua
 utrumque regnum ad principes Germanos translatum fuit, ad hoc præ-
 sens tempus, anni fluxere CCV: ab initio Christiani I ex familia Comi-
 tum Oldenburgicorum CLXVII. In universum post interitum Gotrici
 Frisiorum oppressoris, hostis Caroli Magni, qui minitatus fuit sanum
 Aquilgranense magno impendio à Carolo magnificè structum in stabu-
 lum equorum suorum se esse conversurum, Daniæ regnum ad nos usque
 stetit per annos circiter DCCCVII.

TEMPORA SVEDORVM, quos
 SVECOS vulgo dicimus

Sveciæ quoque regnum, quo hodie duplex Gottia, Finlandia, Finnia,
 Lappia, aliæque septentrionis regiones latæ continentur, perantiquum
 est, si Saxoni Grammatico Sialandico multarum de vetustis reb. fabularum
 auctori credimus, cum Daniæ sæpe conjunctum, unique cum eâ regi parens,
 sæpius separatim sibi consulens, & regem rectorémve suæ gentis habens.
 Reges multi à Saxone Sialandico memorantur ante tempora Gotrici Da-
 ni Caroli Magno imperatori coævi: nec pauci eo posteriores: sed illorum
 tempora ab eodē non contexuntur. Ex iis Magnus, genere Danus, Nicolai
 Daniæ regis filius, ob nefariam eadem patruelis sui Canuti ducis Slesuvici
 cum invisum se omnibus bonis fecisset, à Suecis desertus & regno exclusus
 fuit, tempore Lotharii Saxonis imp. cujus se clientem erat professus. Re-
 gnum verò Sueci tradiderunt Suerconi cuidam Sueco non claris natalib.
 ortu: & is successorem habuit Carolum, non justis nuptiis natum. Post
 quem regnavit Ericus x cognomento Sanctus, à quo ferunt magnificum
 templum Vpsaliense toto regno celeberrimum inaugurationi regum so-
 lenne esse extructum, Finlandiam, quæ Russis parere solebat, Sueciæ adjun-
 ctam imperante in Germania Conrado III Suevo. Rex imprimis inclytus
 apud Suecos: quanquam à Saxone Grammatico, quod mirari liceat, cujus
 aetatem videtur attigisse, nulla ipsius fiat mentio: Successisse huic Sueci tra-
 dunt Canutum filium, quem Saxo nominat, & Canuto Ericum XI Walde-
 mari II Daniæ regis generū ex Canuto natū, & huic rursus filium Ericum
 XII, quem Balbum vocarunt. Quo sine prole mortuo circiter annū Christi
 MCCXXII, ad Waldemarū ex sorore ejus & Byrgero Ostgotthiæ duce natū
 ajunt sceptrum esse devolutum, Stocholmiæ conditorem: ejus peregrè pro-
 festi religionis ergò locū invasisse fratrem Magnū, patrem Byrgeri, qui ei-
 dem successit, hominis nefarii: qui ob nequitiam à fratrib. duob. Erico &
 Waldemaro in custodiam datus, & ab iisdem, sancitâ præteritorum ἀμνηστία,
 in integrum restitutus, deinde eosdem ipsos ad epulas invitatos per carni-
 ficem gladio dicitur jussisse feriri: atque hoc ob facinus atrox ferunt or-
 dines regni justâ irâ incensos, ipso per fugam elapso, filium ipsius Magnum
 jam scepro initiatum à patre, præhensum & judicio damnatum publicè
 carnificis quoque manu capite mulctasse, regnumque Magno patrueli il-
 lius, Erii filio adhuc puero dedisse. Byrgerus autem dum sceptrum te-
 nuit ut annales produnt, & Viburgum Finlandiæ contra Russos constru-
 xit, & Careliam ad mare glaciale jacentem Sueciæ adjecit. Magnus
 Sij rerum

rerum potitus in Sueciâ, & Norwegiam quoq; adeptus cum vitiorū mancipium se fecisset, invisus Suecis factus, & ab iis desertus, atq; ab Alberto principe Megalburgico sororis suæ filio, quem regni ordines vocarant, Sueciâ pulsus anno Christiano MCCCLXIII, Norwegiam, in quam se recepit, Haquino ex se nato reliquit: cui Haquino nupta fuit Margaretha, Danica illa Semiramis Waldemari III Danorum regis filia. Ea in potestatem suam redacto Alberto Megalburgico in Sueciâ regnante anno MCCCLXXXVIII cum filio Erico successore destinato regnū Sueciæ duob. reliquis regnis adjecit. Verū Margarethâ anno MCCCCXII mortuâ Sueciâ ab herede & successore ejus Erico Pomerano ob non servata pacta post aliquot annos defecit, & seorsim sibi cōsultuit, & demum Carolum Canuti Westgotum Finlandiæ tum temporis præfectum totius regni gubernatorem constituit: ac nihilominus, manente Caroli honore & munere, Christophorum Palatinum à Danis & Norwegiis jam dudum ad regnum vocatum, omnia prolixè pollicitum regem admisit anno MDCCCLXII. Christophoro verò defuncto, & Christiano Oldenburgio à Danis & Norwegiis ei surrogato, Sueci Carolum eundē regem designarunt; sed exortis in regno dissidiis, & factionibus, fugato ab adversariis Carolo, Christianū Danis & Norwegiis imperantē regem sibi cooptarūt anno Christi MCCCCLVII. Hoc autē contra pacta conventa peregrinos præfectos ipsis imponente, ideoq; post septennium abjecto, Carolo revocato sceptrum reddiderūt. Quo post sexennium è vivis sublato, Stenoni Sturio ex sorore uterinâ Caroli nato, ad Ericum Sanctum regem unâ cum Carolo maternum genus referenti, regni gubernationem sine nomine regio commendarunt, heroi à Suecis summè laudato. Verū gubernationem ejus turbarunt factiones intestinæ ab æmulis motis, & Ioannes Daniæ ac Norwegiæ rex à factiosis ad capeffendum etiam hoc regnum vocatus; qui cedente Stenone in throno regio collocatus est Stockholmia anno MCCCCXCVII vergente: Sed cum pactis quibusdam ad regni libertatem pertinentibus usus pravo Danorum consilio non steterit, ex voluntate procerum Steno summum regimen cum senatorib. regni in se recepit circiter annum M.D. retinuitque quo. ad vixit. Ei verò sub finem anni M.DIII mortuo successus est anno proximo Suanto Sturius, & Suantoni post octennium extincto filius ejus Steno junior. Cujus gubernationem & vitam abruptit sc̄da tempestas à Christierno Daniæ & Norwegiæ rege Iohannis filio tyranno immanissimo, cum annus surgeret MDXX. Qui cum regno initiatus eodē anno in ipsis regni auspiciis inauditâ & detestabili perfidiâ ac tyrānide plusquā immani regni proceres magno numero cum magnâ nobilitatis parte, & haud parvâ plebeorum hominum multitudine manib. carnificum crudeliter sustulisset è medio, post biennium ac quadrimestre regno hoc rursū excidit: & in tyranni hujus locum surrogatus Gustavus Erici perantiquo & illustri genere equestri ex Trolliorum familia natus, cui avia soror Stenonis Sturii senioris gubernatoris regni, abavia mater Caroli regis fuerat. Is difficili bello profligatâ Christierni Danorumque tyrannide solemnibus in comitiis rogatus ab omnibus ordinibus regnum iniit mense Junio anni MDXXIII, sibiq; & posteris suis pacto solenni firmavit, princeps verè insignis, sapientiâ & virtute regia magnus, pater patriæ, regniq; novus instaurator & conditor. Regnavit annos XXXVIII. Successit ei Ericus filius, ejus nominis XIII, anno Christiano MDLX. Et huic ob crudelitatem atq; amentiam amoto & in custodiam dato, surrogatus post octennium frater consanguineus Ioannes III: qui moriens anno MDLXXXVII hæredem & successorem reliquit Sigismundum Poloniae Sueciæque regem, etiam nunc in Polonia regnantem, Iesuitarum arbitrio

arbitrio obnoxium. Sed ob neglectas regni leges & pacta jurata Sueciæ regnum ei ademptum anno MDXCIX, & Carolo patruo traditum. A quo ad filium ejus Gustavum Alphonsum maxime expectationis juvenem, principem eruditum, pium, justitiæ amantem, qui hoc anno vergente coronatus est, sceptrum pervenit. DEVS rex regum & dominus dominantium longam vitam & res prosperas ei largiatur. Stetit regnum a fine S. Erici annos circiter CCCCLXVIII, à morte Erici XII, ejus stirpis ultimi, & initio Walde-mari Ostgotti, Stecholmiæ conditoris, CCCXCV, ab Alberti Magalburgici primi regis alienigenæ principio CCLIV. Regnū bonis formatum legib. ad proxima cōfinia aristocratia accedens, propius etiam quàm regnū Danicū, quanquam & hoc plusculum, quàm multa regna alia libertatis retinent.

De NORWEGIIS Lacinia.

DE Norwegiæ regno dicere non libet. Antiqua enim in eo sunt obscura, propter literarum nullum aut raram usum, posteritati non mandata, aut sine ordine & continuâ serie temporum mandata, hiulca, & magnis spatiis hic illic interrupta. Hoc modò constat, cum reliquis duobus Borcalib. regnis examina effudisse piratarū, quos cōmuni vocabulo Normannos vestas appellavit, qui potissimas Europæ provincias Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam sæpe deprædati sunt, affligerūtq; gravissimè. Gallia bonam partē occupatam sibi subjecere, & in extrema Italiæ regione Siciliaq; regnum quoq; condiderunt. Ex prædis quoq; in patriam relatis, cum jam Christiano nomini se dedissent, velut culpam priorem expiaturi Norwegiæ vastæ molis templū extruxere Nidrosig, in quo reges coronari solent. Procedente autem tempore Norwegia viris & viribus opibusq; exhausta, ex quo regno Daniæ cōjuncta semel certâ lege fuit tempore Margarethæ reginæ post obitū filii ejus Olai Haquino geniti, qui obiit adolescens anno Christi MCCCXXXVII, perpetuò deinceps cum eâ cohæsit, eidem semper regi cum Danis parens, sed suis legibus suo jure, non Daniæ usa. Durat illa conjunctio etiam nunc continuata per annos plus minus CXXI.

TEMPORA MOSCHOVITARVM.

Russorum regio longè latèq; dudum patuit per septentrionem & orientem, quâ Sarmatiæ pars longè maxima olim fuit eis & trans Tanaim annem Asiæ Europæque limitatorem, proculque transit fluvium Wolgam, quem Rha Ptolemæus vocavit, plurib. ostiis magnis in mare Caspium se effundentem. Sed fuit hæc regio in ditiones aut principatus plures divisa, & à diversis principibus possessa. Verùm accidit tandem hæc quod proverbio Græco fertur, *Serpens serpentes devorans sit draco.* Nam alii alios confuentes potentiam suam auxerunt. Demum Moschi seu Moschovitæ Russorum quondā obscurissimi atq; imi primùm proximis quibusq; sibi adjunctis & parère cōpulsis, deinde longius armis prolatis, & omnibus ferè Russis, exceptis iis, qui Lituani & Polonis parent, subactis imperium longè maximum à glaciali Oceano ad vicina maris Pontici simul & Caspii sibi constituerunt. Nomen habet à Mosqua urbe magnâ, sitâ ad fluvium ejusdem nominis in Oscam fluvium alium, & cum hoc porrò in Wolgam se exonerantem: Vbi arcem primus struxit & inhabitavit Daniel gentis princeps, Iorislai filius: licet alii ad Iohannem ex ipso genitum id referant. Principes genus suum referunt ad Wlodimirum Steslao natum, qui primus in gente suâ abjecto falso dæmonū cultu nomen Christo dedisse traditur anno Christi DCCCCLXXXVIII, & pro Woldimiro Basiliū se voluisse appellari

appellari ex nomine Basilii imperatoris Constantinopolitani, cuius sororem matrimonio sibi junxerat. Id initium Christianismi in hac gente. Ei fratribus bello intestino consumptis solus tandem successit in totâ Russiâ filius Ioreslaus, Ioreslao Vuzevolodus, lex quo genitus Wlodimirus, sedem principatus posuit Kioviæ ad Boristhenem fluvium, & agnatis suis oppressis totâ Russiâ potitus est, & ut gentis ejus annales perhibent, Czari nomen accepit ab imperatore Constantinopolitano Constantino. Cui filius fuit Vufzevolodus II, & huic præter septem alios Georgius, Georgio rursus Demetrius: ex quo Georgius alter natus: quo habenas tenente, anno Christi MCCXXXVII, Batus Tartarorum princeps Europæ vastator, parens, ut plerique credunt, Tamerlanis, quem flagellum Dei nuncuparunt, Russiam omnem invasit, & ipsum Georgium in acie cecidit; Russosque in duram servitutem redegit. Georgii res perditas suscepit frater Iaroslaus: cui filius successit Alexander, Alexandro Daniel is, qui primus sedem principatus sui posuit in oppido Mosquâ, arce illic validâ exstructâ contra incursum, & tumultus intestinos, putaturque primus etiam magni Moscoviæ ducis titulum usurpasse. Hic ex quinque filiis successorem habuit Ioannem Kaletam à gestanda semper pera elargiendarum elemosynarum gratiâ sic dictum. Ioannis locum filius accepit Simeon, qui absque liberis superstitibus obiit, res Moscoviticas reliquit fratri Ioanni. Ioannes eandem moriens tradidit filio Demetrio, Demetrius primogenito suo Basilio, qui in principatu floruit anno MCCCC, & ex Sophia filia Vitoldi Lituani genuit *ὀμάνυμον* sibi, ac superstitem reliquit: Verùm quod matrem de adulterio suspectam haberet, vitâ excedens non eum, sed fratrem Georgium in principatu succedere sibi voluit. Georgius autem moriturus præteritis duobus filiis suis imperium restituit Basilio fratris filio, quem diu in vinculis habuerat. Patris verò iudicium damnantes filii arma contra patruëlem ceperunt, & tandem insidiis occupatum oculorum usu privarunt: inde cognomen cæci ei fuit. Imperium tamen indignantibus iisdem patruëlibus excæcato mansit. Ex quo genitus Ioannes Basilides cognomento Magnus ob magnas res gestas & imperium ampliatum (nam maximas totius Russiæ civitates Plefcoviam & Novogardiam bello subactas ei adiecit) ut potentiam sibi firmaret, agnatos omnes, quos deprehendere potuit, è medio sustulit, seque magnum ducem Wlodimiræ, Moscoviæ, Novogardiæ, ac totius Russiæ Czarum, id est, monarcham voluit appellari. Polonis quoque & Livonis primus bella intulit: reliquias jugi Tartarici excussit: denique nomen Moscoviticum multò clarior quam antè fuerat, reddidit. Successit ei Basilius filius ex Sophia Palæologa altera conjuge natus, ante imperium Gabriel appellatus, & ipse non parvis rebus gestis, atque imprimis repressis submotisque Lithuanis, ac Smolenscio cum oppidis aliis ad Boristhenem fl. recuperato, & Casanen-sibus Tartaris ad pendendi tributis necessitatem adaçtis, clarus. Qui moriens anno Christi MDXXXIII, quinquennem filium Ioannem Basilidem ex Helena Glinscia fœmina impudicissima susceptum, sub cura Michaëlis Glinscij, hæredem reliquit, tyrannide plusquam immani infamem, alioqui armis egregium; quippe qui Casanenses Tartaros in rebellionem verfos, & Astracanos ad Wolgæ ostia in mare Caspium exeuntis habitantes, divitiis & potentiâ validos cepit, & Moscovitico imperio subdidit, & Livones evastatos miserrimum in modum afflixit, ac pessundedit. Obiit demum plenus cruore anno Christi MDLXXXIV, die XXVIII Martii, cum à morte patris rerum potitus esset annos LI, relicto unico filio hærede Theodoro, qui in locum ejus successit ingenio simpliciore, & à se-

vitia adhorrente; cujus mors incidit in annum Christi MDLXXXIV, imperium verò ejus arripuit Borius Hodrinus affinis ejus, uxoris nimirum frater, sed diu id tenere non potuit: secutaque est ingens rerum in Moscovia perturbatio, ac fluctuatio, donè tandem is ad dominatum pervenit studio suorum, qui jam in solio sedet. Imperium principum illic absolutum, in quo principum voluntas legum locum tenet. Stetit principatus ab initio suscepti publicè Christianismi ad calamitatem Tartaricam per annos CCXLIX: inde porrò ad nos per annos CCLXXX: in universum verò per annos DCXXX.

TEMPORA TARTARORVM.

Reliquum est de Tartarorum imperio, quod in vetere Scythiâ trans Imaum montem ad Oceanum Scythicum & Eoum immani spacio ante aliquot sæcula patuit, ut dicemus. De eo qui certi aliquid ante avorum & proavorum nostrorum memoriam scripsere, duo præcipui sunt, Marcus Paulus Venetus, & Haithonus Armenius regio Armeniorum stemmate natus, penè cœvi. Venetus cum patre & patruo anno Christi MCLXXXIV domo profectus itinere terrestri in Tartariam contendit, & in ipsam metropolim maximi illius imperii, adeoque in imperatoris Cublai, quem Cabilonem Armenius vocat, aulam pervenit, totosque annos XVII in summa familiaritate cum ipso imperatore, quemadmodum & pater & patruus, ibidem vixit, & partem reip. quoque in regno Mangi sæpè gessit, tandemque incolumis cum suis per Indiam regionesque intermedias domum rediit. Armenius, quæ in ipsorum Tartarorum commentariis aut annalibus legit, quæque ab Harthono Armeniae rege patruo suo (sic enim scribendum pro avunculo, ut est in barbarâ versione Latinâ, arbitror) narante, quæ in ipsâ regiâ imperatoris Tartarici, cui nomen Mango, viderat, fecerat, cognoverat, & posterorum nomine consignaverat, intellexit, partim etiam quibus agendis ipse interfuit rogatus à Christianis Europæis, in literas retulit. Ambo fidi autores. Ex his igitur discimus, Tartaros (populum quondam obscurum) partim in varias hordas quas vocant, quæ sunt imperio quædam minora, per Sarmatiæ & Scythiæ Europææ & Asiaticæ regiones, distinctos etiam tum fuisse, partim immensum terrarum tractum in extrema Scythia ad Oceanum Eoum usque, quam Imao monte à meridie in septentrionem assurgente ab interiore Ptolemæus separat, implese, alieno imperio ac tributo quondam obnoxios. Hos Marcus Paulus tradit circiter annum Christi MCLXXXVII sui generis regem, sibi elegisse Cinchim nomine, & jugum Bulgianum excussisse, insigni victoriâ contra hostem in campis Tenduceanis partâ, institutis quoque & legibus bonis gentem excoluisse, & occupatis pluribus regionibus imperium vastum in regna aut provincias plures divisum constituisse: vocatumque esse magnum Chanem, id est, summum imperatorem, aut regem regum, ut & successores ejus post eum; horumque majestatem ceteros principes aut imperatores Tartaricos comiter observasse & coluisse. Haithonus hunc primum Chanem Changium nuncupat. Huic in imperio successisse scribit idem Marcus Paulus Cui dictum, & post eum Barchim, quartum verò fuisse Allau, quintum Mongu, sextum Cublai proximè præcedentis fratrem, in cujus aula vixit ipse hic scriptor. Eum imperare capisse affirmat anno Christi MCCXVI, principem multis ac magnis virtutibus instructum, Christianæ religionis à Latinis discendæ peravidum per hospites Venetos à Pontifice Romano doctores erudiendo populo petiisse: potissimam imperii ejus latissimè

latissimè patentis regionem aut provinciam fuisse Cathai, quolibet regno majorem, & ut plurimum sedem regiae suae habuisse duab. in urbibus maximis & splèdidissimis, Cyandu à se conditâ, quam Ions vocat Haithonus, & Cambalu Cathainiae regionis metropoli antiquâ, formae quadratae, in ambitu milliarium Italicorum $xxiv$, exceptis xii suburbiis singulis ante singulas portas, mercatorum & advenarum frequentia celebribus, sita velut in centro non solum provinciae ejus, sed etiam totius Tartarici imperii; illam ab eo habitari solitam tribus mensibus aestivis, hanc totidem mensibus hybernis, ob situm in boream aut austrum vergentem. Eundem Cublai ait praeter provincias alias complures subactas bello invasisse & occupasse regionem felicissimam & amplissimam Mangi cum metropoli Quinsai, terrarum orbis urbe maximâ, factumque esse omnium ante se imperatorum Tartaricorum longè potentissimum, ac porro pervenisse bellando & vincendo ad Oceanum meridionalem, ingressum esse Ciambam provinciam Indiae finitimam, Bengalam tenuisse, Iaponiam insulam, & Iavam majorem appetivisse, minoris partem possedisse: successorem sibi destinasse nepotem ex filio primogenito Temur dictum. Atq; his addit Haithonus, qui Cobilam eum nuncupat, durasse imperium ejus annos $xlii$, defunctoque successisse filiû Tamor (is sine dubio est Temur ex filio nepos, successor à vivente destinatus.) & sedem regiae habuisse in urbe Ions à patre Cobila extructâ: nec quicquam de eo amplius. Ex his verò connexis cognoscitur Cobilam vel Cublai defecisse, & nepotem cepisse circiter annum Christi $mcccxcviii$, cum stetit imperium hoc ab initio Cinchis per annos quasi cx . Liquet etiam à Tartaro Cublai in arctum redactas esse res amplissimas Sinarum, aut prorsus everfas: (Mangi enim regnum latissimum & maximum, & quae porro provinciae ab eo porriguntur in Oceanum austrinum Sinarum ditionis fuere:) & tamen Tartaris rursus submotis, Sinas, quorum nunc immensae propè opes sunt, fortunam priorem recuperasse. Verùm quo modo & tempore id sit factum, nobis est adhuc incertum. Quanquam esse non nesciam, qui de tempore aliquid affirmant, conjiciantque eum eventum in annum Christi plus minus $mcccclxxx$, post casum Sinarum anno quasi cx . Haithonus unum de numero imperatorum Tartaricorum in iis recensendis subtrahit. Nomina eorum sic format, atque hoc ordine recitat. Changius Chan (is est Marco Paulo Cinchis) primus; Hocota Chan, Changij filius, secundus; Guino Chan, Hocotae filius, tertius, quem dicit brevis vitae in imperio fuisse; Mango Chan, consanguineus prioris, quartus; Cobila Chan (hic est Cublai) antecessoris frater, quintus, quem ipse quoque ait, omnium latissimè dominatum esse. Demum Tamor Chan sextus. Tradit verò idem Haithonus, praeter hordas in Scythiâ & Sarmatiâ, de quib. dixi, alia quoque regna ejusdem gentis velut propagines imperii illius magni in majore Asia fuisse constituta. Inter ea regnum fuit Cumaniae ab Hocotae filio secundo genito, cui Baido nomen, vastatore totius Russiae, Poloniae, Silesiae, Austriae, Vngariae conditum. Fuit item id, quod in Media, Assyriâ, Mesopotamiâ, Syriâ effulsit, sed duravit haud diu. Ejus ortus ab Haolono fuit imperatorum duorum Mango & Cobile fratre. Hic enim à fratre priore Mango, cum is rerum potiretur, auxilio missus cum valido exercitu Haithono Armeniae regi, qui ipse se hujus rei gratiâ in Tartariam contulerat, injuriâ affectus gravioraque metuens à Saracenis Persidem, Babylonem, Mesopotamiam, Assyriam, Mediam tenentibus Saracenos latè vicit, Persiam totam cepit, Babylonem & Calypham redegit in potestatem, Christianis, quantum potuit, toto eo tractu benefecit, (Christi enim

enim religionem cum fratre Mango ceperat profiteri) in Ægyptum contra Soldanum illic regnantem tendens allato jam nuncio de fratris imperatoris morte, & altero fratre Cobilâ in locum ejus surrogato, in itinere ex morbo interiit anno Christi *m c c l x i v*. Hunc excepit filius Abaga, ductoque in Ægyptum exercitu Soldanum superavit, atque in ordinem coëgit. Post Abagam vitam functum anno *m c c l x x x i i* secutus in imperio est frater ejus Tangador, qui persuasus à Saracenis, quibus utebatur familiariter, desertâ religione Christianâ Mahometismum est amplexus, & Mahomet dici circumciscus voluit: quem nisi maturè sustulisset *D E V S*, maxime calamitatem Christianismus accepisset. Ei successit Argonus Abagâ natus anno *m c c l x x x v*, & Argono post triennium ipsius germanus Regayto vir *â 9 1 0 0* religionem omnem susque deque habens, mortuus anno Christiano *m c c x c*. Cui surrogatus est ex cognatis Baydo princeps pietati Christianâ imprimis deditus: Baydonem Casanus Argoni filius circiter annum *m c c c x* regno dejecit Christiani quoque nominis studiosus, qui rerum potitus per annos *x i* magnis rebus in Syria potissimè contra Ægypti Soldanum & alios Saracenos gessit tandem à præfecto quodam suo circumventus fortunam primùm in Syria, mox & vitam amisit, fratremque Cagâbandam successorem reliquit. Is patri dissimillimus, præter spem abjectâ religione Christianâ, Mahometismo initiatus multa mala patavit, ac abalienatis à se plerorumque suorum animis Tartarorum res in ista Asiâ parte evertit, atque hinc familia Otomannicâ, inde Gempfâ & Parthis crescendi occasionem præbuit. Hæc fortuna conversio facta putatur circiter annum Christi *m c c c l*, post Haoloni initium & Calipham Babylonis eversum anno quasi *x c i i*, post mortem magni Chan Cinchis, conditoris imperii Tartarici in regione Cathai, *c l x i i i*.

Præter hoc aliud ingens Tartariæ regnum, quod Zavalgensium vocant, ad Wolgam fluvium & mare Caspium seu Hyrcanum longè & latè patens in septentrionis partibus multarum hordarum mater & scaturigo: Cui coherent, aut originem quoque suam debent Tartari Zagatai veteris Sogdianæ terræque Sacarum habitatores ad laxartem fl. ad quem gentis hujus metropolis, urbs quondam ingens, totoque Oriente percelebris, Samaracanda sita fuit, quæ nunc maximâ sui parte in ruderibus jacet. Ex hac gente & civitate ortus est ille Asiæ terror Temur, quem Temorlanem scriptorum vulgus vocat. Qui plebeis parentibus imæ conditionis hominibus, ut plerique volunt (sunt enim etiam qui regiâ profapiâ genitum perhibeant) industriâ & armorum peritiâ eò fastigii pervenit, ut totius istius gentis Zagatainæ imperium ad eum sit dilatatum. Is imperio accepto in vicinas regiones viribus conversis Persas, Hyrcanos, Arachosios, Arios, Bactrianos celeri victoriâ dicitur percurrisse, & sibi subjecisse. Deinde in Occidentem contendens obviis pene sine negotio protritis, (ducebat enim in exercitu suo amplius quàm decies centena millia bellatorum) Armeniâ utraq; & Cappadociâ graviter afflictâ Bajazethi Turcarum imperatori Byzantium tum temporis obsidenti jugum imponere constituit. Tandem atrocissimo prælio in patenti campo non procul finibus Armeniæ commisso, in quo non minus quàm trecenta quadraginta pugnantium millia feruntur occubuisse, cum superior evasisset, Bajazethem vivum captum, vincitum aureis catenis ferreæ cavea inclusit, circumduxitque: multis opprobriis divexatum miserrimam ad mortem compulit. Victoriâ hanc obtinuit anno Christi *m c c c x c v i i*, eique superfuit annos *v*: obiit Samaracandæ in patria anno Christi *m c c c c i i*, regni sui anno *x x v i i*, relictis opum & regni hæredibus duob. filiis legitimo matrimonio creatis. Hi ingeniis

geniis patri diffimillimi ac degeneres discordiâ scissi mox à patris morte viribus in se versis tantas opes brevi admodum tempore everterunt, finemque imperio & claritati paternæ imposuerunt: populi à patre subacti raptâ occasione certatim defecere: Vnucassanus Assembejus originis Parthicæ Persiam, Parthiam, Mediam, Assyriam, Chaldæam, Meïopotamiam sibi subdidit: Bajazethis liberis de imperio inter se confligentibus per aliquot annos tandem fortuna favit Mahumeti cognomento Celebino, ilque ex casu illo acerbissimo domum Ottomannicam in Asia & Europa in statum pristinum restituit. Reliqua Zavolgensium Tartarorum nobis minus cognita: & Cumanorum res caligine obductæ. Cazanenses Wolgæ fl. finitimi in Basilio Moscorum principe, item Astracanenses ad Wolgæ ejusdem exitum, à filio Basilio Ioanne subjugati. In regione veteris Sarmatiæ Asiaticæ memorantur principes post aetatem Tamerlanis qui se Czares, id est imperatores potestatis summæ seu regis vocarunt, notiores nobis ob res in Europa gestas, Temir evocatus à Lithuanis & Polonis contra Crucigeros Livones anno Christi MCCCXX, Mahumet, Achmet, Schachmet. Hic opem laturus Ioanni Alberto Poloniae regi præliatus contra gentes suos Præcopitas Tartaros prope Kyoviam Russiae anno Christi MD primùm victor, deinde victus, demum in carcerem coniectus fuit ab his ipsis, quibus auxilium tulerat. Notissimi Tartarorum Europæis hominibus sunt Præcopitæ, quos ex veteri metropoli regionis, quam habitant, Chrimæos etiam vocamus. Sunt enim in Europa ad Pontum Euxinum inter Tanain & Boristhenem omnes porrecti: & ipsa metropolis Chrim principum quondam sedes perampla, nunc fortunâ multò minor, sedesque regia inde in Præcop urbem novam translata, quæ est in primo aditu Tauricæ Chersonesi, cujus magna pars his etiam Tartaris parit: unde nomen recentius Præcopitarum. Horum principes hoc ordine recensentur à Davide Chytræo polyhistor: Vlam, à quo iidem Vlani quoque à nonnullis dicti, Tachtam, Seidachmet à quodam Acikerio pulsus, Heider Seidachmetis filius imperio exutus à fratre, exul Cazanæ præfectus à Ioanne Moscorum principe Mendliger, qui adjunctus à Turcis fratrem de solio deturbavit, & cum Schachmete Zavolgensi prælia commisit in Russia ad Kyoviam, victusque victorem vicit. Mahomet filius hujus, & ex hoc genitus Deulet, & Deulete natus Machmet, qui floruit cum Maximiliano II imp. & Rudolpho II, denique Sadit Mahumetis filius postremis his annis imperio Tartarico præfuit. Omnes Czaris nomine honorati, nullius superioris imperium agnoscentes. Cum his foedus perpetuum Turcæ habent, maxime ex quo Solinus I hinc uxorem petiit, ex qua Solimannum genuit. Et sunt, qui militem stipendiarium; quoties res poscit, Turcis sufficiunt, & vires ejus augent: præ cæteris omnibus Tartaris Christiano nomini infensissimi.

*TEMPORA Sinarum, quos CHINAS
hodie dicimus & scribimus.*

DE Sinis quæ Ioannes Gonsales Mendosa libri sui tertii initio recitat, in medium adferre vix audeo, quia malæ fidei apud me suspecta sunt, præsertim antiqua illa: quæ simillima tabulis Manethonis de dynastiis Ægyptiacis duco. Verùm quoniam summus vir Iosephus Scaliger recitanda eâ sibi putavit in Canonibus isagogicis, ego quoque veniâ me non indignum futurum puto, si velut appendicis loco hæc eadem post Moschovitica & Tartarica adjecero. Habent annales suos Sinenses, qui perhibent,
ut scribunt

ut scribit Mendosa per aliquot annos apud Sinenses peregrinatus, primum Sinenfium regem fuisse Vitey quendam corpore & animo magnum, multorum optimorum institutorum, & rerum inventarum auctorem, ejusque posteros diu admodum in eodem sceptro mansisse, ultimumque ex ea profapia Tzintzon nomine struictorem muri contra incurfus Tartarorum à Septentrione Sinis imminuentium fuisse regem *CXVII*, numerarique annos à primi regis initio ad hujus finem bis mille, trecentos, quinquaginta septem: ab eo verò sine regnasse reges diversarum familiarum numero *CXLII* per annos *MDCCCLVII*, annumerato *XL* annorum, quod intercessit, inter regno: istorum autem regum postremum Tepim eversum esse à magno imperatore Tartarorum Vzou nomine, totumque regnum à Tartaris occupatum possessumque per annos *XCIII*, regnantibus ordine imperatoribus ejus à nono, ac Sinas toto illo tempore duriter habitos, sed omnium durissimè à nono, cui nomen fuerit Tzintzoum: atque hinc occasionem fuisse, ut Sinæ impatientiâ commoti conspiratione factâ cum velut tyrannum non ferendum egerint cum omnibus Tartaris, ac suæ gentis regem rursus designarint Hombu nuncupatum virum egregium ex stirpe veterum regum: & successisse huic reges ejusdem stirpis ex ipso descendentes *XI*, eorumque ultimum Boneg fratri defuncto surrogatum, præclarum & verè regiam indolis juvenem, natum annos *XXIII* floruisse, cum sua scriberet Mendosa, anno scilicet Christiano *MDLXXX*: atque ab initio Hombu, excussisque Tartaris ad tempus istud præsens decurrisset annos *CC*. Quibus positus regnatum fuerit apud Sinas à principio Vitey regni conditoris ad annum jam dictum per annos quatermille, quadringentos, nonaginta septem, & regnandi initium incidisse in annum periodi Iulianæ *MDCCCLXVI*, mundi *MCXXXII*, atque ita diluvium antevertisse annos circiter *DXIII*. Quod unum vanitatem fabulosæ traditionis arguit evidentissimè. Et quod de Sinarum regno à Tartaris occupato hæc memoratur, id cum historia M. Pauli Veneti, ad tempus quod attinet, parum convenit. Nam cum eventum testis certissimus idem Venetus (vixit enim tunc in aulâ imperatoris Tartarici) conjicit in annum Christi *MCLXVIII*. (Sic enim numerus habet in exemplaribus Latinè editis). Secundum hos autem annales incidit ea res in annum Christi *MCLXXXVII*, ut de nominibus tum Tartari, qui Sinas occupavit, tum Sinarum principis, qui regnum amisit, nihil addam, quæ sunt hæc & illic dissimillima.

TEMPORA SICILIAE POSTERIORA SVB
NORMANNIS, SVEVIS, GAL-
LIS, ARAGONIIS.

Normanni ex Gallia, cujus partem jam dudum tenebant, in Italiam venere sub finem Ottonis *III* imp. aut initium Henrici *II*. Ambigunt enim de eo boni autores. Princeps venientium fuit Tancredus vir fortis, multorum filiorum fortium parens. Hi commorati aliquantisper in Gallia Cisalpina, ad faciendam stipendia contra Saracenos vocati in extrema Italia parte sedes posuere, & experti fortunæ vicissitudines varias Apuliam, Calabriam, magnam Græciam, Campaniæ bonam partem sibi subjecere. Atque hinc auxilia quoque rogati contra eosdem Saracenos transire in Siciliam, eamque insulam armorum jure, ejectis Saracenis, libentibus & faventibus, omnibus Christianis redegerunt cum progressu temporis in potestatem suam. In Apulia primùm loca aliqua occuparunt Græcis erepta, & dominatus fundamenta jecere anno Christi *MXLI*, duce Ranulfo quodam

dam origine Normanno, & anno sequente MXLII, ductorib. Tancredi filius, è quib. Guilhelmo Ferrobacho titulus Comitis Apuliæ tum statim est tributus: qui cum progressu tēporis potentiā auctā in titulum ducatus Apuliæ & Calabriae, demum etiam Campaniæ est commutatus. In Sicilia auspiciis suis contra Saracenos bello istuc translato, & Messanā oppidifq. aliis pedē figere & dominari ceperunt anno Christi MLXII ductu Roberti Guiscardi, & Rogerii Bossi fratrum, ejusdem Tancredi filiorum. Et Robertus quidem primis occupatis in Italiam rediit, & partis illic contentus Sicula fratri tenenda reliquit: isque deinceps Siciliæ Comes est nuncupatus. Qui cum jam omnes Saracenos aut insulā exturbasset, aut sibi subjecisset, grandi natu obiit anno MCI. Cui successit filius Simon, & huic post annum mortuo frater, filius Rogerii alter, patri ὀμάρου. Is extinctā stirpe patris sui Roberti Guiscardi Apuliæ quoque & Calabriae, quo nomine tum tota magna Græcia cum Brutiis & Lucanis censebatur, principatus sibi vendicavit, ac fortunā secundā elatus, repudiatis prioribus dignitatum nominibus regis Italiæ & Siciliæ titulum sumpsit anno Christi MCXXXIX, coronāque solenni ritu præsentib. Siciliæ & Italiæ procerib. multis Panormi, quam sedem regiam delegit, insigniri se curavit ipsis Eidib. Maij, fremente Romano pontifice Callisto, & successorib. ejus. Sed Innocentio II, qui arma contra eum corripuerat, à filio ejus Guilhelmo capto, & gratis etiam cum honore dimisso, Neapoli ab eodem, & regionibus aliis, quæ Græcis adhuc ad id tempus paruerant, donatus fuit; & id donum, ut tradunt scriptores pontificii, ab iis, qui Innocentio successerunt, ipsi fuit confirmatum. Verū dimisso Italiæ regis titulo, ducem & principem regionum, quas in Italia tenebat, ac regem solius Siciliæ ex voluntate pontificum appellari se Rogerius sivit. Post variam denique fortunam & multas res gestas diem suum clausit anno Christi MCLIV cum regnasset annos circiter XXIII. Reliquit omnia suo filio unico Guilhelmo, qui ab Adriano IV Papa non Siciliæ solum, sed etiam Neapolis rex est dictus. Et hic Guilhelmus è vita decessit anno Christiano MCLXVI, regni XV. Successit filius Guilhelmus II cognomento Bonus, adhuc adolescens, regnoque gemino feliciter & pacificè per annos XXV administrato obiit sine liberis anno aëræ nostræ MCLXXXIX, ultimus legitimi & masculini stemmatis Normannici. Nam qui ejus locum rapuit Tancredus, Rogerio regi expellente natus fuit, aut, ut quidam tradiderunt, suppositivus, nec ingenio, nec genere regno dignus: quem anno MCXCV mors absumpsit. Filium verò ejus Rogerium Henricus VI imperator, Suevus, Friderico I imp. natus, qui Constantiam Guilhelmi II regis amitam in matrimonio habebat, eodem illò anno propediem exituro regno dejecit: regnumque ipse nomine conjugis & infantis filii tenuit. Factum annis quasi LXVI post regium nomen à Rogerio sumptum, post initia patris ejus ὀμάρου in Sicilia CXXXIII, post jacta à Normānis prima dominatus fundamenta in Apuliā CLIV. Henrico defuncto, quinquenni filio ejus Friderico, qui post imperator ejus nominis II creatus fuit, cum matre Constantiā regna ceferunt anno Christi MCXCIX. Fridericus rex & imperator, cætera laudatissimus princeps, uno hoc se crimine alligans, quod Romanorum pontificum ambitioni & libidini per omnia nollet satisfacere, Siciliam & Neapolitanas ditiones inter tempestates à Pontificibus in se excitas graves & multiplices tenuit per annos LI, mortuus anno Christiano MCCII propè exeunte, die scil. XIII Decembris. Eiq. successere Conradus filius, imperator hujus nominis IV, Manfredus eodem patre Friderico sed toro illegitimo natus, denique Conradinus Conradi legitimus filius & heres unicus,

unicus, juvenis maxime spei: quæ statim in regni aditu primo victum & captum Carolus Andeg. Ludovici Gallie regis frater vocatus à Pontifice Romano, jubente eodem improbissimo Pontifice Clemente IV tyranno sanguinario Neapoli verè nefario judicio damnatum manu carnificis capite truncavit, principem innocentissimum, & totam Europam imò orbe toto eo seculo nobilissimum. Pugnatum fuit inter Conradinum & Carolum in Marforum regione anno MCLXVIII, die XXII Augusti, & Conradinus post prælium à victore Carolo in fugam interceptus, & post aliquot dies gladio carnificis subjectus. Duravit regnum Suevorum in Sicilia & Neapoli annos LXXIII: finitum post regni *ἀξίωμα* sumptum à Rogerio CXXXIX. Carolus Andeg. qui jam dudum à Pontifice contra Suevos vocatus armorum in Neapoli & ditionib. Neapolitanis potitus erat, & innocenti sanguine Conradini pollutus Sicilia quoque regnum invasit, omnibus Siculis vehementer invisus, invidiamque suorum insolentiam adaugens cum paulo antè eade omnium Gallorum, quotquot in insula erant, sine discrimine sexus & ætatis unam speram trucidatis Conradini manib. parentatum esset, anno Christiano MCC-LXXXII turpiter regno Siculo rursus exiit. Id occupatum est à Petro Aragonio rege, qui Manfredi filiam Constantiam uxorem habebat: A quo descendentes reges numero quinque Siciliam tenuere: quorum ultimus Fridericus III moriens anno MCCCXLVIII unicum filium hæredem reliquit, quæ nupta Martino filio Martini Aragonie regis, agnato suo regem Siciliae cum matrimonio suo fecit. Quo post conjugem mortuo, quod accidit anno MCCCCIX, pater ejus tum adhuc vivens Aragonie suæ regnum Siciliae adjecit. Atque ab hoc tempore quicumque Aragonie regnum habuere reges etiam Siciliae fuere: quod etiam nunc est in usu. Horum Aragonie & Siciliae regum in numero Alfonsus sapiens fuit. Ferdinandus filius, qui à Ioanna II Neapolitana regina adoptatus id quoque regnum accepit, vitæque decedens filio notho Ferdinando; quoniam legitimus liberis carebat, reliquit. A quo ad filium Alfonsum, ab Alfonso ad Ferdinandum II ex ipso natum, à Ferdinando II ad Fridericum patruum per varios casus pervenit. Hic à Ludovico XII Gallie rege regno exutus exul in Gallia obiit. Ludovicus verò regnum malè partum haud diu retinere potuit, occupante id Ferdinando Aragonie rege Caroli V imp. avo materno: penis quem, & successores ejus Aragonie reges deinceps mansit ad hoc usque tempus.

TEMPORA PRINCIPVM ET REGVM NEAPOLIS.

DE Neapolitani regni primordiis variant scriptores Itali. Hoc verò extra controversiam est, fundamenta futuri regni capisse à Normannis: qui ut antè expositum est, Apuliae quasdam partes Græcis creptas sibi subicere anno Christi MXXI, & sequente. Deinde longius progressi ductu Roberti Guiscardi & liberorum ejus Rogerii & Bocmundi, totam ferè Apuliam, & magnam Græciam cum Brutiis, quæ tum Calabriae nomine afficiebatur, Lucaniam quoque & magnam Campanie partem occuparunt, dicitque iidem illi ductores eorum Apuliae & Calabriae duces, & Capuae principes ceperunt. Extincta verò cum Guilhelmo Rogerii filio Roberti Guiscardi stirpe circiter annum Christi MCCCXIII, Rogerius Rogerii primi Siciliae Comitis, cui Guiscardus frater fuerat, filius, qui jam antè Calabriae partem à patre acceptam tenebat, omnes agnati ditiones Italicas suæ potestatis fecit: & post sexennium auctus tantis opibus Siciliae se regem, Apuliaeque & Calabriae ducem ac Capuae principem dixit: eosdemque

eosdemq; titulos Anacletus II antipapa Innocentio II Papæ oppositus, anno Christiano MCCC Beneventi, die V Calend. Octob. ei confirmavit, imperante tum in Germania & Italia Lothario Saxone. Ac licet Rogerius anno MCCCVII ab hoc Lothario totâ Italiâ pulsus fuerit, tamen intra vertentem illum annum, regresso istinc imperatore, amissa pleraque felicitate recepit. Anno autem MCCCIX, reliquis jam etiam omnib. recuperatis, cum Innocentium Papam bello se impetentem cepisset, ac mox cum honore dimisisset, ab eodem iisdem illis dignitatum titulis fuit ornatus, atque insuper Neapoli quoque urbe & oppidis quibusdam aliis, quæ hactenus sub imperio Græcorum manserant, donatus: quod tamen ab aliis memoratum silentio præterit Carolus Sigonius. Qui idem satis evidenter demonstrat libro ultimo de regno Italiæ, citatis tabulis publicis istâ ætate scriptis & signatis, Rogerii hujus posteros in Sicilia rebus à me commeratos totam quidem illam Italiæ partem, quæ regno Neapolitano continetur, cum urbe Neapoli possedisse, sed Sicilia tantummodò reges, Apulia verò & Calabriae duces, Capuæ principes, Neapolis, Salerno, Amalfis dominos se appellasse. Quem morem durasse ad mortem usque Henrici VI imp. qui Sicilia quoq; regnum nomine uxoris & filii administravit, obiitque anno MCCCVIII, comperio. Persuasum autem mihi habeo, ^{ad iu-} ^{ma} regium Neapoli & ditionib. Neapolitanis tum primùm tributum esse, cum Carolus I Andegavensis Sicilia ejectus à Petro Aragoniæ rege anno Christi MCCCXXII, in partibus Italiæ solummodo jam rerum potiretur, & titulo regio, cui assuetus erat, carere non vellet. Nam Fridericum quoque II reperio in epistola, quam ad Cardinales anno MCCCIX defendendi sui causâ contra intentatam sibi tertiam excommunicationem à Gregorio X Papâ scripsit, & in publicum emisit, nominasse se Romanorum imperatorem, Hierosolymæ (nam illic eodem anno mense Februario coronatus erat) & Siciliae regem, nullâ Neapolitani regni factâ mentione. Igitur Carolus I. Andeg. ab Urbano IV primùm, deinde à Clemente IV Papâ contra Manfredum in Italiam vocatus, & Romæ jussu Clementis à Cardinale legato, Clemente ipso Perusii morante, anno Chr. MCCCXXV solenni ritu, coronâ insignitus, Siciliae regno excidit anno, ut jam dixi, MCCCXXII, ac fato cessit anno MCCCXXIII. Cui in regno Neapol. successit filius ejusdem nominis, Carolus scil. II multorum liberorum pater ex uxore Mariâ Vngaricâ: è quib. natus maximus Carolus Martellus Vngariam per matrem adeptus est: alter tertiogenitus Robertus mortuo patre regnum Neapolitanum accepit anno MCCCIX, literarum & litteratorum hominum Mæcenas singularis. In hujus defuncti locum venit neptis ex Carolo filio præmortuo Ioanna I nupta primùm Andrago Vngaro agnato suo, deinde isto ob ignaviam interempto, Ludovico Tarentino item agnato, patris scilicet magni nepoti, ab Vngariæ rege Ludovico Vngaro anno Chr. MCCCXXX aut strangulata, aut suffocata, cum à morte secundi mariti Ludovicum I Andeg. sibi adoptasset. Atque hic Carolus everso æmulo Ludovico, regnoq; occupato ad Vngariæ quoq; sceptrum ex Italia revocatus reginæ Vngariæ fraude dicitur periisse anno MCCCXXXVI, superstitibus filio & filiâ relictis. In Italia filius Ladislaus ei surrogatus ex voluntate plerorumque procerum, sed non sine æmulo regnum tenuit. Æmulus fuit Ludovicus II Andeg. è priore genitus, jus patris repetens. Vicit tamen Ladislaus, regniq; pomeria dilatavit: iturus quoque longius, & forsan Italiam penè totam subactus, nisi in meridie rerum cursu mors eum abstulisset. Quod factum anno Christi MCCCXLV,

MCCCXIV, regni XXXIX. Cum liberos ipse non genuisset, heredem habuit sororem Ioannam II feminam impudicam, & valde variabilem, quæ primùm Ludovicum III Andeg. secundi filium, deinde eo rejecto, Alfonso Aragonensem cognomento Sapientem, & demum Alfonso quoque reprobato, Renatum Andeg. Ludovici III fratrem germanum adoptavit. Sed locum, quem semel ceperat, tenuit Alfonso regum sui sæculi longè optimus & clarissimus. Qui moriens sine prole legitima anno MCCCXVII testamento regnum hoc Neapolitanum legavit Ferdinando filio è concubina sibi nato. Atque is anno MCCCXCIV fato consumptus cum cognasset annos ferè XXXIX, successorem habuit Alfonso II ex se genitum, & Alfonso ob tempestatè à Carolo VIII Gallorum rege imminentem, cui sustinenda parem se non esse arbitrabatur, sponte cedens filio Ferdinando alacri juveni regnum tradidit. Sed & hic fulminantem fortunam declinans, & Carolo locum dans ad tempus, post ejus abitum statim in regnum revocatus, non totum biennium supervixit, resque omnes cum regno patruo suo Friderico reliquit. Fridericum sexennium non integrum regnantem Ludovicus XII Gallia, & Ferdinandus V Aragonia reges inita inter se arcana conspiratione, ne indicto quidem ex more bello, everterunt, & res eas hæc prætulere. Gallus jus Renati Andeg. à Ioanna II adoptati Carolo VIII antecessori suo per testamenti tabulas transcriptum, & à Carolo ad se devolutum esse dicebat. Hispanus regnum Neapolitanum seorsim quidem acquisitum fuisse ab Alfonso patruo suo, quod ad Aragoniam nihil pertineret, sed non sine regni Aragonici impendiis ajebat, atque idè impendiorum fructum quoque aliquem ad reges Aragonia pervenire oportere contendebat. Sed accidit heic, quod solet ferè in negociis hujusmodi accidere. Nam uterque rex *πλεονέκτης* expulso Friderico, regnoque occupato non diu concordēs manere potuerunt. De finibus enim in prædæ divisione cum non convenirent, intra vertentem annum in bellum inciderunt: in quo Hispanus victor virtute Ferdinandi Consalvi, exterminato Gallo, qui prior injurià Friderico inferendā fuerat, totum regnum redegit in potestatem suam, atque ad hæredes Carolum V nepotem ex filia, Philippum II Hispaniarum regem pronepotem, Philippumque III, qui nunc regnat, abnepotem transmisit. Ita Sicilia post separationem primam, quæ accidit tempore Caroli I Andegavensis, illa Italia pars secundum jam sub uno communi rege conjuncta fuit: prius regnante Alfonso Sapiente, iterum sub hoc Ferdinando V. Conjunctio prior facta est circiter annum Christi MCCCXXXIII, posterior anno M D III bello inter Gallum & Hispanum confecta. Duravit majestas regia Neapolitana ab eo tempore, quo Carolus I Andeg. Sicilia excidit, usque ad nos per annos quasi CCCXXXV.

TEMPORA REGNI HIEROSOLYMITANI
AB EUROPAEIS INSTAURATI.

Hierosolyma post excidium posterius in ruinis jacuit ad eandem ab Adriano imp. instauratam per annos circiter LVII. Instaurata autem quanquam à Romanis mutato nomine vocata sit Ælia Capitolina, tamen apud Iudeos & Christianos vetus nomen retinuit. Sed obscurior mansit usque ad imperium Constantini Magni, qui insigni templo illic structo, & loco ob memoriam Servatoris nostri honorato clariorem & frequentiore fecit. Dein cum tempore majora quoque incrementa cepit sub

imperatorib. Romanis usq; ad annum Christi Dionysianū **DCXV**, quo capta est à Cosroe rege Persarum & miserrimum in modum afflictā, ac penē sine habitatore relicta: qui annus ab instauratione Adrianā fuit **CCCC-LXXXVIII**, à desolatione Vespasianā **DXLV**, imperante Constantinopoli Heraclio. Cujus operā ac studio cum se recollegisset, anno Christi **DCXXXVI** à Saracenis Orientem tunc vastantibus occupata, & sordibus Mahometanis fœdata eorundem Saracenorum imperio ac libidini obnoxia mansit per annos **CCCLXIII**. In cujus temporis fine à Christianis Europæis principe Godofrido Bullionæo Lotharingæ duce recuperata est exterminatis Saracenis anno Christi **MXCIX** ipsis Eidib. Iulii, novoque regno illic instituto, idem Godofridus primus rex declaratus, coronā spicā insignitus est die **XI** Kalend. Augusti. Quo ex hac vita abrepto anno proximè sequente **MC** frater ejus Balduinus successor ei datus fuit. Regnum verò illud non solūm Palæstinam & Iudæam, sed optimam quoque & maximam partem reliquæ Syriæ comprehendit. Balduino **I** defuncto alter ejusdem nominis surrogatus fuit anno Christiano **MCXVII** prid. Kalend. April. qui captus à Turcis in prælio, & post **XVIII** menses, datis obsidibus libertati redditus magnis cladibus hostes affecit, & regnum feliciter ampliavit: mortuusq; anno **MCXXXI** successorem accepit Fulconem Andegavēsem. Fulco cum regnasset annos **XI** & bimestre ac dies aliquot, locum filio dedit Balduino **III** anno Christiano **MCXLII**, medio mense Novembri. Et is regno potitus annis **XX** cum trimestri hæredem & successorem reliquit fratrem suum Almericum, qui bello Ægyptum invasit, & Saracenis Damiatam ac Pelusium ademit, defunctus anno regni **XI**, Christi **MCLXXIII** die **V** Eid. Iulii: in cujus locum venit Balduinus **IV** ejusdem filius natus tum annos **XIII**. Hic leprā infectus cum liberos non gigneret, ex voluntate ordinum hæredem regni instituit moriturus Balduinum **V** adhuc puerum è sorore suā natum, curę Comitis Tripolitani commendatum. Sed eo quoq; statim post avunculum defuncto, vitricus ipsius Guido Lusignanensis regnum invasit anno Christiano **MCLXXXIV**, indignissimè id ferente Comite Tripolitano. Vnde discordia inter regni proceres orta Saladinum Saracenum Ægypti regem potentissimum, qui aliquot ante annos dominum suum Calipham in Ægypto interemerat, ac regnum invaserat, in Palæstinam attraxit: ille verò occasionem rapiens non regionem solūm depopularus est, sed ipsam metropolim, regni caput, Hierosolymam expugnatam Christianis ademit. In qua calamitate nihilominus placuit reliquiis Christianorum de regni jure inter se contendere, & scindi in partes: actumque tum sine dubio de omni fortunā eorum fuisset, nisi ex Germania, Gallia, Anglia, Italia, Pannonia, quò fama calamitatis pervolarat, auxilia opportuna & frequentia alia post alia advenissent, quæ cursum victoriarum Saladini inhiuere, & Ptolemaida, aliasque regni partes Christianis restituerunt. Interim & factiones durarunt in Palæstina, & Saladinus, terror Christianorum, è vita decessit, & regni *aliquot* anno Christi **MCCXVII** ad Ioannem Brennensem Gallum virum imprimis fortem delatum est, ac Tyri corona ei imposita, & ab eodem anno sequenti Damiatam Ægypti obsessa captaque, Hierosolymā tamen in potestate Saracenorum manente, culpā præcipuè ambiciosissimi legati Papalis, per quam Damiatam etiam rursus amissa. Postremò Fridericus **II** imperator ductā in uxorem Iole filiā Ioannis Brennenensis, qui auxilii rogandi causā in Italiā venerat, ac jure regni Hierosolymitani in dotem accepto, in Palæstinam profectus terrore exercitus sui eò compulsi Solidanum Saracenorum, ut Hierosolymā decederet. Ita ipse cum suis urbem

urbem ingressus anno Domini MCCXXXIX die xv Calend. April. solenni ritu gaudentib. Christianis omnibus, qui in Asia erant, solum fremente Romani pontificis factione, coronâ regiâ est ornatus. Sed eadem urbs Hierosolyma post annos XVI, cum flueret annus æræ Christianæ MCCXLIV, a Soldano Babylonio rursus Christianis extorta: eodemque illo anno mense Octobris Christiani ingenti prælio in Palæstinâ victi, propeque deleti fuere, vivente tum adhuc, & imperâte Frederico II verum intra vententem annum post hanc cladem extincto. Nec tamen propterea iidem sese deseruerunt freti oppidis compluribus, quæ adhuc tum illic, tum in reliqua Syria & vicinis regionibus tenebant. In quo numero Antiochia, Tyrus, Sydon, Berytus, Ioppe, Cæsarea, imprimisque Ptolemais in ipso litore cum percommodo portu sita: in qua Veneti & Genuenses ac Pisani præcipuum emporium mercium Orientalium constituerant, multo tempore concordēs inter se: sed anno Christi MCCCLX cum ruptâ concordia iidem in bellum exarsissent, grave detrimentum reb. Christianis intulere. Nostrorum quippe concordia res ipsorum debiles, discordia hostium valida facta, & Ægypti Soldanus Bondegar audaciâ sumptâ anno Christi MCCCLXVIII Syriâ cum exercitu percurrit, loca plurima cepit, Christianos ubiq; afflixit, in Armeniam quoq; impetum dedit, multaq; ibidem vastavit: inde reversus Antiochiam urbium Syriæ quondam maximam, tum fugâ propè desertam invasit, diruit, penèq; excidit. Anno autem sequente ad reparandam fortunam ex Europa magni exercitus in Palæstinam profecti, in quib. Eduardus Angliæ regis frater & Ludovicus IX Galliæ rex cum fratrib. in Africa Saracenos aggressus, labores & impendia perdidere. Nam & Gallum cum fratrib. duobus magnamq; exercitus ejus partem pestis ad Carthaginè absumpsit, & Anglum frustranea expectatio Galli, qui se in Syriam secuturum cum exercitu promiserat, & discrepantia peregrinorum consilia nullâ confectâ re domum redire compulerunt. Factum quadriennio ante quàm Rudolphus Habsp. imperator in Germania designaretur, & interregnum exitiale finem caperet. Inde novis armorum tumultib. inter reges & principes Europæ ortis non potuere nova auxilia laborantibus in Syria, atq; ad eò inter se quoque dissidentibus submitti. Quâ occasione Soldanus Ægypti anno Christi MCCXC cum maximo exercitu Tripolim Palæstinæ invasit, cepit, excidit, infinitam multitudinem Christianorum trucidavit: Tyrum, Sidonem, Berytum simili modo oppressit, & vastas fecit. Eodemque anno ad obterendos penitus Christianos Europæos in Syria, totâque Asia submovendos Soldanus Babylonius in Palæstinam cum exercitu CL mill. armatorum venit contra Ptolemaidam, quæ sola operibus & præsidio benè munita Europæis erat reliqua: atque eam bimestri occupavit & funditus evertit, ut ne reliquæ urbis ullæ superessent. Hic finis regni hujus Hierosolymitani ab Europæis conditi: quod ab urbe à Godofrido Bulionæo captâ ad hanc cladem Ptolemaidis duravit annos CXCI. Qui cladi huic superfuere Christiani, in Cyprum, in qua tum Guido Lusignus Gallus regnabat, & partes maritimas Siciliæ à nostris adhuc habitatas, & Armeniam Christo adhuc parentem confugiebant.

POSTERIORA TEMPORA IMPERII CONSTANTINOPOLITANI atq; etiâ IMPERII in OCCIDENTE INSTAURATI.

Constantinopolin, de qua diximus antè, novam quoque Romam quondam appellarunt. Ea imperatorum Christianorum in Oriente præfidentium sedes ac domicilium mansit per annos MCCXXIII. Quib. circumactis à
T i i j Turcarum

Turcarum imperatore Mahomete II fuit occupata, cum fuisset annus æræ Christianæ MCCCCLIII, cujus hæredes in hunc usq; diem eam retinent, ac pro arce imperii sui habent. Orientis verò imperatores se Romanos quoq; nuncuparunt duas ob causas, tum quod nova Roma ipsis sedes esset, tum quod totus Oriens cum Thracia, Macedonia, Græcia, Illyrico nobilis pars esset universi imperii Romani latè olim patentis: quanquam ipsi plerique post extinctam Theodosii magni domum, & mortuum Marcianum origine, linguâ & institutis Græci fuerint, & imperatores etiam Græcorum sæpe sint dicti: præsertim post imperium Occidentis à Carolo Magno instauratum usque ad finem Isaaci & Alexii Angelorum. Quo spacio decurrerunt anni quasi cccciv: *ἡρώδης* autem imperii extinctâ stirpe Leonis III cognomento Isauri scelere ambitiosissime foemine *Ειρηνίς* Atticæ vagatum fuit per varias familias: diutissimè verò hæsit in familia Basilii Macedonis, qui ex ima fortuna ad imperatoriam celsitudinem evectus anno Græcæ Christianæ DCCCLXVII, non parvis reb. gestis, & gloriâ paratâ ad filium primùm, deinde ad nepotem, pronepotem, duos abnepotes imperium transmisit, quanquam continuatio semel atque iterum per alienos occupatores sit interrupta. Abnepote autem posteriore Constantino sine masculâ prole defuncto, cum annus fuisset MXXVIII, filia ejus duæ Zoë & Theodora cum maritis in possessione ejusdem dignitatis altera post alteram successere. Deinde fluctuare aliquandiu successio, & imperium in diversas familias devolvi, donec in domo Comnenorum tandem adhefit: in quâ permansit continuò per annos plus minus ciii. A postremo denique Comneno Andronico parricidâ nefario devenit ad Isaacium Angelum anno Christi MCLXXXV. Isaacius à fratre Alexio post decennium in carcerem conjectus, & ex eo post annos viii rursus exemptus, dignitatisque priori restitutus cum filio Alexio imperii consorte vix octo mensibus elapsis ab Occidentalibus in Palæstinam iturus est eversus. Quo tempore Constantinopolis cum imperii titulo tradita fuit Balduino Flandrino: dictique sunt tum Balduinus tum successores ejus imperatores LATINI, ex Flandria aut Gallia orti, propterea quod ecclesiam Latinam, quæ tunc à Græca dissidebat, cum suis sequerentur. Caput Balduinus anno Christi MCCIV. Successores habuit quatuor: quorum ultimus Balduinus II à Michaele Palæologo Constantinopoli atque imperio ejectus anno Christi MCCLXI exeunte Latinorum imperium apud Constantinopolitanos finiit, cum durasset annos circiter LVII. Revertit imperii Orientalis *ἡρώδης* cum Michaele Palæologo ad Græcos. Michael ad hæredes suos Palæologos ex se progenitos id transmisit: hæsitque idem apud illos ad casum Constantini X, quem Mahometh Turca evertit cum totâ domo eo anno, quem antè notavi. Stetit incolume Palæologorum imperium annos cxciii. De reliquiis imperii ejusdem apud Trapezuntinos, quas idem Mahometh aliquot annis post, captâ Trapezunte delevit, quod exiguæ fuerint, non libet heic quicquam addere.

Imperii majestas postquam in occidente revixit resuscitata à Carolo Magno Francorum rege potentissimo, quod factum dixi anno Christi DCCC exeunte, retenta & conservata est à Germanis, in quibus veteres quoque Franci fuere: sed in una eademque gente non perstitit. Nam à Francis transit ad Saxones, à Saxonibus ad Francones, qui sunt ad Mœnum, ab his rursus ad Saxonem Lotharium, ab eo ad Suevos, à Suevis post aliquot intervallum, quo res variè fluctuavit, ad Habsburgenses aut Austriôs ab Habsburgensib. ortos, ab Austriis ad Lucelburgenses aut rediit ad Austriôs, penes quos in hodiernum usque diem manet. Et sic quidem

quidem *ὡς ἐν πλάτει*. Nam intervenere quædam hic illic, quæ ordinem hunc & seriem turbarunt. Quemadmodum enim Suevorum successionem Otto IV genere Saxo, sic Austriorum priorum Adolphus Nassovius, Lancelbergentium Ludovicus Bavarus primùm, dein Rupertus Palatinus interrupere. Et hi tamen omnes diversis gentibus orti imperatores natione Germani fuere. Duravit, ut notavi antè, penes Germanos imperii *αἰώνια* per annos DCCCXVII.

TEMPORA REGVM MAROCHI ET FESSAE IN MAVRITANIA.

Africam maritimam ab Ægypto usque in Oceanum Atlanticum distinctam olim à Romanis fuisse diximus in provincias majores quatuor, Cyrenaicam, Africam propriè sic dictam, Numidiam, Mauritaniam. Hanc Romani posteriores auctam adjectâ non parvâ Numidiæ parte in provincias duas distingere, Cæsariensem maxima parte in Numidia sitam, & Tingitanam. In Tingitana majorum & parentum nostrorum memoriâ duoplurissima regna fuere, Marochense Atlantico Oceano adjacens, & Atlantico monti appropinquans, Fessanum in Orientem magis vergens, & ad mare mediterraneum porrectum. Illud vetustius, hoc recentius, utrumque ab urbibus primariis regni capitibus Marocho & Fessa nuncupatum. Vrbes in gentes & Europæis hodiernis majores. Marochum quondam centum milia domorum continens cum ædificiorum publicorum magno numero, portis clausum *xxiv*, situm in longa latâque planitie, non procul ab Atlante monte: Fessa quondam minor, ubi Bilbilis olim fuit, ad Salam fl. cum perpetua regû sedes esse cæpit, & major & splendidior Marocho facta, Marochensibus frequentissimis Fessam cômigrantibus composita ex urbibus tribus inter se vicinis, & propè contiguis, domus nonagies bis mille complexa cum splendidissimis & plurimis ædificiis publicis sacris & profanis. Marochense regnum Fessano antiquius *vii* maximas comprehendit provincias, quarum partes quædam ipsum Atlantem montem transcenderunt: in quibus sufficiens regio lata & felix. Has provincias ut reliquas Africæ secundum mare porrectæ regiones multo tempore Arabes Saraceni Caliphæ scilicet, & eorum duces in potestate habuere. Quorum imperii cum indigenas cæpisset tædere, Abul-TeXifius origine Maurus circiter annum aræ Christianæ *mliii* regnum arripuit in patria, sedemque regiam Agmeti fixit. Hunc filius excepit Iosephus, qui regnum Fessanum, Tremezenum, Tunetanum in Africa, & Bæticum in Hispaniâ patrio regno adjecit, regnavitque annos *xxxv*, & filium natu majorem Halin opum suarum hæredem reliquit. Quo post septimum sceptri annum ab Alfonso *vii* rege Castellæ in pugna cæso, successit ejusdem Iosephi filius alter Abrahamus. Is ab homine obscurissimæ conditionis eversus opes omnes cum vitâ perdidit. Everfor Elmuhidinus regnum sumpsit, moriensq; tradidit filio Abdul-Mumen. Huic cum summum sacerdotium cum summo imperio per Africam tributum esset à populo, Marochum post annuam obsidionem deditum eidem fuit cum Isaaco principe Abrahami filio: quem ipse potestatis suæ factum manibus suis jugulavit: regni fines idem ad Tripolim protulit. Eum in imperio secuti sunt Iosippus filius, & Iosippum Iacobus Mansor literatus ipse & literarum promovendarum imprimis studiosus, Iacobum verò Mahumeth Enaser Iacobo natus, quem Mauri Miramilinum dixerunt, non in Africa solum, sed etiam in Hispania potens, sed hæc ab Alfonso *x* Castellæ rege ingenti strage correptus. A cujus morte filii discordes & inter se

T i i i j

armis

armis disceptantes occasionem dedere præfectis, qui Tremezenis & Tunes-
tanis præerant, deficienti. Quorum exemplum secutus Abdulacus fami-
liæ Merinensis Fessæ regnum rapuit circiter annum æræ Christianæ MCCX.
Hoc velut novum Fessani regni initium: cum quo Marochum urbs cum re-
gno capit consensere. Nam regni sede Fessæ constitutâ Marochenses
relictâ urbe suâ eodem frequentes se habitandi gratiâ contulere, atque ita
Marochum sensim desertum raros habitatores retinuit. Ex hoc Abdula-
co descendit ejusdem nominis alter, posteriorum ejus ultimus: quem Sciri-
fius quidam homo turbidus & regnandi cupidus occidit. Sed ipse vicissim
Scirifius à Saido Arzilæ præfecto vel ulturo dominum suum, vel regni
cupidine incenso oppugnatus victusque Tunetem fugere coactus fuit. Fel-
sæ regnum Saidus occupavit, cum ageretur annus æræ Christianæ MCCC-
LXXXI. Ex Saido orti fuere reges Oatazeni dicti, quorû tempore provinciæ
atq; urbes Africæ autoribus præfectis suis deficientes miserimû in modum
sunt afflictæ. Id duravit per aliquot annos, donec Scirifius alter cognomen-
to Hascenes, è provincia Dariensi Numidiæ oriundus, genus suum ad Sciri-
fium priorem, adeoque ad ipsum pseudopphetam Mahometem refe-
rens simulato religionis singulari studio novas in Africa res per filios suos,
sui simillimos, coepit regnante apud Fessanos Oatazeno Mahomete cir-
citer annum Christianum MDXII. Is literis egregiè cultus, & magicæ dis-
ciplinæ peritissimus, quibus & filios imbuerat, occasionem parandæ poten-
tiæ rapuit ex Lusitanis Mauritaniam tum forte infestantib. & res feliciter
gerentib. Nam contra eos primû, velut Mahometanam religionem di-
vino spiritu jubente, ex voluntate regis arma sumpsit, deinde eadem in
iplos Mauros interiores vertit, principemq; Dariensis regionis perample
se constituit. Sed ipse jam grandis natu à morte occupatus pertere
telam non potuit. Post ejus obitum, cum ex tribus filiis, quos moriens
superstites reliquerat, natu maximus non diu post in prælio occubisset, duo
reliqui, Hametes & Mahametes iisdem consiliis insistentes, quorum prior
literariæ scholæ moderator fuerat, alter regis Fessani liberos erudierat,
everso per fraudem Marochi rege, qui Fessano tributum solet pendere, Ma-
rocho sunt potiti: Hametes Marochi, Mahametes Susiæ reges appellati.
Interim, mortuo Mahamete Oatazeno Fessæ rege, & filio ejus Hamete
regnum jam adeptu, Scirifii fratres in hunc tributum poscentem armis
conversis, & ingenti prælio eo superato ac penè fracto, exitiali bello pau-
lò post se mutuò invasere, cum flueret annus æræ Christianæ MDXLIII.
Hoc bello minor natu Mahametes majorem Hametè in conflictu captum,
dimissumque, & in integrum restitutum, paulòque post arma rursus mo-
ventem denuò in prælio capit, & regno Marochensi exiit anno MDXLIV.
Tum bellum orsus est contra regem Fessanum, eumque etiam pugnâ supe-
ratum redegit in potestatem; mox eundem libertati redditum, sed pro-
missa non servantem armis aggressus, ipsam urbem Fessam occupavit, ro-
tumque regnum Fessanum sibi subjecit anno MDXLVIII. Nec eâ fortunâ
contentus Numidiam per filios invasit, urbem Tremezenam regionis me-
tropolim, agrumque longè latèque patentem cum oppidis pluribus sub-
egit. In quo fortunæ cursu cum tres filios variis casibus repentè amisisset,
efferatus, Fessanum, quem hæcenus vivum servaverat, occidit, totamque
ejus domum persequens & evertens universæ Mauritaniæ, ac multarum Nu-
midia regionum dominum se constituit. Hic morti vicinus inter filios
tres, quos superstites relicturus erat, sic comparavit, ut maximus natu Ab-
dala primû rerum potiretur, deinde succederet alter Melicus, & huic ter-
tius Munemes. Sed Abdalâ post patrem defuncto cum annus ageretur
MDLXXIV.

MDLXXIV, filius ejus progenitus Mahametes Niger posthabitâ avi voluntate regnum invasit exclusis patruis. Ex quib. Melicus, cui proxima successio debebatur, implorato frustra Hispani regis auxilio, eoque tandem à Turcarum imperatore, ad quem confugerat, impetrato, cum se Niger favitiâ apud omnes ordines invisum fecisset, bellum illi movit, & bis ingentibus præliis victor Fessâ ac Marocho potitus rex ab omnibus certantim faventibus est salutatus. Niger profugus quærendâ gratiâ opis in Hispaniam se contulit ad Sebastianum Lusitanæ regem juvenem indolis sanè eximie, sed animo magis quàm consilio magnum. Qui cum precibus ejus, & cupidinè gloriæ suæ obsecutus cum in Africam cum exercitu trajecisset, & pugnam commisisset, & ipse in pugna occubuit, & Melicus hostis ex morbo decessit, & Niger fugiens victores in flumine mersus periit, tres scilicet uno & eodem die, qui fuit quartus mensis Augusti anno æræ Christianæ MDLXXVIII. Melico successit in Mauritania & vicinis regionibus frater ejus Hametes, qui pro eo ægroto in acie dimicaverat, ut statuerat pater. Qui cum annos aliquot latè regnasset, è filiis natum maximum Mahameten in carcere, alterum Essedanem regem Fessæ, tertium Bufferon regem Marochi reliquit. Bufferus autem Essedanem regno exiit, idque ipse occupavit, filiumque genuit Abdomelecum, sed ante se extinctum: ex cæteris geniti fuere Abdalabejus Seccus obses pro patre apud patruum, & Mahometes matre Lusitanâ ortus. Ex Nigro quoque ante annos aliquot superstes fuit Muleius Philippus in Hispania sacris Christianis initiatus, item Bufferi frater Abdala cum eodem fratre vitam degens.

TEMPORA TELEVSINENSIVM IN NUMIDIA
ET TUNETANORVM IN AFRICA.

POST Fessani regni fines secutum superiori sæculo orientem versus regnum Teleusinum in regione veteris Numidiæ: cujus primaria urbs fuit Teleusina à mari procul recedens, quam Tremezenam quidam videntur appellare. In ora ejus est præter oppida alia Oranum negociationibus & munitionibus celebre, & eo celebrior Algiora, quam Iuliam Cæsaream quondam fuisse viri doctrinâ insignes arbitrantur, nobilis archipirataë Haradeni Barbarossæ Proregis Turcici sedes: sita contra insulas Baleares, & iisdem illis insulis, & Hispaniæ Italiæque oris ob commodum portum recipiendis classibus perinfesta: atque ideò gravi bello à Carolo v imp. parentum nostrorum memoriâ petita, sed ab eo non capta ob naufragium, quo exercitus ejus fuit afflictus. Hujus regni ortus & progressus est obscurus. Qua propter plura de eo dicere supersedeo.

Clarius verò regnum Tunetanum est in ea regione, quæ propriè Africa quondam dicta fuit, cum Romani rerum potirentur. Ei Metropolis est Tunetum oppidum nobile & copiosum, solo veteris Carthaginis vicinum. Id fuit jam tum fortunæ mediocris cum Carthaginis res maximè florent, ut ex Polybio & Livio autoribus optimis cognoscimus: sed incrementa multò majora accepit, Carthagine à Saracenis excisâ. Saracenorum enim pars regione hac occupatâ post Carthaginis ruinam sedes illic posuere. Regnum regiones complexum est peramplas & felices à finib. veteris Cyrenaicæ ad Teleusinos, comprehensâ bonâ quoque Numidiæ parte, solo ut plurimum sæcundo, oppidis & vicis frequens. Fuit aliquandiu in potestate regum, qui in Mauritania dominabantur, quorum imperium ad confinia Cyrenaicæ secundum mare mediterraneum extendebatur. Horum primus Abdul-Mumen fuit: cui filius Iosephus successit, Iosepho

Iosepho Jacob Almanfor, huic Mahometes, Mahometi filius Iosephus 11, qui a militib. regis Teleusini est cæsus. A quo tempore præfecti Tunetani excusso regum Marochensium imperio diadema ipsi usurparunt. Initium factum ab Abrahamo Zachariæ præfecti filio, qui Tunetanâ ditione non contentus urbem Teleusinam occupavit, ac regionem sibi subiecit: Maurorum regem Fessæ dominantem ad pacta secum ineunda adegit: Tunetum excoluit & auxit. Floruit circiter annum Christi MCCX. Eum in regno secuti per ordinem Belabes, Buffares, Manstasar Ottomenus, Iesaias, Abdel-Mumen, Zacharias, Mahometes, Assan, quem Melei-Assen vulgò vocant. Hic per cædes fratrum suorum paterno regno potitus post aliquot annos ab Hariadeno Barbarossa Algieræ regulo piratâ nobili, & claffis Turcicæ præfecto, eodem regno eiectus, à Carolo V imperatore, ad quem confugerat, anno æræ Christianæ MDXXXV in regnum armatâ manû reductus, eam quæ ob causam clientelam Caroli profectus fuit. Verùm hand diu post, ut facinorum suorum panas daret duriores, ab improbo filio Amida captus, oculisque privatus miseram deinceps vitam cæcus exegit. Surrogatus ei frater est germanus Abdimelech: sed hic cum vix uno mense regnum tenuisset, moriens filium Mahometem successorem reliquit. Quo etiam post quadrimestre per patrum everso, Amida ille, qui improbum facinus in patrem nuper patraverat, regnum invasit, tenuitque per annos aliquot. Sed ne heic quoq; claudicare videretur vindictâ divinâ, quæ patrem ulta fuerat, excitatus est Vlu-Zalis præfectus Turcicus, qui armorum vi Tuneto occupato Amidam toto regno exiit, coëgitque vitæ conservandæ causâ in arcem Guletam Tuneto vicinam à Carolo V nuper extructam, & valido præsidio Hispanorum munitam, confugere. Ita universa illa ora Africæ à Philenorum aris in Mauritaniam usque (Tripolim enim cum vicina regione jam antè Sinanè duce in potestatem redegerant) Turcarum imperio subiecta fuit. Atque hoc duravit ad annum, qui secutus est cladem Turcarum maritimam ad Echinedas insulas, qui fuit æræ Christianæ MDLXXIII. Quo anno Ioannes Austriacus idem ille exercitus imperator, qui cladis Turcicæ autor fuerat, ex voluntate fratris sui regis Philippi Tunetum invasit & capit, regemque ei & toti regno dedit Machmeten Almidæ fratrem: Amidam ipsam, ut invisum suis ob scelus in patrem commissum, nec gratum Hispanis in Siciliam cum filiis duobus, & hinc in Italiam deportavit: arcem per amplam & validam, ingenti- que præsidio aliquot millium recipiendo idoneam ad ipsam urbem Tunetanam molitus est. Verùm ista fortuna Machmeti & Hispanis perbrevis fuit. Nam anno proximè sequente, munitionibus Austriaci nondum confectis, ductu ejusdem Vluzalis urbs ipsa Tunetana, & arx nova urbi adhærens, & Guleta à Carolo V ante annos XXXIX ad tuendum regnum extructa in potestatem Turcarum redierunt. Regno Tunetano finis impositus, cum stetit ab Abrahami initio annos circiter CCCLXX.

VENETÆ CIVITATIS TEMPORA.

Merentur Venetiæ quoque seorsim ut dicantur. Nec enim alia civitas totâ Europâ liberior, magisque sui juris per multa sæcula nemini aut imperatori aut regi subiecta, nec terrâ marique potentior, nec recip. formâ melior, nec ædificiis splendidior, nec rebus gestis illustrior, nec autoritate apud summos principes major memorari ulla potest. Sitæ sunt in intimo sinu maris Adriatici, aut potius in maris ejus æstuariis in quæ se diversimodè ex regione circumjecta effundunt, formâ admirabili, ut nec incurrib. à terra,

à terra, nec classium violentiæ à mari pateat. Solum urbis, in quo ædificia
 stant, sunt insulæ complures inter se vicinae, quas rivi aut fluminum lapsus
 disjungunt, ita ædificiis occupatae oppletæq; ut ex aquis exurgere urbs vi-
 deatur. De principio ejus variant autores. Nonnulli fundamēta prima jacta
 putāt circiter annum Ch. ccccxxi, cum de expeditione Hunnorum, quo-
 rum feritatem omnes vehementer metuebant, fama primū Italiae illam
 oram terruisset. Tum enim ajunt honestissimos ex oppidis circumjacentib;
 conjuges & liberos, & quæ carissima habebant, maturè in eas insulas aut
 extremas continentis oras paludib; circumfusas atque ideò invias, confu-
 gii causā transfuisse, & eodem, cum commodum esset, se quoque recepisse.
 Alii factum id esse ajunt anno Christi cccclii, & tertio, cum Attila Hun-
 nus post expeditionem non satis felicem in Germaniam & Galliam, ex
 quā in campis Catalaunicis victus, & domum reversus ad Aquileiam ur-
 bem Venetiæ maximam oppugnandam accederet. Tum enim in eadem
 illa loca cum suis confugisse optimos & ditissimos, ac nobilissimos quosq;
 cum aliis ex oppidis regionis Venetæ, tum præcipuè Aquileienses & Pata-
 vinos, & hos quidem in Rivo alto, quæ præcipua hodiè & nobilissima pars
 Venetiæ est, illos verò Gradi consedisse, & domicilia illic sua collocas-
 se. Prior sententia Antonii Cocci Sabellici est, civis Veneti, & scripto-
 ris rerum Venetarum diligentissimi, posterior Caroli Sigonii industriâ in-
 inquirendo vero nihil Sabellico cedentis. Est & tertia sententia Flavii
 Blondi, qui ad annum Christi cccclvi principium hoc Venetiæ re-
 fert, ad id nimirum tempus, cum jam Aquileja ab Attila esset eversa, &
 tota illa ora Italiae ab eodem pervastata: tum enim metu similibus calami-
 tatum multos mortales, præsertim honestioris ac lautioris fortunæ in lo-
 ca illa invia & inaccessa commigrasse. Quas sententias conciliaveris re-
 cte, si statueris prima initia valde fuisse tenuia, forsan etiam, cum Attila aliò
 impetum suum convertisset, & Italiam intactam relicturus putaretur, rur-
 sum deserta: postea verò, cum jam certum esset contra Aquilejam cum ve-
 nire, & vastitatem Italiae minari, frequentius istuc esse commigratum, co-
 gitatumque seriò de sedib; ibi figendis, eaque initia secunda proximis an-
 nis, cum locus tutus pluribus arrideret, & pericula similia metuerentur ab
 influxu gentium barbararum, aucta quoque fuisse. Urbem novam Vene-
 tias dixere plurali numero, tum quod profugi ex plurib; Venetæ regionis
 oppidis heic confederunt, tum quod in pluribus insulis condita velut mul-
 tiplex quædam urbs esse videretur. Primū eam Consules gubernarunt,
 exemplo Romanorum sic nuncupati: deinde Tribuni, ex singulis insulis
 singuli electi cum potestate perpetuâ. Quorum finem quidam conjiciunt
 in annum conditæ urbis cccxcvii, aut cccxcvi, alii in annum cclxxxii,
 nonnulli quoque in cccxxx. Nam quemadmodum de initio urbis non
 conveniunt inter se autores, ita etiam de tempore isto. Interea verò dum
 hi civitati præfuere, res ejus plurimum crevère tum civium frequentia ac
 opibus, tum urbis amplitudine & splendore: Sic enim ferè accidebat,
 quando tempestas aliqua vicinis oppidis à Gotthis & Longobardis ingru-
 bat, quod sanè factum sæpe, id ut cederet in incrementum Venetiæ,
 cum aut tempestatem fugientes, aut ex tempestate elapsi huc sese confer-
 rent. Tum etiam Opitergio à Rothare rege Longobardorum deleta, re-
 rum potiunte Heraclio imperatore in ipso stagnorum aditu, & paludum
 sine Heraclia, oppidum celebre & locuples, condita est in Venetorum di-
 tione, & everso Altino Torcellum extructum & frequentatū, & exundante
 multitudine Heraclienfium Æquiliū habitari captum & in oppidi for-
 mam redactum, Methamaucum etiam ædificiis occupatum. Post tribunos,
 cum

cum istius magistratus satias cepisset civitatem, Dux creari cepit velut civitatis totius princeps supremus, ad quem à tribunis, qui relinquebantur præfecti insularum suarum, provocatio esset: primusque dux creatus est Paulutius Anafestus Heraclianus suffragiis universi populi, magnaque ei potestas permessa legum freno minus adstricta. Factum id traditur anno æræ Christianæ DCXCVII, periodi Iulianæ quinquies millesimo cccc. Paulutio mortuo successit Marcellus Heraclianus, Marcello Hipatus Vrsus, quem populus potestate abutentem, & ferocius insolentiusque agentem, concursu facto anno ducatus ipsius XI occidit. Tum tædio potestatis ducalis loco ducis creatus est magister equitum, cui imperium tantummodò annuum. Sed post quintum magistrum equitum, placuit ducem rursus eligere. Electusque est Theodatus Hipatus Vrsi filius, circiter annum Christi DCCLII. Atque id institutum duravit deinde in rep. & pervenit ad nos, sed non sine crebra mutatione. Nam per aliquot sæcula eligendi arbitrium mansit apud universum populum, celebrataque electio est sæpe tumultuariè; uti solet in magna confusaque multitudine fieri, & laxior fuit ducum potestas, quam reip. expediebat. Vnde accidit aliquoties, ut duces occasione potestatis immodicæ à recto declinantes, & in tyrannidem descedentes aut per tumultum popularem occisi sint, aut capti oculorum usu privati, aut in custodiam dati, aut in exilium pulsi. E quorum numero postremus quamvis innocens & princeps haud illaudabilis Michael Vitalis in ducum ordine XXXVII cum ob cladem in bello maritimo contra Emanuelem imperatorem Orientis fraude grassari solitum in injustam populi iram incidisset, & ex concione vociferante se subducens in templum velut in asylum confugere vellet, à factione inimicâ circumventus & lethaliter vulneratus occubuit anno Christi MCLXIII. Quam fortunam tres primi post magistrum equitum abrogatos Theodatus Hipatus, Galla, Dominicus Monegareus, experti sunt, orbatî oculis & magistratu privati: quanquam Dominico moderando feroci ejus ingenio annui tribuni bini adjuncti essent. Mauricio verò Galbaio, qui Dominico successor datus fuit anno Christi DCCLXIII, cum gratiâ apud populum floreret, & benè rem gereret, concessum novo prorsus exemplo, ut Ioannem filium collegam sibi adscisceret: quæ res & tunc; & postea à sequentibus aliquot ducibus in exemplum tracta non paucorum malorum in rep. causa fuit. Nam & Ioannes patri dissimillimus, & ejus filius Mauricius junior, quem rebus gerendis parens quoque admoverat, insolentia suâ & crudeli facinore in episcopum Gradensem commisso occasionem dederunt Carolo Magno belli difficilis per filium Pipinum Italiæ regem civitati Venetæ inferendi. Id abdicatis jam patre & filio ducibus, & successore Obelerio Anthenorio ducum octavo, ac fratre ejus Beato in imperii confortium admissio, gestum in extremum excidii periculum civitatem adduxit. Ex quo periculo cum vix eluctati Veneti essent partâ insigni victoria navali, Heraclia ab iis excisa, & populus Venetias traductus, civitasque incremento novo aucta, sedes ducis in Rivo alto, urbis parte præcipuâ, quæ hæcenus aut Heraclia aut Methamauci fuerat, collocata fixaque fuit: insula etiam complures propter populi frequentiam majorem, quam capere Rivus altus commodè posset, pontibus cum Rivo alto sunt connexæ: urbi nomen Rivi alti impositum. Hæc acta præcipuè Angelo Particiatio duce IX, qui cepit, ut plerique tradunt, anno Chr. DCCCIX, imperante etiam tum Carolo Magno, & præter tribunos annuos binos sibi à civitate adjunctos ipse potestatis ac honoris collegam sumpsit filium minorem Ioannem, & post eum abrogatum, alterum natu majorem Iustinianum, qui Ioanne

Ioanne assumpto absens apud imperatorem Constantinopolitanum fuerat. Et hic patri principatus ipsius anno xviii defuncto successit: & huic post biennium frater Ioannes à Justiniano collega paulò antè adoptatus. Cui variis casibus iactato, & tandem in cænobium detruso surrogatus Petrus Tradonicus post trigessimum administratæ potestatis annum tædâ cædè à paucis conjuratis interemptus est, cum æræ Christianæ annus fuisset dccclxiiii. Hujus cædis ulciscendæ gratiâ Triumviri capitales primùm creati sunt, qui iudicio constituto in autores inquisivè, & facinoris convictos exilii perpetui pœnâ affecèrè. Principatus ad Particiatios Vrsolum, & Ioannem prioris filium rediit. Post hos præter alios Candiani, Badoarij, Vrsoli, frequentes in eodem honore fuèrè. E quibus Petrus Candianus vir improbus, & in patrem patriamq; ingratus cum principatû in manifestam tyrannidem cæpisset vertere, principatus anno xxiiii à populo frenum mordente, & in tumultum actò multis vulneribus confosus est cum filio parvulo, ac utriusque corpus ad macellum projectum, ut à canibus lacerarentur. Et sunt, qui tradant ipsius ducis corpus in partes minutas à plebe concisum, & dentibus quoque feram in modum appetitum fuisse. Tantum tum in tyrannidem odium populi Veneti fuit: qui, cum tyrannus in aedes ducales confugisset, & ex iis præsidio armatis se tueretur præcipiti irâ ignem iisdem injecit, quibus aedes maximo impendio publicè structæ conflagrarunt. Factum hoc anno Christi dcccclxxvi imperante Ottone II. Post, principatum tenente Petro Vrsolo II, qui quartus fuit à tyranno trucidato, in deditionem acceptis multis per Histriam & Dalmatiam maritimam urbibus reip. Venetæ potentia multum crevit, princepsque non Venetiarum solum, sed etiam Dalmatiæ dux appellari cæpit. Fuit Petrus hic in ordine ducum xxv: cujus filius Otto Vrsolus patri surrogatus Dominico Flabanico autore princeps de reip. bene meritus cum ignominia pulsus est in exilium: ei que submissus a populo Petrus Centranicus eandem fortunam habuit. Hunc excepit ab eodem populo electus Dominicus Flabanicus Vrsolorum familiæ gravis inimicus, quo rogante lex lata est ab ingrata civitate, ne quis istius familiæ aut Dux fieret imposterus, aut ullum honorem magistratumvè caperet. Sed addita & lex alia reipub. utilissima, ne quis Dux posthac, quod eiusque in usu manserat, collegam muneris ac honoris sibi adscisceret. Atque is moris illius perniciosi, qui annis plus minùs cclxx in rep. duraverat, finis fuit. Flabanicum secutus Dominicus Contarenus laderam Dalmatiæ urbem rebellem domuit, Dalmatiamque reliquam in sine nutantem victoriâ suâ in obsequio retinuit. Contareno successit Dominicus Sylvius, & huic Vitalis Falerius, qui missis Constantinopolin legatis, impetravit ab Alexio imperatore, ut Dalmatia cum Croatia ex latronum manibus vindicata in perpetuum à Venetis teneretur. Quod factum circiter æræ communis annum mlxxiii. Post cum adeptus principatum est Vitalis Michaël I, sub quo expeditio Europæorum contra Saracenos cæpit ad recuperandam terram sanctam: in quam Veneti validissimam classem cum misissent, viam sibi aperuèrè ad opes suas in Oriente augendas, & jura optima in regno Hierosolymitano comparanda. Quarum rerum cursus sub Ordelapho Faledro, Dominico Michaële, Petro Polano, Dominico Mauroceno, Vitali Michaële II continuatus. Et sub Polano quidem Corcyra occupata, & Venetis subiecta, sub Mauroceno Histriæ urbes Pola, Parentia atque aliæ mare infestantes armis petita victæque, & Venetis tributariæ factæ: turris etiam Marciana, opus admirabile, ex cui cæpit: in Sicilia quoque privilegia egregia acquisita fœdere cum

Guilhelmo rege percusso: sub Michaële contra ingratiſſimum Orientis imperatorem Emanuelem, de quo & parente optimè meriti Veneti erant, bellatum. Quo bello poſt multa præclare à duce Michaële geſta, & Chium urbem & inſulam ditiori Venetorum adjectam, cum peſſimâ fraude Emanuelis, hujusmodi artibus graſſari ſoliti, incommodum aliquod acceptum eſſet, optimus dux iræ populi objectus, è concione fremente ſe ſubducens, ac in templum velut in aſylum contendens ab obvio inimico lethaliter vulneratus occubuit anno Chriſtiano MCLXXIII, principatus ſui XVII. Sic tempus hoc noto: quanquam non neſciam de anno Chriſti variare auctorum ſententias, & ſecundum rationes Petri Marcelli patritii Veneti, qui ſtilo non inepto vitas ducum Venetorum omnium ad ſuam uſque ætatem, & annum Chriſti MD, Latinè deſcripſit, annum Chriſtianum numerari MCLXX, aut MCLXXI. Sunt qui exiſtunt, indignam mortem Vitalis Michaëlis occaſionem præbuiſſe creandi primos X-viros, qui inquirerent in cædis autores, & reos ejus ſeverè punirent: quivè ſeditionem & conſpirationes turbulentorum è rep. tollerent, & ordinem aliquem darent certiore & commodiore eligendorum impoſterum reip. ducum, per quem caveretur, ne quis parum dignus ac idoneus ad honorem illum ſummum deinceps admitteretur: quique in parricidas, aut ſummi magiſtratus violatores ſeverè animadverterent. Sunt etiam, qui ab iis hac in parte diſſentiant, ſtatuantq; X-viros tunc creatos, qui rep. tantisper curarent, donec de ſumma rerum decerni poſſet. Donatus Gianottus in libro ſuo eruditiffimo de rep. Venetâ ſentit, ac rationib. bonis probat, iſto tempore magnum illud concilium omnium nobilium aut patritiorum certis legibus formatum & perenne eſſe inſtitutum, ac novum modum priore multo meliorem deſignandi ducis introductum, & magnam reip. converſionem eſſe factam: à toto enim populo ad magnum hoc concilium poteſtatem illam tranſlatam: à concilio viros optimos XI. eſſe deſignatos, qui ducem eligerent. Ita primus hoc modo novo electus dux fuerit Sebaſtianus Cianus, qui Michaëli caſo ſucceſſit, vir magnanimus, ut Veneti perhibent, ventofus ac elatus, ut alii cenſent. Cujus tempore columnæ vaſtæ magnitudinis advectæ è Græcia, & ad caput fori Marciani in urbe erectæ, Rivus altus ponte primùm junctus, templum Marcianum operibus magnis auctum, diſcordia graviffima inter imperatorem Fridericum I & Papam Romanum Alexandrum III poſt bellum difficillimum in Italia geſtum compoſita, nova poteſtatis ſymbola reipub. data, aut uſurpata, mare Venetiſ jactu annuli aurei deſponſatum. Poſt quem lectus Aureus Malipetra, aut Maſtropetrus (diverſimodè enim ſcribitur hoc nomen) poſt aliquot adminiſtrati principatus annos ſe ſponte abdicavit. Tum Henricus Dandalus claſſe numeroſiſſimâ inſtructus in Turcas res maximas in Oriente geſit: cum cæteris occidentalibus Conſtantinopolim coepit, & Balduinum Flandrum imperatorem illic conſtituit, Cretam inſulam reipub. Venetæ addidit. Petrus Cianus Sebaſtiani filius ſequens priorem annos XXII principatum tenuit. Cujus tempore multæ urbes maritimæ in Græcia, & multæ inſulæ maris mediterranei à civibus Venetiſ impendio privato, permittente rep. occupatæ, ac ſub clientelâ reipub. poſſeſſæ, tranſmiſſæque ad hæredes. In iis Methone & Corone, Gallipolis quoque in ora Italia, Corcyra, Eubœa, Naxus, Parus, Melus fuere. Reip. Venetæ imperium maritimum plurimùm auctum. Petrum hunc Jacobus Teupulus, Teupulum Marinus Maurocenus excepit, quem Maurocenū novâ comitorum ratione ac elegendi modo creatum Antonius Sabellicus contendit. Reinerus Zenus, quo principe difficillimū bellum cepit contra Genuenſes

Genuenses ortum ex discordia inter Venetos & Genuenses Pisanosque
 cives Ptolemaide negociantes: quo Veneti magnâ clade hostes ad Tyrum
 Syriæ Palestinæ, & Drepanum Siciliae affecerunt. Idem bellum sub tribus
 ducibus sequentibus quiescens sub quarto Petro Gradonico gravius rursus
 commotum, & priores clades totidem cladibus Venetis ad Corcyram, &
 Hellepontum à Genuensibus repositæ. Quibus accessere in urbe Venetâ
 conjurationes duæ, altera Marini Boconii in caput principis, altera Ba-
 jamontis Teupuli in ipsam remp. ad tyrannidem invadendam: utraque
 verò detecta: conjurati gravissimis suppliciis affecti. Ad hoc tempus
 conjurationis posterioris quidam referunt initium magistratus x-virorum,
 de quo antè dixi. Gradonicus dux obiit anno Christi MCCCIII,
 cum præsedisset reipub. annos XII & menses aliquot. Deinde inglo-
 rii duces aliquot usque ad Andream Dandalum, qui cepit anno Christi
 MCCCXLII: sub quo bellatum feliciter contra Vngaros ob Iaderenses, &
 contra Genuenses ob usum Pontici maris cum clade Venetorum ad Bospho-
 rum, & Genuensium multò graviore clade ad Caristum, & ad Calarim
 Sardinia: quâ posteriore Genuensium vires maritimæ infractæ. Urbs Ve-
 neta sædâ peste afflicta, & tribunal auditorum veterum in urbe institutum.
 Marinus Falerius Andream secutus ob affectatam tyrannidem cum sociis
 consilii carnifici traditus, & capite truncatus est anno æræ Christianæ
 MCCCXVI. Post illum quintus Andreas Contareus princeps creatus, ra-
 ro in mortalibus exemplo, principatum recusavit aliquandiu constantissi-
 mē, nec antè voluntati civitatis paruit, quàm minis gravium pænarum
 istuc fuit inductus. Eo reipub. præsidente urbs Tergestina sæpe rebellis;
 sæpe retracta sub imperium; denuò excussio imperio Austriacis auxiliis
 freta, sed victa ad obsequium rediit: arma etiam contra Carrarium Pata-
 vinum, & Ludovicum Vngariæ regem ejus socium sumpta, & variâ fortunâ
 gesta: ac simul recruduit bellum Genuense ex causa Cypria, quo pluries
 victi Veneti, totoq; ferè Adriatico mari profligati, amissâ quoq; fossâ Clo-
 diâ in ipsius urbis conspectu sitâ, tandem resumptis viribus, & hoste Fossâ
 Clodiâ rejecto vicerunt. Bellum post sextum annum sopitum. Antonius
 Venerius alter à Contareno tantâ fuit severitate, ut ob stuprum fœminæ
 patritiæ oblatum carceris pædore filium suum macerandum judicaret. Sub
 Michaële Steno, qui anno MCCCC Venerio successit, occasione ini-
 quitatis & sævitia Novelli Carrarii Patavini Veneti Vicentiam, Ve-
 ronam, Feltriam, Belunum Bassianum Veneti potestatis suæ fecerunt;
 Patavium ipsum occuparunt. Hæc initia imperii eorum in conti-
 nenti vicino: Iadera in Illyrico, vendente Vngariæ rege, pecuniâ cum
 omni jure empta. Sub Thoma Mocenico, qui mortuo Steno surrogatus
 fuit, Vtinum in foro Julio cum totâ regione in potestatem eorundem ve-
 nit. At sub Francisco Fuscario, qui anno MCCCCXXIII Mocenico successit,
 princeps longè clarissimus, fines imperii Veneti multò longius promoti,
 Brixia, Bergomum, Ravenna, Crema, totus ager Cremonensis cum op-
 pidis in eo sitis, exceptâ ipsâ Cremonâ, adjectæ: bellum cum Philippo
 Vicecomite Mediolani domino, cum Mediolanensibus cum Genuensibus &
 eorum sociis variâ fortunâ, sed sæpius Venetis secundâ gestum. Frideri-
 cus III imp. magnificè à Fuscario principe in urbe exceptus: Constanti-
 nopolis Christianis à Mahumete Turcâ erepta: Fuscarus fluente princi-
 patu sui anno XXXVI jam propè nonagenarius abdicatus, & paulò post
 vitâ functus est. Atque hic Venetæ potentia & fortuna istic crescentis
 terminus quidam fuit. Nam Cremonæ possessio, quæ post annos plus mi-
 nus XL à morte Fuscari accessit, momentanea tantum fuit, vix decennium
 durans.

durans. In reliquis verò imperii partibus quanquam præclarè sibi constaret Venetorum virtus, & non solum parta tueri, sed etiam partis adjicere alia, cum se offerret occasio, niteretur, tamen vi majore superata, non ubique æquè fortunata fuit. Etenim post captam à Mahumete Constantinopolin haud pauca iis per Græciam & regiones finitimas atque insulas ab eodem victore, cujus vis omnibus imperiis terribilis erat, & à filio, nepote, pronepote, abnepote adempta sunt: in Italia quoque, in Istria & Illyrico gravissimæ tempestates à regibus & principibus ac Romanis pontificibus, qui omnes ægris oculis florentem crescentemque libertatæ civitatis fortunam intuebantur, non semel contra eos concitatae sunt: semel etiam conspirantibus in eos, & vires conjungentibus Maximiliano Cæsare, Galliar, Hispaniaque potentissimis regibus, Ferrariensi & Mantuano principibus & Iulio 11 Papâ Romano totius conspirationis ἀρχηγὸν & classicum canente, sub prudentissimo duce Laurentio Lauredano resp. omni penè possessione in Italiae continente & veteri & novâ fuit exutâ, attamen paulò post eodem adhuc habenas tenente Lauredano, fortitudine, constantiâ, sapientiâ senatus ac procerum per omnem Venetiam, Cenomaniam, Forum Iulium sive Carnos restituta in integrum. Sed Ravennam, & quæ alia in Flaminia tenebat, ut bellatorem Papam placaret, & quæ non ita nuper à Ferdinando Neapolis rege in Calabria & reliquo regno Neapolitano acceperat, ad conciliandum sibi Ferdinandum Hispaniæ & Neapolis regem coacta est rursus dimittere. Interim verò insularum plerarumque; Corcyræ, Cephalenes, Zazinthi, Ithacæ, Cytheræ, imprimis Cretæ, Carpati, quas dudum possederat, item Cypri totius, quam paulò antè sub principe Augustino Barbadico, Laurentii Lauredani antecessore, benignâ aspirante fortunâ, sine impendio, sine labore acquisiverat, imperium retinuit & retinet etiam nunc, exceptâ Cypro, quam sub Aloisio Mecenico duce armis Turcicis superatam anno Christi MDLXX, postquam in ejus possessionem venerat LXXXVI, rursus amisit.

Forma reip. Venetæ Aristocratica jam ab aliquot sæculis præsertim post Vitalis Michaelis tempora, longè optima fuit, ac sine mutatione notabili, quæ ad rei summam pertineret, ad nos usque pervenit. Quanquam haud pauca leges ad statum rerum pertinentes interea latæ sint: quales hæ, Ne cui patritio magistratum delatum recusare impunè liceret: nefas esset principi ritè creato, nisi ob crimen gravius ab eo commissum, potestatem ac munus, dum viveret, abrogare: ut mox à principis morte in ejus acta severè inquireretur per Triumviros in eum finem creatos, an quid à defuncto contra jusjurandum in principatus initio reipub. præstitum, esset patratum, & si quid tale inveniretur, id ad Senatum à Triumviris iisdem referretur, qui de eo judicaret. Prius de principatu non abrogando latum dicitur statim à morte Fuscari principis optimi, cui munus ob ætatem paulò ante mortem immeritò erat abrogatum, perinde ac si latores facti illius sui pæniteret, idque lege latâ ipsi damnarent: alterum, defuncto principe Augustino Barbadico, bene quoque de rep. merito: & ex hac lege primùm in acta ejusce principis capit. Quales & istæ: qui in numero eorum, qui magistratus eligunt, aliquem nominarit, quem suffragia ad honorem aut munus promoverint, ut is velut fidejussor pro eodem sit, & si quid ab eodem commissum fuerit in fraudem reipub. eâ de fraude ut sponsor teneatur: Ut semper Triumviri advocati in rep. sint, qui legum sunt tutores ac patroni, & earum violatores judicio persequantur acerrimè, ex eoque laudem referant præcipuam, si in

si in eo præstent se severissimos. Ista verò reip. forma, & Senatus procedumque prudentia, gravitas, moderatio fecerunt, ut quamvis fortuna & opes haud parum decreverint, civitas tamen Veneta etiam nunc id nomen, cam autoritatem habeat, ut nullus penè princeps aut rex in orbe propinquo aut longinquo tam potens sit, qui non in foederib. aut societate cum ipsis haud parvum inesse reb. momentum in utramque partem arbitretur. Stetit hæc civitas ab initio sui, cum primùm condita est, usque ad tempus hoc præsens per annos MCLXV, à primo duce creato DCXX, à principio ductus Sebastiani Ciani, quo comitiis, & electioni principum novus modus putatur esse datus, & magna reip. facta conversio, quamvis aliud senserit Caspar Contarenius, CCCCXLVII.

TEMPORA GENUENSIVM.

PRÆter urbem Venetam quinque sunt aliæ in Italia citeriore, quarum res magnæ & illustres majorum nostrorum sæculo fuere, Mediolanum, Genua, Pisæ, Florentia, Ferraria. Et adde si libet sextam Bononiam. Harum GENVA Venetæ civitatis æmula potissimum fuit ob res maritimas, ad quas utraque à natura posita & comparata esse videtur, illa in intimo recessu sinus Adriatici, hæc in orâ Liguria, Tyrrhenum mare intuens. Eius vetustatem recentiorum quidam à Iano reperunt non aliâ ratione, quam quod corrupto vocabulo ab ineruditis hodiè Ianua vocitetur. Veteres bonæ fidei autores mentionem ejus nullam faciunt ante initia belli Punici II. Vnde suspicari licet, ante id tempus aut nullam, aut pertenuem, ac memoratu non dignam Genuam fuisse. Livius nos docet vergentem jam bello Punico II à Magone Pano Annibalis fratre captam ac dirutam anno urbis Romæ conditæ DCLIX P. Corn. Scipione, P. Licinio Crasso Consulib. & biennio post jussu populi Romani à Sp. Lucretio resectam esse. Deinde mentio ejusdem rara & parca in rebus Romanis, ob fortunam & umbraam ejus in Italia rursus per Germanos excitatam. Crevit potissimum negociationibus maritimis, per quas ita ditata est, & per divitias crescentes tam magnificis ædificiis substructa, ut superbæ nominem invenerit, & ambitum quoque suum ad quina passuum millia extendit. Primus libertatis gradus ei fuit sub Germanis imperatoribus eligendi præfectos, qui temp. gererent. Dein creati consules annui diversis temporibus diverso numero bini, terni, quaterni, quini, seni, deni etiam. Et his additi alii, qui cum his velut senatum constituerent, numero ferè XXIIII. Anno demum Christianæ æræ MEXC, jubente Frederico Barbarossâ imperatore, qui idem passim in urbibus Italiae instituit, Prætor Consulibus additus, qui cum temp. administraret, & judicia regeret. Atque is ex lege peregrinus ferè fuit. Antequam verò Prætorum usus in temp. fuit introductus, cum consules summum magistratum tenerent, imperium suum civitas plurimum auxit, multa loca in ora Italiae sibi subjecit, Corsicam Saracenis ademit, & suæ ditionis fecit, Sardinia quoque partem aliquandiu possedit, expeditionib. longinquis, Capham, quæ Theodosia olim fuit, præclarum emporium in Taurica Cherroneso situm, Peram exiguo maris sinu à Constantinopoli diremptam, Chium, Lesbum, multasque urbes alias acquisivit. Postea Cypro quoque manus injecit, sed diu eam retinere non potuit. Post prætores, præfecti etiam populi creati & prætorib. additi jam singuli jam bini: & hi interdum omitti, interdum domestici,

domestici, five ex civib. lecti, interdum externi, mirâ fluctuatione. Interim & factiones enatæ, familiis primariis inter se graviter dissidentibus. Quibus compescendis ad creandum ducem cum imperio annorum plurimum deventum: quorum primum Dominicum Fulgosum fuisse familiæ plebeie sed illustris & potentis Raphael Volaterranus prodidit, atque id factum scribit anno Christi MCCCXXVII. Alii primum produnt Simonem Boccanigrum XII annis post creatum, & sex annos munere functum. Idque institutum, semel modò per triennium intermissum ambitione archiepiscopi Mediolani, duravit ad annum æræ Christianæ MCCCXC, quo ob factiones Gualforum & Gibellinorum temp. turbantes civitas in fidem se contulit Caroli VI Gallie regis. Præfuerunt duces alii quinquennium, alii quadriennium, vel triennium, quidam septennium, octennium, quidam annum tantum modò unum, ut placebat populo: nonnulli quoque iterato ac sæpius potestatem hanc tenuere. Carolus cum annos XIII urbem in potestate habuisset, & insolentiæ præfecti sui eam amisisset, ex populi voluntate princeps ejus factus Ioannes Maria Vicecomes Mediolani dux. Sed hoc à suis interempto, dux rursus Genuæ creatus Georgius Adurnius: deinde alii. Post circiter annum Christi MCCCCXX Philippo Mariæ Ioannis fratris Mediolani domino se civitas subiecit, ac in fide ejus mansit annos XV. Post quos offensâ enatâ nuncium ei remisit, seque revocato creandi ducis more in libertatem rursus asseruit. Verùm istâ libertate nihil tumultuosius ac inquietius per annos XVII donec nimirum anno Christiano MCCCCLIII Petri Fregosi ducis culpâ civitas in potestatem Gallie regis Caroli VII relapsa est. Quo post octennium repudiato, & ab eo potestate armis nequiquam repetitâ, cum priores turbæ & seditiones redissent in scenam, anno MCCCCXLIV imperium urbis Francisco Sfortiæ Mediolani principi ultro delatum, & ab eo hæredibusque ejus pacatè possessum per annos XIV. Deinde Ioanne Galeaceo Sfortiâ rejecto, instaurata libertas, ducesque rursus electi: denuoque imperium Ioanni Galeaceo post decennium restitutum; à quo ad patrum Ludovicum Sfortiam, ab hoc ad Ludovicum XII Gallie regem cum ipso Mediolano pervenit. Sed nec hic, nec successor ejus Franciscus I tranquillam ac non interruptam ejus possessionem ob motus & vicissitudines rerum Mediolanensium tenere potuit. In his fluctibus Genua cum à Gallis teneretur, anno Christi MDXXII, auspiciis Caroli V imperatoris & Leonis X papæ Romani, populiq; Florentini, qui in Gallos in Italia dominantes conjuraverant, à Prospero Columnâ summo exercitus duce capta, ac toto triduo à militibus fædè direpta, imperioque Gallorum crepta fuit. Post quinquennium verò fluente anno æræ nostræ MDXXVII ab eodem Gallie rege recepta, ac paulò post libertate donata est. Tum autore Andreâ Auriâ novæ reip. forma ei data: ducis potestas biennio finita, successio sortitributa: duci additi gubernatores VIII, ac procuratores totidem, & syndici V: statutum, ut duces magistratu abeuntes inter procuratores sederent quoad viverent, ut singulis semestribus bini gubernatores transirent in collegium procuratorum, ac vicissim totidem procuratores in collegium gubernatorum, atque ita in curanda reip. singuli continuarent per quadriennium, biennium nimirum in hoc, & alterum biennium in collegio altero. Atque hæc forma sine vitio conservata sub patrocinio Caroli V imp. ac filii ejus, Hispanie regis per annos XLVII. Quibus elapsis, anno MCLXXIV, cum dissensiones rursus extitissent, interventu Maximiliani II imp. Hispaniæq; regis, ac pontificis Romani controversiæ compositæ, & vitia è reip. sublata, quedam etiam in formam meliorem firmandæ concordie causâ redacta. Quod factum anno MDLXXVI. Er hoc

hoc in status res manet ad tempus præsens. Bella gessere Genuenses, uti fit inter æmulos, contra Pisanos, sed multa graviora contra Venetos, cum quibus de maris imperio decertarunt. Quæ notavi punctim in rebus Venetis.

T E M P O R A M E D I O L A N E N S I V M
I N I N S V B R I A.

ME D I O L A N V M antiquissima urbs à Gallis Insubribus condita in felicissima regione subalpinâ auspiciis Bellovesi & Sigovesi, regnante apud Romanos Tarquinio Prisco. A quo tempore caput fuit Insubriæ, & regum ejus gentis sedes. Anno verò urbis Romæ *DXXXII* M. Claudio Marcello, Cn. Corn. Scipione Calvo Consulib. quadriennio ante initium belli Punici primi, caeso manu Marcelli Consulis Viridomaro Insubri-um rege, & opimis spoliis ei detractis, Mediolanum jam tum felix & am- plum à Romanis occupatum, Romanoque imperio adscriptum, nec ab eo unquam postea avulsum, & quoad Romanis mansit salva libertas. Impe- ratorum autem tempore adeò fortuna ejus & splendor crevit, ut eorum non pauci habitare Mediolani quàm Romæ maluerint. E quib. Trajanus re- giam illic struxit, quod Palatium est appellatum, & post eum Adrianus frequens ibidem egit, locoq; eodem delectatus est imp. Philippus Arabs. Et Maximianus Hercules Diocletiani collega Mediolani, ubi domicilii sedem, quoties à bellis quies ei erat, ut plurimum habere solebat, & ornan- da urbis gratiâ thermas magnifico opere struxerat, Constantium Chlo- sti fluente *CCCLIV* publicè declaravit, ac imperium solemniter deposuit, cum idem hoc Diocletianus Nicomediæ immisso in potestatem Galerio Maximino ex condicito eodem illo die fecit. Hic morati sæpe Constan- tinus Magnus, Constantius, Iovinianus, Valentiniani, Valens, sed nemo frequentius & libentius Theodosio Magno: quo sæculo Ambrosius epif- copus nominis sui claritudine non parum claritudini loci adjecit: qui obiit anno Christi *CCCXCIII*. Inde anno ejusdem æræ *CCCXLI* post excisam Aquileiam Mediolanum cum aliis oppidis Galliæ Cisalpinæ ab Attila Hunno captum & direptum. Post mediocri fortunâ usum regnantibus in Italia Gotthis ad tempora Vitigis: quo regnum tenente à Gotthis ad Belisarium præfectum militiae Romanæ pro Iustiniano Imp. defecit, ac propterea à Gotthis obsessum, ac fame intolerabili domitum, dedi- tumque ingentem cladem accepit. Nam *XXX* millia habitatorum masculini sexus sine discrimine ætatis crudeliter à victorib. contra da- tam fidem trucidata sunt; fœminæ & virgines servituti addictæ: mania urbis, & ædificia publica privataque diruta: urbs tota solo æquata, anno Christi fluente *DXXXVIII*. Ex hac calamitate & ruinâ sensim emergens Narsete duce Italiam gubernante, dein sub Longobardorum regibus per annos circiter *CCIV*, sed fortunâ, quam solet esse, minore quievit. Initio autem regni Francorum in eadem Italia, ex instituto Caroli magni novo jure ac more ornatum fuit Mediolanum, ut non ab alio quàm ab archiepif- copo Mediolanensi in fano oppidi Medoëtiæ novus Italiae rex (sic enim tunc regnum indigitabatur, quod Longobardicum ante fuerat) coronâ fer- reâ redimeretur, regnoque inauguraretur. Quo jure inflatus archiepif- copus paulatim primatum papæ Romani caput spernere. Exin urbs quoq; altius exurgens, & incrementa cum tempore capiens sub patrocínio im- peratorum Germanicæ gentis à magistratibus suis, quos populus eligebat,

regebatur, summum honoris & autoritatis locum tenente archiepiscopo velut ephoro: cui adjunctus erat praefectus vicem imperatoris gerens. Opibus auctis Mediolanenses insolentes turbas frequentes dedere in Italia maxime sub Suevis imperatoribus, vicinas civitates Laudem, Ticinum & alias graviter afflixere, causamque in se dedere Friderico I ejus nominis imperatori, a quo urbs obsessa & ad deditioem adacta, & altera vice ob fidem priorem violatam penitus excisa est, solumque ejus inaratum, ac sale conspersum. Quod factum anno Christiano MCLXII. Sed conjuratione & auxilio vicinarum civitatum urbs rursus instaurata munitaque, ac rursus ab eodem imperatore verum nequicquam obsidione cineta, sub Friderico II & imperatoribus secutis variis casibus agitata ad summum fortunae culmen rursus ascendit, factaque est omnium Italiae urbium post Romam maxima, quanquam saepe inter se plebeij & nobiles non animis solum & secessionibus sed armis quoque contenderint. Duae in ea familiae potentes factionum principes fuerunt, Turriani & Vicecomites. Vicecomitum origo ex vicaria potestate sive episcoporum, ut quidam volunt, sive imperatorum, quod sine dubio verius dicitur ab aliis, extitit. Hi paulatim imperatorum potestate per Italiam languescente, eorum potentiae pervenere, ut pro dominis urbis beneficiis haberentur, & jus suum in haereditate derivarent. Claritudinem praecipuam familiae dederunt Otho Archiepiscopus Mediolani, & frater vel ex fratre ejus genitus Mathaeus, qui ex magnitudine rerum gestarum Magnus est appellatus, Rodolfi I, Adolphi Nassovii, Alberti I imperatorum tempore florens, & ab his Vicarii titulo ornatus. Cujus filii & nepotes principatu paterno per amplexum, quo multae civitates nobiles istius tractus comprehendebantur, multo plures quoque adiecerunt, ut tota penes Longobardiâ jam Vicecomites hi potirentur. Pronepos vero ejusdem Ioannes Galeaceus, Galeacei II filius ingenti pecuniâ Wenceslao imp. verè voragini, & rerum imperii dilapidatori datâ ducis Mediolanensis titulum ab eo emit, & vicariam potestatem in jus feudale & certum perpetuumque vertit. Factum anno Christi MCCCXCV. Nec tamen nova hæc dignitas in familia ejus duravit ultra filios, quos duos reliquit, Ioannem Mariam, & Philippum Mariam, qui ambo, cum principatu functi essent alter post alterum, sine liberis maribus obiêre. Posterior decessit anno Christi MCCCXLIII. A cujus morte arma de principatu commota, per quae tandem anno MCCCCL principatus pervenit ad Franciscum Sfortiam Philippi Mariae generum per filiam ejus illegitimo toro natam, quam uxorem habebat, armis quam natalibus majorem. Huic filius Galeaceus Sfortia natu major successit, & ei a conjuratis civibus ob ibidinem trucidato Ioannes Galeaceus ex ipso genitus, & Ioanni porro, anno MCCCCLXXXVI fati abrepto, patruus Ludovicus Sfortia Francisci filius secundus genitus, primus Sfortiarum ab imperatore Maximiliano titulum legitimum principatus Mediol. nactus: sed anno MCCCXCIX à Ludovico XII Galliae rege, qui Vicecomitum hereditatem per aviam Valentianam Ioannis Galeacei primi Mediolanensium ducis filiam sibi deberi contendebat, armis petitus & captus, amisso principatu apud Bituriges in custodia mortuus est. Gallus Mediolani rerum potitus est ad annum Christi MDXII, quo ipse principatu hoc dejectus Helvetiorum & Venetorum Marte, & Maximilianus Sfortia Ludovici filius imperio paterno restitutus est. Sed & hic post triennium à Francisco Galliae rege Ludovici successore, ingenti praelio ad Marignanum non procul Mediolano caesis Helvetiis, qui Sfortiae stipendia merebant, eversus & in Galliam abductus illic vitam finivit. Franciscus victor conspiratione Caroli V imp. Leonis & papae Romani

Romani, & Florentinorum, ductu Prosperi Columnæ Mediolano, & totâ Italiâ expulsus anno *MDXXII*, successorem accepit Franciscum Sfortiam Maximiliani fratrem. Quo demum anno *MDXXXV* hac vitâ defuncto, Carolus v. imp. res Mediolanenses invasit, & filio Philippo Hispaniæ regi salvo imperii Germanici jure, moriens reliquit: penes cujus hæredem Philippum III in Hispania regnantem adhuc manent.

TEMPORA PISANORVM.

Pisas ajunt multis annis ante Romam à Græcis esse conditas in Hetruria ad Arnun flumen. Quarum post collapsum in Italia Romanum imperium, ac à Germanis instauratum non infirmæ res fuere maritimæ. Gessere imprimis multa contra Saracenos, & aliquando Sardinia potitæ sunt. Sed dudum mutata earum fortuna, fracta primùm armis Genuensium, dein domesticis Tyrannis oppressa, tandem à Ioanne Gambacurta venum data Florentinis, qui ita eam pressere, ut omnib. imperii & potentia veteris reliquis amissis civitas velut exoleta & viribus destituta in eorum obsequio delitescat.

*TEMPORA FLORENTINORVM
IN HETRURIA.*

Florentia ad eundem Arnun in mediterraneis Hetruriæ sita Fluentia olim nuncupata, à Fesulanis condita in planitie, vetustatis non magne. Quidam enim initia ejus ad tempora Syllana, alii ad ætatem Triumvirorum C. Cæsaris Octaviani, M. Antonii, M. Lepidi referunt. Sed fuere initia tenuia & obscura. Itaque rarissima Florentia mentio per multa sæcula. A Totilâ Gotthorum rege dicitur eversa, & in ruderib. relicta esse per annos plus minus *ccl.* Carolum verò Magnum tradunt captum loci commoditate eam instaurasse circiter annum Christi *DECCII.* A qua instauratione incrementum ejus primùm fuit ex everfione Fesularum, Fesulanis omnib. Florentiam translatis. Dein res civitatis quietæ fuere usque ad annum à nato Christo *MCCXV.* Tum, cum jam civium opes crevissent, occasione violatæ promissarum nuptiarum fidei à Bondelmontio viro nobili, in factiones discessit nobilitas: quæ cum semel erupissent, tam pertinaces civitati inhære, ut omnem modum earum, quæ in reliquis Italiae civitatib. fuere, superarent. Nobilitas sæpe cum nobilitate commissa est, sæpe cum eadem nobilitate plebs, non rarò plebs & nobilitas simul in partes scissæ; Guelphi cum Gibellinis, Nigri cum Albis contenderunt; contentionesque civiles non semel in pugnas & cædes, adeoque in bella civilia exarserunt, & factiones se mutuò ex urbe expulerunt. Vnde & frequentes extitè reip. mutationes, ut Euripus aliquis in reciprocandis motib. & politica conversionib. civitas Florentina esse videretur. Quas recitare me ordine nec instituti ratio posseit, nec proposita brevitatis permittit. Paucula tantum ex multis, huc quæ faciunt, notabo succinctè. Mortuo Friderico II imp. (obiit is anno Christi *MCCXII* jam jam exituro) reconciliatis ad tempus Guelphis & Gibellinis, civitas distributa fuit in classes *VI*, electique cives *XII*, quorum bini & bini singulis classibus præfecti supremam potestatem annuam in rep. tenebant. Eos Antianos vocabant. His additi fuere iudices duo peregrini, quorum alter Dux sive Capitaneus, alter Potestas dicebatur, iudiciis omnib. tam civilibus quàm criminalibus præerant. Atque huic statui tuendo ordo armorum non in urbe solùm, sed

sed etiam in agro Florentino institutus. Sed status hic intra vertentes annos xxxii quater mutatus, & potestas reip. ad societates plebejas mercatorum ac opificum traducta. Designati item xii ex his societatibus, quibus potestas non annua, sed bimestris tantum data: dictique pro Antianis Boni homines. Senatus verò iis adjunctus civium lxxx, quod consilium Credentiæ nuncupabatur: & præter eum alius quoque senatus virorum clxxx ex omni civium numero, distributus in partes sex, qui conjunctus cum Bonis hominib. & Credentiæ consilio conficiebat consilium generale. Denique institutum etiam collegium diversum à prioribus civium cxxx promiscuè è nobilitate ac plebe delectorum, cujus erat, decreta priorum collegiorum vel senatuum exequi. Dein & numerus summi collegii auctus, revocatis Gibellinis, quos Guelfi nuper urbe ejecerant, & pro xii facti college xiiii, & nomen iis principum datum, potestatiq; ex bimestri annua rursus facta. Et paulò post pro xiiii constituti tres cum potestate tantum bimestri, quos Priores artium vocarunt, & tribus his eodem anno, quo constituti sunt, additi fuere totidem alii, ut essent numero sex, singuli ex senis civitatis classibus reliquis non variatis. Prioribus verò Palatium structum, in quo assiduò versarentur, qui antè in templis convenire, & de rep. agere consueverant. Et dati illis tum primùm dignitatis augendæ causâ lictores, & ministri alii, ac dominorum quoq; nomen tributum. Hæc facta traduntur anno Christi mclxxxii. A sexennio autem, anno scilicet mclxxxvii, ut quidam censent, Capitaneus ex plebe designatus cum satellitib. mille in centurias x divisus, ad nutumq; ejus paratis, qui Priorum decreta exequeretur, ac munus haberet annum: quem Gonfalonarium sermone patrio, Vexilliferum justitiæ Latine dixerunt. Hæc contra insolentiam & injurias nobilitatis parata. Et cum ne hæc quidem ad eam coercendam sufficere viderentur, statutum ut justitiæ Vexillifer inter vi-viros Priores federet, & non mille, sed quatuor millia satellitum ad imperata facienda in promptu haberet: in vi-virum collegio viris nobilib. locus ne esset: in correos eadem pæna, quæ in principalem reum, caderet: fama publica de maleficiis aut criminibus nobilium pro justo testimonio valeret. Ad hæc anno mcccviii, quo tutiores à vi Priores artium essent, palatium aream auctum & munitum, carcerumque publicorum exstructio inchoata, & paucos intra annos absoluta. Anno etiam mcccix pomærium urbis ampliatur in id spacium, quod hodie quoq; manet. Crescebat enim civitas eo sæculo tum opibus tum civium numero, penè ut nunquam copiosior ac fortunatior fuerit, ut affirmat Nicolaus Machiavellus, quæ tunc ad xxx millia virorum ad pugnam idoneorum ex solis civibus suis, & lxxx ex agro subjecto armare potuit. Vnde autoritas totâ penè Italiâ maxima, & vires propè invictæ. Sed factionum furie ferè continuæ post istos annos fortunam ejus perdidit, & ex felice miseram fecere, cum Gibellini in Guelfos, Albi in Nigros, plebs in nobilitatem, nobilitas in se odia exercerent, & se mutuò attererent. In qua *ακαταστασία* nobilitas sensim muneribus reip. propemodum omnib. fuit exclusa. Et Robertus Neapolis rex ex desperatione rerum, & mutuo partium odio, cum accederet quoq; metus ab Henrico vii imp. in Italiam adventante, quem Florentiâ exulantes comitabantur, fluente anno æræ Christianæ mcccxi, princeps civitatis cooptatus, summoq; imperio potitus est in quinquennium. Quo per motus varios finito, novisque turbis à fine ejus exortis, rursus in magistratuum ordine aliquid mutatum, eorumque eligendorum ratio conversa. Nam hætenus sic observatum fuerat, ut selectorum munere suo annuo expleto, in fine anni magistratib. successores in annum

annum sequentem designarent. Tum verò magistratibus tributum, ut ipsi munere suo abituri successores sibi sufficerent, non in annum tantummodò unum, sed in menses xx : idque factum hoc modo. Eligebant tot cives ad gerendam remp. idoneos, quot ratio poscebat, eorumque nomina omnia in urnam conjiciebant. Ex ea urna deinde singulis bimestribus educebantur, quos per bimestre remp. gerere oportebat, donec omnes cum tempore circumactò educti essent. Atque hinc mos ille per urnam creandi magistratus in civitate inolevit. Cumque externa rursus pericula ingruerent, idem ille principatus, quem Robertus rex tenuerat, filio ejus Carolo Calabrię duci anno $mcccxxv$ fuit delatus. Qui vix triennium cum in eo fuisset, labente anno Christiano $mcccxxviii$ è vita decessit. Sed ambo hi pater & filius principatu legitimo contenti reliquum magistratuum ordinem, & reip. statum, qualem acceperant ex pacto illæsum conservaverant, quietis publicæ custodes ac protectores, non civitatis domini: quanquam avarè magis quàm par esset, principatum Carolus habuisset. Quam ob causam defuncto eo, conditionis hujus pertæsi Florentini plenam libertatem rursus amplexi sunt cupidissimè. Verùm repudiatis priorum senatum novum duplicem ordinarunt, alterum trecentorum capitum ex sola plebe, alterum ducentorum & quinquaginta ex plebe & magnatibus promiscuè: illum ex re consilium plebis, hunc consilium commune appellarunt. In vi -virum collegio, cum vexillifero Iustitiæ nihil mutatum. Verùm apud Florentinos eo sæculo nihil stabile, sed omnia omni propè momento conversionibus obnoxia. Itaque vexillifer Iustitiæ proximis temporibus modò unus, modò duo aut tres: tributuum quoque duces interdum plures interdum pauciores, cum bellum existeret: lecti è populo & à populo viri xx , qui ea, quæ istuc pertinerent, curarent: & bello gerendo dux externus designatus. Et cum occupandæ Lucensis urbis ergò arma essent sumpta, post Malatestam Ariminensem ob rem ab eo malè gestam Gualterius Gallus militaris rei peritiâ celebris, & civitati Florentinæ notus ad imperium militare vocatus fuit. Sed is vulpini ingenii homo cum urbem ingressus esset, abusus partium mutuo odio, quæ non ita nuper armis inter se in ipsa urbe dimicaverant, simulato concordia civilis sarcindæ & firmandæ studio, dementatisque omnibus, illius turbulenti clamoribus salutatus è vestigio principatum in tetram tyrannidem vertit, magistratus omnes uno edicto abdicavit, armorum usum civibus interdixit, exules civitati infensos revocavit, carceres publicos aperuit, vestigialia vetera auxit, nova addidit, denique ostentatam æquitatem ac humanitatem in crudelem & plusquam barbaram sevitiem contra omnes ordines plebejos, optimates, nobiles repente commutavit. Quapropter omnium odio vicissim in se converso intra anni spacium obsessus à populo fremente in Palatio ejurare potestatem & urbem relinquere coactus est. Princeps salutatus fuit anno Christi $mcccxlvi$, die vii Eid. Septemb. Vrbe exiit anno $mcccxliii$, postrid. Non. Augusti. Tum de nova ad ministrandæ reip. forma inter ordines civitatis convenit, ut eorum, qui ad gerendam remp. vocarentur, tertius quisque è nobilitate esset: reliqua muñera publica totidem nobilibus, quot plebeis paterent: urbis classes, quæ hæctenus sex fuerant, quatuor factæ: singulis terni principes præfecti, ex quib. summum collegium confectum: cui additum collegium aliud $viii$ virorum, quos consiliarios vocarunt, quatuor ex nobilitate, totidem ex reliquo populo lectorum: Iustitiæ vexillifer omissus. Sic honos reparatus nobilibus: quo si contenti esse voluissent, aut potuissent, benè fuisset ipsis, benè

benè reip. Verùm fortunâ hac insolescentes, & in contumelias in ordines cæteros effusi, & idcirco à popularibus in ipsa urbe oppugnati devictiq; semet everterunt, jusque recuperatum brevi tempore rursum perdidierunt, ac patriam novis turbis implicuerunt. Nam reformato reip. statu exclusis nobilibus, Iustitiæ vexillifero restituto, populus in partes tres divisus, factiones novæ Albiziorum & Ricciorum exortæ, & rursum Gibellini cum Guelfis commissi: quorum motuum initium factum anno MCCCLIII. Sed anno MCCCLXXVIII Sylvester Mediceus Alamanni Medicei fil. ex nobilissima familia popularium oriundus cum Iustitiæ vexillifer esset, & ejus successor Ludovicus Guicciardinus, uterque ingenio moderato, & boni publici studio, reprimendis Albiziorum, totiusque factiosæ ac insolentis nobilitatis consiliis, & admonitionis lege, quæ in exitium Gibellinorum, & omnium sedatorum civium erat comparata, ac tum urgebatur maximè, repellendâ ex præsentissimis periculis patriam eripuerunt. Et post hos Michaël Landonius artificio quidem carminator, sed animo supra sortem istam magno & excellenti, quod tum adhuc ignorabatur, à tumultuante humillimâ plebe ad idem vexilliferi munus evectus cum idem abjectissimæ plebi, cui multa jam tribuerat, omnia concedere, quæ concupiscebat, & eam supra cæteros ordines extollere non vellet, ejusque furoribus fortiter objiceret, eandem patriam virtute suâ conservavit. Nam qui in ima plebe erant lanificio dediti, panni tonsores, sartores & his inferiores melioribus. è populo ab injuriis superbæ & factiosæ nobilitatis, eorumque qui partibus Guelforum censebantur, per Mediceum & Guicciardinum liberati haudquaquam fortunâ contenti suâ, non solum illis adversariis suis, sed etiam ditioribus ac honestioribus in populo, qui in societatibus aut tribubus primis censebantur, infesti turbas in civitate ciebant, eorum domus invadebant, fortunas prædabantur, incendiis sæviebant, usurarum remissionem flagitabant, summos magistratus in ordinem cogere, ipsi honores illos, & potestates in se transferre maximam partem in animo habebant. In qua confusione ac tumultu Michaëlem, quem dixi, vexilliferum supremum crearunt, eumque pro arbitrio de tota rep. disponere jusserunt. Is autem ut commotos furentesque sedaret, multa primum ex eorum desiderio constituit, aggressus Priores quoque artium, quos dominos dicebant, & summa collegia abdicavit, quæ exosa plebi erant sustulit: ex minuta plebe quatuor Priores seu Dominos, ex societatibus majoribus duos, ex mediis totidem designavit. Reliqua quoque reip. munia tripartitò inter eosdem illos societatum ordines divisit. In qua partitione cum nimis parcum fuisse revoluti alia ipsi suæ cupidini propiora statuerunt, eaque publicâ autoritate collegii Priorum sanciri voluere. Tum verò Michaël vexillifer, qui in seditionis, & reliquam turbam compefcuit, remque ad quietem reduxit. Fuit hoc vergente mense Augusto, & Septembri jam imminente. Interea acciderat, ut ex statuto recenti, quo imis etiam ad honores summos aditus aperiebatur, duorum nomina hominum vilissimorum & infamium ex urna exirent, qui cum cæteris in Priorum collegio essent sessori, & summam reip. tractaturi cum summo civitatis dedecore. Quod cum suboluisse multitudini, eo ipso tempore, cum ineunda novis magistratibus muneribus essent (Calendæ Septembres ei rei erant à multis sæculis deputatæ) in foro conclamatum à populo est pudore & indignitate commoto ac fremente, nolle se ullo modo istius sortis homines in collegio isto ferre, velle verò ut duo alii eorum loco sufficerentur: simul oculi multis honoratioribus in sodalitatibus

sodalitatibus opificum aperti sunt, ut agnoscerent turpiter à se erratum, quod rejecto potentiorum jugo, & superbiâ eorum profligatâ putidissimâ plebi se subiecissent. Itaque retractata quædam priora: societates opificum infimæ sordis recenter institutæ, & ad gerendam remp. cum cæteris admittæ, rursus abrogatæ, munera plerisque, qui ad eas societates pertinebant, adempta: reliquæ societates in ordines duos majorum, quæ numero pauciores, & minorum, quæ plures erant, distinctæ: placuitque ut ex minoribus quinque, ex majorib. quatuor deinceps Priores artium designarentur, Vexillifer justitiæ modò ex his, modò ex illis eligeretur. Hoc modo resp. domi tum pacata; eaq; pax triennium duravit, sed non sine multorum magno malo, qui ob suspiciones conjurationum vel bonis multati, vel acti in exilium, vel vitâ privati sunt. Vnde novorum dissidiorum & motuum occasio, quorum finis fuit nova reip. ordinatio, quæ incidit in annum MCCCXXXI. Eâ id de imis & recentibus opificum classibus nuper abrogatis confirmatum: Guelforum partib. dignitates restitutæ; iis, qui censebantur in inferioribus opificum sodalitatibus jus adeundi dignitatem supremi vexilliferi ademptum, & pro media munerum reip. parte, quam hæcenus tenuerant, tertia pars tantum relicta, exceptis etiam in hac parte tertiâ dignitatibus summis. Ita multum de jure plebejo diminutum. Sed Guelfi cum nobilitate restituti acerbè & insolenter recuperato jure sunt usi: moderatorum consiliorum autores magno numero in exilia egerunt; atq; in his Michaëlem illum Landonium non de patrii solùm universitatis, sed de ipsis etiam in reprimendo plebis furore optimè meritum. Tantum acerbum erat apud illos partium odium. Iidem paulò post id quoq; effectum dedere contentione suâ, ut amplius labefactando plebejorum mediocri juri pars tertia munerum publicorum ipsis relicta ad quartam redigeretur, & justitiæ Vexillifero cum quatuor civibus aliis potestas daretur eligendi & scribendi certum & justum numerum virorum idoneorû ad remp. gerendam, ex quibus bini quotannis sorte ducerentur, qui principum aut priorum collegio affiderent. Atque hic reipub. status duravit diutissimè, si præcipua spectes, quanquam in eo nec factionum studia contentionesque vehementes abfuerint, & minuta quædam, summamque rei non tantum gentia sint mutata. Bella verò frequentia & gravia ab eo tempore, penèq; continua civitatem foris occuparunt, cum Mediolani principibus, cum Lucensibus, Veneris, Pisanis, Aretinis, Pontifice, regibus Neapolitanis, quibus gravia sæpè perpeffa & in arctum redacta, sæpè secundantè fortunâ victrix imperium suum per Hetruriam dilatavit. Mos autem hic in civitate inoleverat turbulentis temporibus, de quibus antè diximus, ut quoties in extremo discrimine res posceret ad Dictaturam constituendam aut reformandæ reip. convolaretur, quam Balam nuncupabant: quæ potestas non uni, sed plurib. interdum minori, interdum majori, imo maximo numero, quo tota quoque amplissima & frequentissima collegia comprehendebantur; potestas autem certo definitoq; tempore circumscribebatur: & tamen plerunque fiebat, ut confecto, cujus causâ Dictaturâ instituta erat, negotio, omnes Dictaturæ participes etiam ante impletum ejus tempus, potestatem deponerent. Et usus obtinebat, ut bellum cum esset collegium curatorum rei bellicæ constitueretur, in quo X, XII, XV, XX, sederent, & nomine reip. istuc pertinentia curarent expedirentque. Capitaneus verò judicii summi præses, & alter cui potestatis nomen erat, eisdem tribunali præfectus ex instituto vetere locum suum in rep. retinebant: & VIII. viri consilarii, consiliaque illa ampliora, quæ pro senatu minore majoreque erant, similiter permanebant: habebantque sodalitates opificum

opificum, mercatorum similibusque ordinum suos praefectos seu capitaneos ac vexilliferos, & syndicos societatum negocia procurantes: vexillifer autem summus, cui à Iustitia cognomen erat, inter Priores artium aut Dominos sedem tenens proximis temporibus ultra bimestre potestatem munusque non habebat, cum in annum olim habere soleret. Quod quando caperit, non est, quod norim, literis proditum. Contentiones verò inter nobiles, qui optimates & potentiae paucorum studiosi videri volebant, ac vetustum genus jactabant, & Guelfarum maximè partium erant, & eos, qui populares audiebant, multitudinemque colebant, item inter ditiores & honestiores in populo, & minutiolem plebem, quae amisso jure, in quod invaserat, in superiores invidiam movebatur, civitatem quiescere ut plurimum non sinebant, mutuisque odiis partes in partes incendebant. Imprimis autem optimatum & popularium studiis & aemulatione perpetua civitas turbabatur. In optimatibus & Guelfis tunc Albizii, Barbadorij, Vzani potissimum eminebant, in popularibus Riccii, Alberti, Acciajoli, & ante omnes Medicei funem ducebant. Post Silvestrum Mediceum familiae decus erat Verus Mediceus vir sapiens & apprime moderatus, qui adeo gratus populo traditur fuisse, ut si voluisset, nullo penè negotio feratur dominatum occupare potuisset. Qui cum è vivis abiisset, familiae facem extinctam accendit rursus Ioannes Biccius Mediceus vir praedives, & à natura mitis, humanus, munificus, quem favor popularis ad summum magistratus culmen sine ambitu, ait historicus Machiavellus, exivit. Puto de vexilliferi muneris Machiavellum loqui. Quò verò ascendit altius, eò se moderatorem in omnibus actionibus tulit. Aemulos praecipuos habuit Reinaldum Albizium vehementem in partibus optimatum, & Nicolaum Vzanium multò prudentiorem, atque ita sedatiorem altero, qui ut in partes suas Ioannem traducerent, omnem quidem lapidem, sed frustra moverunt. Hujus igitur prudentiam & aequitate multa incommoda, imprimis tumultus populares ob contributionum rationem à civitate dicuntur averfi. Obiit anno Christi MCCCXXXVIII, defunctus omnibus honoribus in patriam, cum petiisset nullos. Filios maximarum opum reliquit haeredes, Cosmum & Laurentium. Ex his Cosmus lampade acceptam in omni re gloriam patris longè superavit. In quem cum universus populus statim oculos cepisset conjicere, aemuli patris invidiam pariter & metu incitati (putabant enim facturum omnia, quae posset, id est dominatum, nisi occurreretur maturè, invasurum) in eum conspirarunt. Et cum oportunitatem nacti essent per sortem educto vexillifero suarum partium, quem insuper promissis & muneribus onerarunt, ut fortiter ageret, id effectum dedere, ut vocatus in Palatium velut iudicio sistendus vexilliferi operam non sine tumultu traderetur custodiae. Tum sine mora pro more dictaturam constitutam virorum eorum inquisitum fuit in caput ipsius, & omni studio allaboratum fuit ab inimicis, ut damnatus occideretur. Sed vicit frequentior sententia, ut Patavium mitteretur cum suis in exilium. Sententia illa pronunciata fuit anno MCCCXXXIII die VI Non. Octob. ut notat Machiavellus. Exiit urbe cum fratre & amicis contra insidias eorum, qui sanguinem ejus sitiebant, armatis stipatus ex voluntate summi senatus, & ad fines imperii Florentini deductus, gemente populo: à Venetis verò maximo honore exceptus non secus ac si amplissimam legationem obiturus venisset. Sed vix dum annus fuit circumactus, cum à vexillifero viro populari, & Mediceis favente relatum ad Priores artium est earundem partium studiosos de Cosmo in patriam revocando, fremens & nequicquam tumultuantibus ejus inimicis, constitutamque novam dictaturam sententia prior abrogata, reditusque Cosmo decretus; inimici
ejus

ejus magno numero in exilium ire iussi. Ita rediit Florentiam Cosmus cum suis lætante toto populo, declinante jam anno MCCCCXXXIV. A quo tempore quanquam integer ordo magistratuum ex forma solita maneret, paucis tantum leniter ex partium commodo inflexis, tamen à nutu eius universa pependit civitas non secus ac si in ipsius imperium concessisset. Tanta erat ejus etiam cum privatus esset, & domi suæ habitaret, apud multitudinem gratia & autoritas. Totoque illo temporis spacio, quo viginti & superstiti illi esse licuit (superfuit autem annos integros xxx) Florentia non quidem ab omnibus partium studiis ac æmulationibus, (id enim fieri non poterat) sed à turbis civilibus libera fuit. Id verò Cosmus operam præcipuè dabat per eos, quos obnoxios sibi habebat, ut urnæ, è quib. magistratus reip. præfuturi, ac decedentibus successuri, cum tempus posceret, educebantur, nominibus amicorum, & iisdem partibus benevolentium, clientumve suorum replerentur. Hunc in finem statim à reditu suo, cum caleret gratia, effectum dederat, ut quod ab ipsis adversariis inventum institutumque nuper fuerat, electio eorum, quorum nomina annuatim in urnam conferenda essent, in potestate esset paucorum cum iis, qui magistratu erant abituri. Et ut æquior esse in omnes videretur, etiam hoc curarat, ut omnis nobilitas demptis paucis in populi classem transcriberetur; utque Octoviri excubiis præfecti ex ducib. istarum partium semper eligendi vitæ necisque potestatem haberent. Atq; omnia hæc ut institueret ac tueri posset, opib. immensis quib. regum ac principum plerosq; penè æquabat, & admirabili sapientiâ, quâ plurimum pollebat, fuit assecutus. Opib. quippe utebatur valdè liberaliter, eoque modo innumeros homines sibi obligabat: sapientiâ verò solertissimè bona & mala, nocitura ac profutura discernebat, eventusque rerum prospiciebat, æmulosque interdum, connivendo ad studia ac desideria eorû iniqua & pernicioza, ferri ac ruere sinebat, ut experiundo edocti redirent in viam, & ab ipso malorum remedia quærent. Interim nemini modestiâ & comitate erat inferior, quanquam regum & principum censeretur amicus: ut cæteroqui mitis, ita in statuendis pœnis in eos, qui rebus novis deprehendebantur studere, terroris incutienti gratiâ interdum satis asper, non quidem per sese, sed per alios munitio se non muniret. Obiit satur dierum anno Christi MCCCCLXIII, ætatis suæ LXXV, pater patriæ à morte appellatus. Hæredem filium habuit unicum valetudinarium, bonum quidem, sed paternis virtutibus impari, & tamen eundem in rep. locum retinentem, fortunamque gratiâ, & gloriâ patris, ac relictis ab eo opibus sustentantem, petitum gravib. insidiis virorum in rep. maximorum. Quib. superatis, multisq; æmulorum ac suspectorum in exilium pulsus, morbo superatus ultimum diem clausit anno Christi LXXIX, ætatis LIII, principatus V. Cui filii fuere duo Laurentius Mediceus, & Julianus, hic à conjuratis in templo, dum sacro peragebantur, nefariè trucidatus anno MCCCCLXXVIII, ille mortem fratris acerbè ultus potentiam avitam, quam acceperat à patre, magno animo asseruit, conservavitq; quoad vixit, patre multò major, avo virtute & gloriâ non multò minor, inimicorum multorum, & in his Romani pontificis victor, non Florentiæ solùm, sed totius etiam Italiæ decus, decessit è vita anno Christi MCCCCXCII, à morte patris XXIII, ab avi reditu in patriam post exilium LIII die IV Eid. April. superstitib. filiis trib. Petro II, Ioanne, Juliano. Ex quib. Petrus in reip. gubernatione patri successit, eidè dissimillimus, non principatum, sed verum dominatum usurpare incipiens, cum inconsultis magistratibus anno MCCCCXCIII urbe egressus cum Carolo VIII Galliæ

Galliæ rege Neapolim cum exercitu petente de reb. civitatis transegiſſet, & in urbem reverſus ſentiret graviffimè ſe civitatem offendiſſe, & ne quidem in curiam ad purgandù ſe admitti, metu percuſſus, ſubitò cum fratrib. ex urbe profugit: nec ab eo tempore licet omnia tentans reditù in patriam, & principatum recuperare potuit. Populus in libertatè, Petro perduellionis dånato, ſe vindicavit, cum ſtetiffet iſte Mediceorum principatus à Cosmi ab exilio revocati reditu per annos LX. Et Petrus quidem exul periit: Ioannes autem Mediceus, ejus frater mortuo Julio II Papa Romanus creatus fuit anno MDXIII, Iulianus autem Hippolytum filium hæredem rerù ſuarum reliquit. Verùm populus haud multò poſt in diſcordiam actus, multaq; adverſa perpeſſus demum pœnitès ſtatus præſentis poſt varias deliberationes ſpe concordie melius impoſterum conſervandæ de vexillifero juſtitia, qui bimeſtris eſſe ſolet, perpetuo creando, qui inſtar ducis Veneti affiduà curà rep. complecteretur, ejuſq; perpetuus eſſet, decretum fecit. Creatus eſt Petrus Soderimus abſens anno MDII, poſt fugam Petri, libertatemq; reſumptam VIII, muneri illi ſanè par, & genere & virtute nobilis, Aretinæ urbi tum præfectus: iſque munus illud cum laude adminiſtravit ad annum uſque MDXII, quo ab Hispanici exercitus duce Raimundo Cardonâ ipſe civitate pulſus, & Ioannes Mediceus Cardinalis cum Iuliano fratre in eandem reductus fuit. Tum vexillifer bimeſtris rurfus creatus, & reliqua ex forma ſolita relicta: omnia tamen pro arbitrio Ioannis Mediceus, qui anno proximo Papa Romanus designatus eſt, dictuſque LEO X, deinde Cardinalis Iulii Mediceus, qui ſpurius ex Laurentii fratre fuit, & Papatum adeptus Clemens VII nuncupari voluit, per curatores Hippolyti adminiſtrata ſunt: donec Clemente Romæ in mole Adriani obſeſſo à Cæſarianis, atque in arctum redacto Florentia indigni imperii pertèſa priſtinam plenamq; libertatem repetiit. Quod factum anno MDXXVII. Papa verò fremens ut civitatem ulciſceretur, cum hoſte Cæſare rediit in gratiam, & poſthabitis contumeliis ab exercitu ejus acceptis coronâ eum ſe inſigniturum, & alios honores tributurum promiſit, ſi Cæſar viciffim auxilio ipſi in caſtigandis Florentinis, & ad obſequium Mediceorum iis reducendis vellet eſſe. Quod factum à Cæſare anno MDXXX adminiſtrante bellum ſummo duce Philiberto Aurantio, cõditiones deditiois dicente Ferdinando Gonzagâ Mantuano: princeps Florentie impoſitus à Cæſare & Papâ Alexander Mediceus Petri ex filio Laurentio nepos, illegitimo toro natus, cujus amita Catharina Medicea Gallorù regis filio Hèrico paucos ante annos denuplerat. Libertas Florentiæ antiquata, forma reip. alia à Clemente Papâ data, Alexandro perpetui Prioris titulus tributus. Is ſtatim exarmatis Florentinis validam arcem velut frenum urbi impoſuit. Cæſar verò poſt quinquenniũ, cum jam flueret annus Chriſti MDXXXV, datâ ei cõjuge filiâ ſuâ nothâ Margarethâ duceſ Florentiæ eum appellavit. Eo autem in libidinum æſtu à Laurètio Mediceo agnato ſuo biennio poſt fædè perempto, Cosmus Mediceus Ioannis armorù ſtudiis clari filius, qui ad Laurentium Cosmi primi fratrè genus ſuum referebat, Dux Florentiæ ab eodẽ Cæſare factus eſt, & indiſtriâ ac virtute ſuâ reb. Florentinis per univerſam Hetruriâ haud parum auctis, à Maximiliano II imp. magnus Hetrurie DVX eſt ſalutatus. Longævus enim fuit, & ad annum Chriſti MDLXXIV vivendo pervenit. Cui filius ſucceſſit Franciſcus, & Franciſco parenti is, qui jam rerù potitur.

FERRARIENSIVM TEMPORA.

DE Ferrariæ origine & nominis etymo digladiantur inter ſe ſcriptores Itali, & ipſi maximè Ferrarienſes. Ineptiſſimi ſunt, qui ex arca Nohæ ſtirpem

stirpem primorum conditorum deducunt. Hos proximè sequuntur, qui ad profugos Troianos originem referunt: Fabulae vanissimæ. Hoc verò certum est, ante Athilæ vastatoris & Theodosii II imperatoris tempora vel Ferrariam non fuisse, vel inter obscura oppida istius regionis delituisse. Sequenti dein tempore exarchatui accensa, & eo à Longobardis occupato, horum regib. subjecta fuit, ac deinceps eandem fortunam tulit, quam reliqua exarchatus regio. Inclarescere capit Henricorum imp. sæculo: paruitq; aliquando Mathildis scemine potenti in Italia, à qua dicitur cum multis oppidis & locis aliis Romano Pontifici esse donata. Demum in ditio- nem venit Atestinorum, qui genus suum Longobardis acceptum ferunt. Quorum primus Ateste cum titulo Marchionis beneficio Ottonis I imp. poritus Sigisbertus ex Alda uxore ejusdem Ottonis Imp. filia notha Vgo- nem genuit; & Vgo Theodaldum. Hic Ferrariam dicitur accepisse à Pon- tifice Ioanne XII, mortuumq; anno Christi MVII hæredè filium natu ma- ximum reliquisse Bonifacium Ferrariæ & Atestis dominum. Huic unica filia hæres fuit Mathildis matre Beatrice Saxonici stemmatis natâ: quâ sine liberis defunctâ anno MXXV, Ferrariam tradunt in potestatem Romani Pon- tificis esse revolutam: quanquam superessent Atestini plures à Sigisberta- tio orti, iique Ferrariæ quoque magnas opes tenerent: quorum series, & successionis expositio fluctuat apud scriptores. Ex his descendit Opizo Opizone natus, quem perhibent Vicarium Ferrariæ à Benedicto XII Papâ esse factum, aut in eo munere jam antè parto confirmatum; eundemq; Mu- tinam & Argentam quoq; tenuisse, & Papæ quotannis beneficii istius no- mine x millia aureorum pendisse: vitâ autem defunctû anno MCCCIII: huic successisse ordine filios tres Aldobrandinum, Nicolaum, Albertum: ex hoc filium fuisse nothum Nicolaum, eum patris locum invasisse & tenuisse circiter annum MCCCXCIII, atque insuper Rhegium Lepidi occupasse. Eodem principatum tenente, quod satis constat, concilium generale Ferrariæ celebrari capit sub Eugenio IV Papâ, ad quod episcopi Græci & ipse imperator Cõstantinopolitanus Ioannes Palæologus venêre, & fidei cõfes- sioni de Spiritu S. à patre & filio procedente subscripsere anno MCCCC- XXXIX prid. Non. Iulii. Ipse Nicolaus princeps optimus rerum potitus est Ferrariæ per annos XLVI. Obiit anno MCCCCXL. In locum ejus successit filius Leonellus non legitimo matrimonio ortus, cæteroqui bonus, & ho- nore dignus: quem excepit frater Borfius & ipse illegitimè natus ex alia matre omnes majores suos virtute & gloriâ procul superans: ob virtutem & sapientiam Mutinæ, & Rhegiâ à Friderico III imp. Ferrariæ à Papa Paulo II Dux appellatus, summæ autoritatis apud omnes Italiæ principes, litera- rum & literatorû amator ac cultor eximius. Caput à morte fratris anno M- CCCCXL: vitam reliquit MCCCCLXXI. Eum secutus est Hercules frater justis nuptiis editus, & Herculem anno MDV vitâ defunctum, filiorum natu maxi- mus Alfonsus variâ fortunâ jaçtatus, cui secundis nuptiis juncta fuit Lucre- tia Borgia Alexandri VI Papæ Romani filia famosissimæ libidinis famina, ex qua Herculem II sustulit cum filiis aliis tribus. Hercules II ex uxore Renatâ Ludovici XII Gallia regis filiâ, sceminâ laudatissimâ genuit Al- fonsum III, & Aloisium brevis ævi, obiitq; anno MDLIX. Principatum post eum accepit Alfonsus II tenuitque per annos circiter XXXVIII, virtute civili & militari celebris, eruditorum amator præcipuus. Decessit ex hac vi- tâ anno æræ nostræ MDXCVII senescente, ex trib. uxorib. Lucretiâ Flo- rentinâ, Barbarâ Ferdinandi Cæsaris filiâ, Annâ Mantuanâ, nullis genitis liberis. Cujus locum cum petiisset ex voluntate ejusdem atque etiam occupasset Cæsar Atestinus ex patruo defuncti, sed toro illegitimo natus, repudiatu

repudiatus à Papa est Clemente VIII, feudi Ferrariensis domino, & armis ad relinquendam Ferrariam adactus anno MDCVIII, Mutinâ & Rhegio retentis, quæ ad Papam non pertinebant. Papa, extinctâ stirpe legitimâ Borſii primi ducis, Ferrariam patrimonio Apostoli Petri, ut vocant, rursus adſcripſit. Effluxêre anni ab initio Borſii ad finem Alſonſii hujus II plus minus CXLVII.

TEMPORA HELVETIORVM
FŒDERATORVM.

Helvetiorum res proximis sæculis illustres & validæ fuêre: quas expoſuêre viri magni in Helvetia nati, eaque curâ & studio optimè de patria ſua ſunt meriti. Nos tempora eorum notabimus breviter, & miſſis antiquioribus tantùm ea dicemus, quæ ab initio fæderis pro libertate percuffi fluxêre. Occaſionem primo fæderi feriundò dedêre ambitio Alberti Auſtriaci imp. ex familia Habsburgica, & præfeſtorum ejus inſolentia ac aſperitas in veram tyrannidem degenerans. Id namque quærebat, ut populus relicto jure ſuo, quo ſolum imperatorem, velut imperii præſidem ac rectorem, nec quenquam alium, principem aut dominum agnoſcebat, in clientelam ſe daret domui Habsburgicæ ſive Auſtriacæ. Quod cum blanditiis obtineri ab eo non poſſet, tentata res eſt per imperia alpera & crudelia. Quæ cum ferre homines liberioris ingenii non poſſent, conſpirarunt inter ſe pauci primùm de tyrannide depellendâ. Primi fuêre viri tres rus ſuum colentes, in quos præcipuè, velut autoritatem inter vicinos habentes, inſolentia ac injuria præfeſtorum libidini imperatoris ſubſervientium incurrerant. Hi pluribus paulatim clam ſibi adjunctis ex tribus pagis, Sutiis, Vriis, Vndervaldiis, & re quàm maxime ſecretò habitâ, anno æræ Chriſtianæ MCCCVIII ſurgête ipſis Kalendis Januariis præfeſtorum, & eorum, quos ſciebant libertatis ſuæ hoſtes eſſe, arces omnes per eoſdem pagos cervicibus ſuis imminentes conſilio magis quàm armatâ vi ceperunt, dimiſſisque quos in iis deprehenderant, diruerunt. Tum tres pagi per legatos ſuos coeuntes conſenſu publico poſtridiè Kalendarum fœdus de tuenda libertate ſanciverunt, in annos X. Deinde cum res poſcere videretur (infeſtabantur enim fœderati à vicinis, qui Auſtriacis parebant, quorum magnæ per Helvetiam opes erant) anno MCCCXV caſis paulò ante ad Morgartum in finibus Sutiiorum Leopoldi Auſtriaci copiis, & aliis apud Vndervaldios eodem penè tempore fuſis fugatiſque, multis etiam interfectis, fœdus aliud inter ſe inierunt in perpetuum, ſignatum Brunna die VII Decemb. Hoc univerſæ ſocietatis Helveticæ, quæ deinceps maxima cepit incrementa, tenue fuit initium. Fœderis caput fuit deſenſio libertatis contra oppreſſores, ſalvo cuiq; jure ſuo publico privatoque: Omnis pactio ſine conſenſu ſociorum communi cum exterorum quoquâ prohibita. Iudicia more ſolito ſancta ut ſint, & vim ſuam habeant, ſtatutum. Huic fœderi deinde ſe junxêre Lucernates, qui oppidum habitant ad Ruſam fl. è lacu exeuntem ſubalpinum, offenſi gravibus injuriis Auſtriacorum, in quorum ditione tunc erant, quæ injuriæ ad minuenda eorum publica jura ac immunitates pertinebant. Facta hæc conjunctio anno MCCCXXXII menſe Novembri. Poſt hos eidem ſocietati ſe addidêre Tigurini anno MCCCCLI menſe Aprili, civitas perantiqua & inclyta, & potens in Helvetia ad amenum & ſpacioſum lacum civitati cognominem, quâ Limagus fl. è lacu erumpit in Rhenum ſe effuſurus. Hoc verò ut fa-
cerent, periculo ſuo commoti ſunt. Nam cum ante annos circiter XVII
exortâ

exortâ fortè inter cives & magistratum discordiâ forma reip. in urbe mutata esset, potestate à paucis optimatibus, qui Oligarchiam tenebant, ad plures, qui è tribubus per suffragia eligebantur, translatâ, offensi illi, qui cedere potestate cogebantur, & ob crimen insuper ad pendendam civitati multam poscebantur, relicta urbe in exilium concesserant, & magnam procerum ac nobilitatis vicinâ partem contra patriam concitaverant, bellumque commoverant. Deinde cum apertâ vi proficere se parum vidissent ad dolos versi, cum conjuratis alia omnia simulantibus in urbem se insinuarant, ut destinatâ horâ noctis, de qua convenerant inter se, cum oppidanis consilii secreti sociis, trucidatis, qui in magistratu erant, remp. invaderent. Sed re ad consulem per indicium delatâ eâ ipsâ nocte, quâ cædes erat facienda, repente vocatis ad arma civibus duce consule, pugnâq; nocturnâ in urbe coortâ, malum in ipsos erat versum. Qui evaserant, aut urbem ingressi non erant, foris rursus armis commotis, & pluribus in partes tractis, in quibus Habsburgii Comites erant, & denique Austriacis etiam concitatis bellum gravius parabant. In hoc igitur discrimine ut se societate munirent, fœdus cum Sutiis, Vriis, Vndervvaldiis, Lucernatibus inierunt, honorisque causâ ob potentiam & libertatem vetustam cedentibus. ultrò ceteris primum inter socios locum acceperunt. Mox verò excepit eos bellum ab Alberto Austriæ duce: idque malè compositum recruduit eodem anno, & Glaronenses fœderi eidem vergente jam anno adjecit: quemadmodum & anno sequente MCCCLII mense Junio Tuginos, Tigurinis & Sutiis confines oppidum modicum colentes ad lacum amenum, per quem maximè à Sutiis dirimuntur, Austriis parere solitos. Tum rursus Tigurum magno exercitu admoto obsessum ab eodem Alberto, obsidioque post mensem operâ intercedentium pacto soluta. Factum anni illius mediâ ætate. Post Tuginos ad fœdus idem venere Bernates anno MCCCLIII pridie Non. Martij, quorum urbs recens quidem, ante annos nimirum CLXII à Bartholdo Zaringensi primùm condita, sed omnium, quæ in Helvetia sunt hodiè potentissima, & tutissimo loco ad Arulam fl. sita, cujus fluxu propemodû cingitur, uno tantum latere angusto excepto, per quod cum reliqua regione conjungitur specie peninsula. Sed fœdus à Bernatibus cum tribus tantum pagis primis ictum fuit disertè, sic tamen, ut tacitè Tigurini & Lucernates quoq; pactis implicarètur. Deinde per aliquot annos gravia bella secuta sunt, & Tigurum anno MCCCLIV tertium ab Alberto Austriæ principe obsidio difficili, juvante eum ipso imperatore Carolo IV, pressum: multa, quæ solvendo fœderi essent, tum ab imperatore tum ab aliis tentata, fœdus in discrimen adductum, & penè peremptum: grave prælium anno aet. Christianæ MCCCLXXXVI à fœderatis commissum ad Sempachium in finibus Lucernensium contra Austriacos, & eorum socios, in quo ipse belli dux Leopoldus Austriæ princeps Alberti filius cum maximo nobilitatis numero cecidit VII Eid. Julii. Hac fortunâ fœdus firmatum, licet varia bella contra fœderatos resurgerent non ab Austriacis solum, sed etiam ab aliis; & arma quoque socialia cum summo discrimine in se versa, reliquis fœderatis contra Tigurinos commotis Tigurum ipsum obsessum, ab Helvetiis ceteris gravissimo prælio decertatum ad Basileam contra Ludovicum Gallia regis filium numerosissimas copias ducentem ad dissipandum concilium Basileense, quo ipsi quidem occubère, cum pauci numero essent, sed hostis vim ita fregere, ut is se sine mora, nullâ re amplius tentatâ in Galliam recipere cogeretur. Fuitque bellum hoc sociale diuturnum, sed tandem tamen facta concordia.

Rursum commota arma Austriaca à Sigismundo principe, quæ desistere

deficere in bellum Burgundicum omnium longè gravissimum, quo ter intra vertentem annum ab Helvetiis confœderatis aperto Marte victus, fufus, fugatus est, & maximis cladibus affectus Carolus Burgundiæ utriusque, & totius Belgicæ à Frisiis usque in Picardos princeps potentissimus & bellicosissimus, ad Gransonium, Moratum, Nanceium: quorum præliorum postremo ipse quoque super ingenti strage suorum occubuit. Id commissum in Lotharingia initio anni MCCCCLXXVII ipfis nonis Ianuarij die Dominicâ: Priora anno præcedente MCCCCLXXXVI in Helvetia postridie Kal. April. & XII Kal. Julii. Secutaque anno MCCCCLXXXVIII victoria illustri de duce Mediolanensi in Lepontiis, parta medio mense Novembri. Et hætenus octo tantum pagi, quos sic nuncupant, in fœdere Helvetico fuere, qui vulgò veteres sunt vocati, à quib. hæc gloria parata. Cum verò similtas ex æmulatione, & iniquâ, ut quidam existimabant, prædæ Burgundicæ amplissimæ divisione extitisset inter pagos quatuor vicatim habitatos, & totidem oppidanos, atque hi societate duorum oppidorum aliorum Salodori & Friburgi, quos fœdus commune non includebat, se munivissent, atque hinc major quoque discordia inter eosdem esset orta, tandem ad eam sopiendam anno MCCCCLXXXI in colloquio Stantiano apud Vndervaldios convenit, ut Salodorii & Friburgii communi fœderi adscriberentur. Ita ex VIII pagis fœderatis X facti sunt non sine fremitu domus Austriacæ, in cujus clientela ad id usque tempus à multis annis Friburgum fuerat, cum Salodorum in numero civitatum liberarum imperii Germanici, ut prius Tigurum, hætenus fuisset. Tum repetita & confirmata fœdera omnia priora, & contracta in fœdus unum, quod ex loco Stantianum est vocatum. Iterumque bella varia gesta post hoc fœdus contra Mediolanenses, Venetos, Austriacos, Suevos, quod difficillimum fuit, ad defendendam libertatem susceptum finitumque anno MCCCCLXXXI, in quod autore Cæsare Maximiliano multi principes, multæ civitates Germaniæ conspiraverant. Sed vicit etiam tum fortitudo & fortuna Helvetiorum multis præliis superior, uno solùm non magno superata: paxque meliore conditione horum quàm hostium facta: integra libertas fœderatis, cum omnibus locis bello occupatis relicta. Post quæ anno MDI amplissima civitas imperii Basilea ad Rhenum Helvetiis vicina, ut se contra insidias & injurias vicinæ nobilitatis, & exulum suorum tutam fieret, item Scaphusia supra Basileam ad eundem Rhenum Tigurinorum finibus propinquans & ipsa in numero civitatum imperii, sed Basilea multò minor, metuens sibi ab Austriacis, in quorum ditione olim fuerat, fœderi Helvetico quoque accessere: numerusque pagorum librorum binario rursus ampliat, ut conferentur omnes XII. Demum post gravissima bella ab hoc tempore in Italia, & Gallia potissimum gesta, primùm pro Galliæ rege, deinde contra eundem pro Sfortiis Mediolani principibus, quibus prior gentis gloria plurimum aucta fuit, maximè prælio atroci ad Novariam commisso, & exercitu validissimo in Burgundiam traducto, Divioneque obsessâ, Abbatiscellani, populus Alpinus jam ante liber post imperium Abbatis Gallensis, cui olim paruerat, excussum, anno MDXIII in fœderis societatem admissi fuere: numeratique ab hinc pagi XIII: nec deinceps ad præsens tempus pagorum numerus auctus. Sed præter hos pagos aliæ quoque civitates sunt non paucæ, & aliæ populi amicitia & societate cum fœderatis juncti, qui ex pactis auxilia fœderatis debent, & quibus vicissim auxilia ab his debentur, quoties res hinc inde secundum leges societatis poscunt. Quorum licet præclara conditio sit, tamen cum pagorum jure comparari non potest. Pagi enim communem aliquam

quam rempub. ex pluribus rebus publicis minoribus foedere inter se iunctis conficiunt, pari jure inter se in negociis, quæ ad rempublicam illam communem, & commune foedus pertinent; Excipe tantummodò, quod solis Tigurinis tributum, vel stato tempore, vel quoties res poscit, conventum pagis indicere, id est, universæ foederatorum reipubl. senatum convocare, in senatu conventuè illo præsidere, primumque locum tenere, agenda proponere, ante alios omnes sententiam dicere, peregrinorum regum aut principum aut civitatum legatis senatum dare, ac dicendi potestatem facere: item quod Bernatibus datum, qui omnes pagos potentia superant, secundo loco sedere, sententiamque suam promere: reliquos deinde certo ordine & sedem tenere, & quid de re proposita sentiant, exponere. Quæ tamen omnia hujusmodi sunt, ut magis honoris aut dignitatis, boniq; ordinis, quam juris aut potestatis alicujus præcipuæ esse videntur. Cæteroqui pagi omnes ex æquo veniendi ad conventum, assidendi suo loco, audiendi, deliberandi, exponendi mentem suam, suffragium ferendi, jus obtinent: & quod plurium pagorum sententiis probatur, id pro decreto habetur. Qui verò socii tantum foederatorum, aut reipub. hujus communis tantum sunt, his jura hæc non patent. Nisi forte gravis aliqua causa, quæ ad eos quoque pertineat, imprimis de bello aut pace agatur. Tum enim extra ordinem interdum illi quoque, aut ex illis præcipui, ut Rhæti, Gallenses, Mulhusii ad conventus hos vocantur, & ad dicendas sententias, ferendaque suffragia admittuntur. Quod tamen fit rarius. Quoniam verò præfecturæ quædam foederatis parentes bello partæ, aut alio modo acquiritæ olim fuere, priusquam posteriores pagi in foedus venere, quoties de earum negociis agitur, tantum illi ad deliberationes & suffragia admittuntur, aut statuendi potestatem habent, qui tum cum paratæ sunt, pagorum fuere numero: & ab his solis præfecti illis dantur. Interea singuli pagi seorsim suam rempublicam domi habent, quam habuere à majoribus acceptam, antequam foederi communi, velut reip. ampliori se jungerent, in eaque *αὐτόνομοι* sunt, & cum summâ potestate, nulli alteri subjecti, nec hujus ratione pagus in pagum ullum jus aut imperium tenet: quamquam alii aliis multò sint potentiores, pluresque & ampliores præfecturas possideant. Inter quos præcellunt Bernates, & post eos Tigurini, & post Tigurinos Basilienses. Nec domi omnes uno eodemque reip. genere gubernantur, sed alii aliis generibus gaudent: quæ tamen ad tria præcipua reduci posse clarissimus vir Iosias Simlerus arbitratur: scilicet, in quibus aut Consules, id est, civium magistri, aut Prætor, id est Schulthesius, aut præfectus, quem Ammannum vocant, summum magistratum tenent. Vbiq; tamen omnia ad plenissimam libertatem sunt comparata: regunturque singuli pagi per magistratus varios, ac per Senatum, conciliaque latiora, quorum omnium munera ab electione liberâ pendent, & vel semestria sunt, vel annua, vel biennialia: quondam verò etiam quædam munera continuabantur diutius. Quam omnem varietatem accuratissimè & doctissimè descripsit idem clarissimus Iosias Simlerus in libro de rep. Helvetiorum, qui lectione doctiorum, ac potissimum eorum, qui cognoscendæ disciplinæ ac prudentiæ civis sunt cupidi, est dignissimus. Habent verò pagi præfecturas complures, quarum aliæ communes sunt pagis pluribus, aliæ sunt pagorum singulorum: & quædam sitæ sunt trans Alpes Italico sermone utentes, aliæ easdem, quarum habitatores aut Germanicè loquuntur, aut Gallicè, differentes jure & amplitudine: nonnullæ libertati proximè; nisi quod præfectos à pagis accipiant. Ex populis quoque, qui societate pagis confoederatis juncti sunt complures numero, alii aliis dignitate, potentia, jure præstant,

præstant, & diversis temporibus ac diversis modis & conditionibus in societatem venêre. Clarissimi horum sunt Genevenses ad Rhodanum ex lacu Lemano erumpentem: tum Rhæti & Valesii, & his minores, Sangalenses, Rotevilenses, Mulhusii, Biennenses, Necomenses, & denique Abbas S. Galli cum cœnobitis suis. Ipsorum verò Helvetiorum fœderatorum res ac gloria istuc jamdudum peruenêre, ut imperatores, reges, principes, respublicæ, ipse Papa Romanus eorum fœdus societatemque sapius ambierint. Cèleberrima fœdera iis fuêre cum Gallis, Mediolanensibus, Hispanis, Austriacis, Sabaudis, Burgundis: à quorum plerunque honorario stipendio annuo, etiam cum bellum ipsis nullum est, ornantur. Duravit societas Helvetica, à quo tres pagi primi fœdus perpetuum pro libertate percusserunt, usque ad nos per annos cccii: à quo Tigurini ad fœdus accessêre cclxvi, à quo Bernates, qui postremi fuêre fœderatorum veterum, cclxiii, ab inito fœdere Stantiano, quo Salodorum & Frigorum adscriptis cxvi, à completo xiii pagorum numero civ.

Notandum verò in societate Helvetiorum etiam hoc, quod à quo tempore secessio facta est inter ipsos Helvetios in religione, quâ pagorum aliqui, principibus Tigurinis, à meretrice Babylonia discesserunt; ceteri cum eadem manserunt, sæpe fiat, ut Tigurum, Berna, Basilea, Scaphusa, Glarona Abbatiscellani seorsum conveniant; reliqui etiam idem faciant: salvo tamen fœdere generali.

RER. CHRONOLOG. LIB. V. 274
 TEMPORA TURCARVM OTHMENIDA-
 RVM SEV OTHOMANNORVM.

Turcae diu potentes fuere in partib. Orientis primum, deinde & in
 minore Asia, creveruntq; eorum vires & opes dissensione populorum
 aliorum; & maximè apud Europæos inclaruere post annum Christi
 millesimum nonagesimum, temporib. expeditionum sacrarum, cum So-
 limanno duce in minore Asia se iis objecere: & ab isto tempore sedem &
 imperium in eadem regione retinere per annos plus minus c. l. Deinde
 à Tartaris in Asiam influentibus vehementer sunt afflicti, & redacti in arc-
 tum. Sed emertere rursus circiter annum Christi mccc, labentib. reb.
 Tartaricis. Quà tempestate caput in Turcis efferebat Othmen Othogulis
 filius, Othomannus vulgò nuncupatus, Caramannia primū præfectus be-
 neficio Aladini Sultani potentissimi, Aladino autem mortuo ipse imperiū
 arripuit circiter annum Christi mccccii, obiitque post annum ab hoc
 initio suo xxv: à quo posteri Othmanni vel Othomanni nuncupari volue-
 runt. Imperium defuncti, dum duo filii natu majores armis inter se con-
 tendunt, rapuit filius minimus Orhanes: qui reb. in Asia firmatis & auc-
 tis, Nicæa Bithyniæ metropoli quoque occupatâ, trajecto cum exerci-
 tu Hellesponto Europa inuasit, multa illic cepit, plura diripuit: regnavit
 annos xxii. Successere ei filii duo, Soleimanes Callipoli in Cherrone-
 so Thraciâ potitus, ἀπαις, & Amurates. Hic prolatis in Europâ imperii
 finib. Hadrianopoli in Thraciâ sedem posuit, princeps bello & pace egre-
 gius, amicus & socius Palæologi imp. Byzantini, demum à transfuga in
 prælio contra Serviæ dynasten interemptus, cum imperium post patrem
 tenuisset annos quasi xxx. Eum excepit filius Bajazetes cognomento
 Wilderim, quod Græci λαίλαψ dicunt, in rebus gerendis acer & celer (un-
 de cognomen profectum) Byzantarum rerum penè arbiter, planè victo-
 riosus, post multa feliciter gesta à Tamerlane Tartaro tandem in prælio
 ad fines minoris Armeniæ captus, & cavæ ferreæ inclusus, circumvectus-
 que & ostentui habitus omne genus contumeliæ pertulit, in eâq; miseriâ
 vitam finiit. Incidit in hanc calamitatem anno æræ Christianæ mcccc-
 xcix, post initium Othmenis imperii & familiæ conditoris xcvi, cum re-
 gnasset annos circiter xii. Videbaturque Othomannicum imperium finē
 habere, cum è filiis, quos multos habuit, Iosua sparsas fortunæ reliqui-
 as à morte Tamerlanis cepit recolligere: quem frater Emir Mulfuma-
 nes, & hunc vicissim Moses, Mosen denique Mahometes ope Christiano-
 rum evertit & occidit, quod postremū factū traditur circiter annū Christi
 mccccxiii, post cladem patris xiiii. Ab hoc Mahomete fortuna im-
 perii Othomannici restituta in Asia & Europa, pax cum Græcis culta, im-
 perium administratum per annos viii, relictumq; filio natu majori Amu-
 rati ii. Is reb. maximis gestis, imperio Turcico in Asia & Europâ plu-
 rimum dilatato, Byzantino infracto, Græciâ cum Macedoniâ & Epiro op-
 pressâ, Illyrico magnam partem domito, Vngaris ad Varnam stratis, vi-
 vens regni habenas filio Mahometi Christianâ foeminâ Serviæ Despœnâ
 nato tradidit, sed paulò post consilii pœnitens eandem resumpsit: obiit
 anno Christiano mcccclii, mense Febr. Hoc verum initium Mahome-
 tis ii cognomento Magni: qui anno Christiano mccccliii Constanti-
 nopolim occupavit, Trapezuntem alteram Orientalis imperii sedē, quam
 Comneni tenebant, cum Cappadociâ, Colchide, aliisque cum his con-
 junctis provinciis subegit, Comnenos omnes evertit, Caramannos Cili-
 ciâ & locis vicinis exiit, Macedoniam Græciamque, & Illyrici regiones
 rursus bello sibi subiecit, cum Vsumcassane Persarum rege in Oriente,
 cum Ioanne Huniade in Vngariâ gravi ac vario Marte decertavit: impe-
 riū multò majus, quam à patre acceperat, Bajazeti & Zizimo filiis (tertiū
 enim

enim Mustafam natu maximū, principem fortissimū, paulò antè amiserat) reliquit anno Christi MCCCCLXXXI, imperii sui XXXI. Sed Zizimus velut imperii æmulus à fratre armis petitus & victus fugā sibi consuluit, & in Italiā exul vitam finiit. Bajazetes militari virtute & fortunā patre minor infeliciter in Oriente contra Ægyptios primū, deindè contra Persas, feliciter verò contra Venetos, Vngaros, Illyrios bello gesto, cum in sceptro fuisset annos ferè XXXI, & menses aliquot, filiosq; jam senex de successione contententes vidisset, Selimo demū natu minimo, sed ferocissimo gubernacula dimittere, & vitā cedere coactus fuit anno æræ Christianæ fluente MDXII. Selimus avo quam patri similior fratrib. & fratrum liberis ac nepotib. è medio sublatis, cum Hismaële Perfarum rege in Oriente pugnavit feliciter, Syriam & Ægyptū debellatis Mameluchis imperio Othomannico adjecit. Majora parans octavo regni anno vixdum expleto è vitā abiit, successoremq; accepit filium unicum Solimannū ex Tartarā Preceptide susceptum. Hic Caroli V imp. cujus anno secundo caput, perpetuus & ferè anniversarius hostis, & bis terve cum Tomaso Perfarum rege gravissimis præliis in Oriente congressus, Rhodo insulā & urbe captā, Vngariā sepe infestatā, & majori ex parte sibi subjectā, Tripoli & aliis in Africā occupatis, Melite magnā vi frustra tentatā, ad castellum Vngariæ Zige-thum tandem ætate jam grandis animam in castris efflavit, anno Christi MDLXVI, cum sceptrū tenuisset annos XLVI. Filios duos præclarè indolis Mustafam & Bajazetem affectati regni insimulatos, sed haud convictos, alterum præfens, alterum apud Persas crudeliter interemerat. Tertium indole priorib. non parem Selimum hæredē habuit. Selimus II in Asiæ partibus prosperè bellavit: Cyprū Venetis ademit, ingenti pugnā navali ab iis & Hispanis victus, anno Christi MDLXXIII exeunte, imperii sui IX fluente fati cessit. Filius hujus Amurates III à quinq; fratrum cæde regnū auspicatus contra Mahometē Hodabendam Perfarum regē, & filium ejus Abantem difficile & diuturnū bellum per duces suos variā fortunā gessit durans annos ferè XII: quo finito pacem Vngariæ turbavit, moriensq; anno Christi MDXCIII surgente, regnum bellumq; Vngaricū transmisit ad filium Mahometem III: qui XIX fratrib. crudeli parricidio è medio sublatis, & cum patre tumultis, continuato per Bassas suos in Hungaria & finitimis regionib. bello, ipse Veneri & ventri deditus è vitā excessit anno imperii sui IX ferè exituro, Christi autē MDCIII similiter propè finito, die nimirum XXI Decembris. Cujus locū excepit filius Achmetis adhuc adolescens, annum ætatis agens XV vivendoq; ac imperando pervenit ad diē XI Novemb. anni Christi MDCXVII, ætatis suæ XXIX, imperii XIII, princeps ingenii mitis & justitiam amantis, qui fratrem natu minorē Mustagern in regni sui auspicio contra morē ac institutum dom⁹ Othomannicæ vivū in fidā custodiā servare, quàm hostiā pro securitate status sui mactare maluit. Et cum moriens liberos relinqueret minorenes, eundem fratrem procerib. suis commendatū, ut vulgo persuasū fuit, è custodiā educi, & successorem declarari iussit. Atq; ita factum: Mustaga à procerib. in throno regio solenniter collocatus, ac in potestatis possessionē immisus. Sed cū re ipsā ob ingenii simplicitatē, & animū quieti & superstitioni magis quam reb. magnis agendis aptum imperio deprehenderetur inutilis, post tertium imperii mensem ab iisdem procerib. è throno in carcerem reductus, & eodem in throno Achmetis nuper defuncti filius natu maximus Osmanus annos natus XIII collocatus fuit. Quod factum die XIII Kal. Martii Juliani, anno æræ Christianæ MDCXVIII. Is hodie imperat. Du-ravit itaq; universum imperium hoc Othomannicum ab initio Othmenis imperii conditoris ad initiū hujus Osmani annos circiter CCCXVI: post principium Mahometis I, qui à casu Bajazetis patris, cum quo imperium videbatur concidisse, ejus instaurator fuit, annos CCV.

